Digitized by Google

BIB. DOM.
LAVAL. S. J.

pia 26

Digitized by Google

H500/30

Digitized by Google

# SERIES
# MISNENSIVM EPISCOPORVM,

Meissen

CVM
EX ALIIS DOCVMENTIS,
TVM PRÆSERTIM
EX LITTERARVM, CONTRACTVVM AC DONATIONVM
MISNENSIS ECCLESIÆ BREVIARIO MANVSCRIPTO
RESTITVTA, ET ILLVSTRATA,

STVDIO ET OPERA
P. SIGISMVNDI CALLES,
E SOCIETATE JESV.

BIBLIOTHEQUE
Les Fontaines
CHANTILLY

DOM. S. ALOYS. JERSEIENSIS
S. J.

*Ratisbonæ* ET *Viennæ*,

SVMTIBVS EMERICI FELICIS BADERI.
M D C C LII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# FACULTAS
## R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

Ego infra ſcriptus per Provinciam Auſtriæ Societatis Jesu Præpoſitus Provincialis facta mihi ab *A. R. P.* Noſtro *IGNATIO VISCONTI,* Præpoſito Generali, poteſtate, facultatem concedo, ut Liber, qui inſcribitur, *Series Miſnenſium Epiſcoporum reſtituta, & illuſtrata, à P. Sigismundo Calles,* Societatis noſtræ Sacerdote compoſitus, & ab aliquot ejusdem Societatis Patribus, ad id deputatis, lectus & approbatus, typis mandetur. In cujus rei fidem has Litteras manu mea ſubſcriptas, & conſuetò Officii Sigillò munitas dedi. Viennæ 7. Sept. Anno 1751.

(L.S.) *Theophilus Thonhauſer* mppria.

Digitized by Google

Digitized by Google

# AD LECTOREM.

Caſu potius, quam conſilio factum eſt, ut MISNENSIUM res EPISCOPORUM attingerem. Cum enim per otium Libros pervolverem, quos piæ mem. R. P. ANTONIUS STEYERER S. J., quo tempore Sereniſſimæ Poloniæ Reginæ à Sacris Confeſſio-



Digitized by Google

nibus erat, ad ſuos uſus comparaverat; incidi in *MS. Codicem*, ſex nummis Imperialibus ab illo emptum, hoc titulo: *Regiſtratur aller Brieff des Stiffts Meiſſen, vollendet im Jahr 1581.* Ubi cum ab Ottonis III. Imperio usque ad Rudolphum II, continuatam pene Litterarum, Donationum, Contractuum ſeriem, adjunctis ubique temporum notis, & Epiſcoporum nominibus, quamvis compendio tantum relatam, deprehenderem; facile diſpexi, magno hunc Codicem adjumento ad ſcribendam Miſnenſis Eccleſiæ Hiſtoriam eſſe poſſe. Nec dubitabam, hanc fuiſſe STEYERERO noſtro mentem, ut collectis, quæ in rem eſſent, neceſſariis aliorum documento-

rum

Digitized by Google

rum ſubſidiis, tam illuſtris olim Epiſcopatus aut notitiam brevem ederet, aut pleniorem Hiſtoriam elaboraret.

Indolui enimvero Viri eruditiſſimi, & in inveſtigandis, quaqua iter erat, locorum antiquitatibus ſolertiſſimi conſilium intempeſtiva morte exitu fruſtratum: Simul in mentem venit, Viri optimi honeſtiſſimo deſiderio, ſi non ſatisfieri (quis enim ab homine peregrino, & Miſnenſium rerum parum gnaro id exigat?) morem tamen geri quadam à me ratione poſſe, ſi Miſnenſium Epiſcoporum ſeriem, in vulgatis Catalogis ſatis perturbatam, ſuo & ordini, & tempori reſtituerem;



Digitized by Google

ſi res eorundem, quarum notitiam & MS. Codex, & Miſnicarum, ac Luſaticarum rerum Scriptores præberent, commentario perſtringerem, & illuſtrarem: defuturam quidem operi præcipuam Hiſtoriæ partem, quæ in referendis Antiſtitum piorum ſanctis laboribus, curis, ſtudiis, virtutibus eſt poſita, quarum memoriam longa nobis dies, & funeſta rerum converſio ſubduxit; non defuturum tamen alium conatus noſtri fructum, ſi ſuperiorum caligo temporum nonnullam lucem accipiat, & res Eccleſiaſtica per Miſniam, & Luſatiam, (civilem enim non moror) meliori in lumine collocetur.

Suc-

Digitized by Google

Succurrebat deinde, quem alias uſum habiturus eſſet pretioſus cætera Codex, ſi in bibliotheca lateret, Proteſtantium fortaſſe paucis, nulli Catholicorum cognitus: nec parum incitabat, quod cum Magdeburgenſis, Merſeburgenſis, & Naumburgenſis Epiſcopatuum notitiam ſatis commodam haberemus ex Meibomii, Ludewigii, Piſtorii, & Paulini Scriptoribus; de Miſnenſi extaret nihil, quod in Hiſtoria Eccleſiaſtica tuto ſequeremur. Quam pauca enim ſunt, quæ Petrus Albinus Chronico Provinc. Miſniæ de ejus Epiſcopis intexuit, juſtum aliud pollicitus de iis volumen, quod haud ſcio, an lucem aſpexerit. Quæ Georgius Fabricius in Annalibus Miſnæ urbis



Digitized by Google

de Epiſcopis commemoravit, ὡς ἐν παρόδῳ ſcripta ſunt, & confuſo ſatis annorum ordine digeſta, ut ſuo loco oſtendetur.

Igitur tentandum aliquid in re minime trita putavi, non ut Miſnenſis Epiſcopatus Hiſtoriam (tantum enim mihi non ſumo) conſcriberem; ſed ut ea, quæ ex MS. illis Litterarum Miſnenſium breviariis, ex Ditmaro Merſeburgenſi, Annaliſta, & Chronographo Saxone; ex Magdeburgenſi, Vetero - Cellenſi, Lauterbergenſi, Cizenſi, & Coldicenſi Chronicis; ex Helmoldo, Tyllichio, Fabricio ipſo, & Albino; ex promiſcua Diplomatum, quæ apud Meibomium, Menckenium, Ludewigium,



Digitized by Google

um, Hoffmannum, Sommersbergium, Weckenium, Balbinum, & Lunigium ſparſim occurrunt, farragine ea colligerem, quæ in rem præſentem facerent, juſtoque annorum ordine digererem; & reſtitutam ex his documentis Epiſcoporum Miſnenſium ſeriem, nuda, ſimplicique narratione illuſtrarem.

Id proinde operis argumentum: cui ſiquid deſit (deerunt autem plurima) veniam facile peregrinitas impetrabit. Præfixi Miſnenſis Diœceſis Tabellam Chorographicam, finium maxime cauſa, quorum item notitiam R. P. Steyerero debeo: is enim ad Zürnerianam Saxoniæ Electoral. Tabulam, anno MDCCXXIX.

ſua

Digitized by Google

ſua manu hæc adſcripſit: *Punctis purpureo colore in Mappa hac ſignatis indicantur limites, ſeu amplitudo Diœceſis Miſnenſis, qualis fuit Anno MCCCXLVI. ut docet Liber, qui dicitur Matricula Jurisdictionis Epiſcopalis eo anno conſcriptus*. Hanc ipſam *Matriculam* in calce operis adjeci, *extractam ex Matricula, & Archivis Epiſcopatus Miſnenſis Anno MCCCXLVI.* & ab eodem STEYERERO *cum duobus Originalibus Sæculi XIV.* (ut ipſe manu ſua teſtatur) *collatam, & correctam ex tertio exemplari Sæculi XVI.* Totam operis ſeriem cum Anno MDLXXXI. finio, quod confuſo ſemel Principis, & Epiſcopi jure, nulla jam Catholici Epiſcopatus ſpecies ſupereſſet.

Hæc præfari viſum.

DIS-

Digitized by Google




Digitized by Google

# DISSERTATIO PRÆVIA
## *DE*
## *PROVINCIA, URBE,*
## *ET*
## *ECCLESIA MISNENSI.*

### §. I.
### *De Provincia Miſnenſi.*

Miſnia, cultiſſima hodie, bonisque artibus, literarum ſtudiis, mercatura, ac ſtabili Electorum Saxoniæ Ducum Sede nobiliſſima Germaniæ Provincia, ab Ortu *Luſatia,* ab Occaſu *Thuringia; Voigtlandia,* ac *Bohemia* à Meridie, *Saxonia* à Septentrione terminatur. Miſniæ Fines.

Fluvii, quibus aut alluitur, aut rigatur, *Albis,* Fluvii. *Sala, Pleiſſa, Eliſtra, Mulda,* ac *Chemniza* ſunt. Inter *Salam* olim, *Albimque* fluvios *Hermunduri* habitabant: medius inter hos, & *Semnones,* Suevorum



Digitized by Google

nobiliſſimos, *Albis* decurrebat, ut ex Vellejo Paterculo Lib. II. cap. 106. docemur: "à Rheno (*inquit*) „usque ad flumen Albim, qui *Semnonum, Hermundurorumque* fines præterfluit, Romanus cum ſignis „perductus exercitus.„

Poſterioribus ſæculis, cum frequentibus bellis, ac continuatis in Pannoniam, Italiam, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, & Africam migrationibus, magnam ad paucitatem redacti eſſent veteres Germaniæ interioris incolæ; *Venedis, Slavicisque* gentibus datus in Germaniam eſt aditus: quarum aliæ ſuper alias ex *Sarmatia,* ſinuque *Venedico* in vacuas ad *Oderam, Havelam, Spream, Albim, Marchamque,* Germanorum ſedes, immigrarunt.

Incolæ veteres. Ac *Miſniam* quidem, *Dalemincii, Sorabique* tenuere. De *Sorabis* fidem facit Helmoldus in Chronico Slavorum lib. I. cap. 2. "Albia (*inquit*) in Occaſum ruens, primo impetu Boemos alluit cum „Sorabis.„ Jam cum *Miſnia* Bohemiæ ſit proxima, & per utramque *Albis* in Occaſum, ac Septentrionem decurrat; dubium eſſe non poteſt, *Miſniæ* Sorabi. populos ab Helmoldo per *Sorabos* deſignari. Idem Helmoldo vetuſtior Poëta Saxo ad A. DCCLXXXII. obſervavit. Sic enim canit:

„Gens quoque Slavorum, *Sorabi* cognomine dicta
„Vicinas ſibi *Saxonum* terras populando,

„At-

Digitized by Google

„Atque *Thuringorum* fœcundos frugibus agros:
„Qui medias *Sorabi* terras, camposque jacentes
„Inhabitant inter fluvios: hinc volvitur amnis,
„Qui *Sala* nomen habet: fluit *Albia* latior inde.„

De *Daleminciis,* qui *Glomacios* ſeſe ipſi appellabant, inter omnes conſtat, eos in hodierna *Miſnia* ſedes, Luſatiæ vicinas, habuiſſe. Hungari certe, quoties vel in Thuringiam, vel in Saxoniam impetum fecerant, toties fere per *Dalemincios,* amicitia & fœdere ſibi adſtrictos, iter habuere, ut patet ex Witichindo lib. I. p. 635. & 641. atque Luithbrando Ticinenſi lib. II. cap. 9. Ditmarus Merſeburg. Ep. lib. I. p. 324. fines *Daleminciæ,* cui a gente nomen, *Albi,* ac *Caminizi* fluviis claudit. Sic enim habet: "Is (Henricus, Rex poſtea Germa-„niæ) a patre ſuo (Ottone Saxonum Duce) in pro-„vinciam, quam nos Teuthonice *Daleminci,* Slavi „autem *Glomaci* appellant, cum magno exercitu „miſſus, devaſtata eadem multum atque incenſa vi-„ctor rediit. Sed qualiter Pagus iſte (*Canton,* Co-„mitatus) nomine hoc ſignetur, edicam. *Gloma-„zi* eſt fons, non plus ab *Albi,* quam duo milliaria „poſitus, qui unam de ſe paludem generans, mira, „ut incolæ pro vero aſſerunt, oculiſque probatum „a multis ſæpe, operatur. Cum bona pax indi-„genis, tritico & avena, & glandine refertus, lætos „vicinorum ad ſe crebro confluentium afficit ani- Dalemincii.

 mos:

„mos: quando autem ſæva belli tempeſtas ingrue-„rit, ſanguine & cinere certum futuri exitus indi-„cium præmonſtrat. Hunc omnis incola plus „quam Eccleſias, ſpe quamvis dubia, veneratur, & „timet. Et hæc provincia ab *Albi* usque in *Ca-„minizi* fluvium porrecta, vocabulum ab eo trahit „derivatum.„ Eadem ſcribit Annaliſta Saxo ad An. DCCCCVIII.

Dii Sorabici.

Nova cum gente nova ſimul, ac incondita Deaſtrorum turba in *Miſniam* invecta: nec enim dubium, quin *Sorabi*, ac *Dalemincii Miſnenſes* iisdem, quibus *Slavi* cæteri, ſuperſtitionibus fuerint imbuti. Nulla *Slavis* ſuperſtitioſior per id tempus natio: ſic ut præter *Belbogum*, ſeu *Bonum Deum*, ne *Czernbogum*, quidem, ſeu malum Dæmonem nefas ducerent ſtulta, impiaque religione venerari. Et quanquam ſingulis fere populis peculiares, ac municipales quodammodo Dii eſſent, ut Redariis *Luaraſici*, de quo Ditmarus lib. VI. p. 381. Obodritis *Radigaſt*, Wagiris *Prove*, *Siwa* Polabis, *Zwantewith* Rugianis, quorum præter alios Helmoldus Chron. Slav. lib. I. cap. 52. meminit, nemo tamen ambigit, quin & *Sorabi*, & *Dalemincii*, & quotquot usque in Ortum, & Septentrionem habitabant Slavicæ gentis populi, plures ſimul majorum, ac minorum gentium Deos, quosdam etiam, ut Plautino utar verbo, *patellarios* coluerint: quorum

tur-

Digitized by Google

turbam bene numeroſam Frencelius collegit in Commentario *de Diis Soraborum*, aliorumque Slavorum, quem in Godefridi Hoffmanni Scriptoribus Luſaticis reperies.

Pro Deorum numero ſuperſtitio multiplex. Superſtitio.
„His dicati erant Flamines (*ſcribit Helmoldus*) „& Sacrificiorum libamenta, multiplexque religio„nis cultus. Porro ſolennitates Diis dicandas Sa„cerdos juxta ſortium nutum denunciat, conve„niuntque viri, & mulieres cum parvulis, mactant„que Diis ſuis hoſtias de bobus, & ovibus, plerique „etiam de hominibus Chriſtianis, quorum ſangui„ne Deos ſuos oblectari jactitant. Poſt cæſam ho„ſtiam Sacerdos de cruore libat, ut ſit efficacior „oraculis capeſſendis. Nam ſanguine Dæmonia „facilius invitari, multorum opinio eſt. Con„ſummatis juxta morem ſacrificiis, populus ad epu„las & plauſus convertitur.„ Hæc ille de Slavis univerſe.

Ad tam nefarias religiones cum prædandi finitimos, & vicina omnia infeſta reddendi, infinita Slavici quædam licentia accederet; mirum non eſt, *Ot-* populi *tonem* Saxonum Ducem, & *Henricum* ejus filium, Germaniæ Regem, nihil non egiſſe, ut barbariem tam late diffuſam armis comprimeret, compreſſamque Chriſtianis ſub Legibus, ac Principibus manſueſcere doceret. Ejus porro voti opportunitatem

cum *Ottoni* Seniori, vel ætas, vel temporum calamitas non concederet; *Henricus* Rex filius avide poſtea arripuit: belliqueﾠfortuna, quieſcentibus tantisper turbis civilibus, *Hungarisque* per inducias a jugulo averſis, tam proſpere uſus eſt, paucos ut intra annos, omnes ejus cardinis populos, *Abotritos, Vulzos, Hevellos, Daleminicios, Bohemos, Redarios,* quos Witichindus lib. I. enumerat, tributarios ſibi redderet. Initium a *Brennaburgo, Hevellorum* urbe, factum: quam cum aſperrima hyeme, poſitis ſuper glaciem caſtris, fame, ferro, frigore feciſſet ſuam; *Gronam* aggreſſus, *Daleminciæ* gentis urbem, viceſimo obſidionis die cepit, præda inter milites diviſa, interfectisque puberibus omnibus, pueros tantum, ut item Witichindus narrat, & puellas ſervituti, ſed Chriſtianæ, mancipavit.

ab Henrico I. ſubacti.

Verum quod, frementibus undique Barbaris, tutam ſatis novam urbem non putaret; *Miſnam Caſtrum* (ut appellat Author incertus de Fundat. quarumdam Eccl. Saxon. apud Leibnitium T. I. p. 261.) ſeu ut Ditmarus vult lib. I. p. 327. *Urbem* condidit, quæ Slavicos impetus exciperet interim, aut ſiquid moverent *Hungari*, eorum incurſiones cohiberet. "Hic montem unum (*ſcribit Ditmarus*) juxta *Albim* poſitum, & arborum tunc denſitate occupatum, excoluit, ibi urbem faciens: cui de rivo quodam, qui in ſeptentrionali parte ejusdem

Miſna conditur.

„dem fluit, nomen *Miſni* impoſuit, quam, ut ho-
„die in uſu habetur, præſidiis, & impoſitionibus
„cæteris munivit. Ex ea *Milzenos* ſuæ ſubactos
„ditioni, cenſum perſolvere coëgit.„

§. II.

*De Urbe Miſnenſi.*

Urbis hujus, qualis Sæculo XVI. extitit, formam, ſitumque, quandoquidem totius olim *Miſniæ*, cui & nomen dedit, caput erat, Georgius Fabricius in Annal. Miſnæ Urbis lib. I. p. 73. ſic deſcribit: „*Miſnam* ab Ortu tangit *Albis*, a Meridie *Trebiſa*, „a Septentrione *Miſna*. Tres in uno monte arces ſunt: Principis, Præſulis, Burggravii. Pagus „*Miſna*, ante urbis introitum, in loco declivi eſt, „& pons verſus arcem lapideus, per quem montes „duo junguntur, templi Jacobæi tecto, & turre extat altior. Annales noſtri conditorem urbis „*Miſnæ* fuiſſe *Henricum* I. Imperat. memoriæ prodiderunt: Anno Chriſti ſupra nongenteſimum „trigeſimo, imperii ipſius (puta Regni) undecimo, „qui propter ſitûs opportunitatem præſidium militum Riparenſium hoc in loco contra *Ungaros*, „qui tum plurimas Germaniæ inferebant calamitates, conſtituit. - - - Mons, in quo arx ſita, „tanquam foſſis munitus eſt: idem cum monte „*Afrano*, ponte lapideo ingenti, ſupra vallem inter-

Miſnæ urbis deſcriptio ex Fabricio.

„ter-

„terjectam conſtructo, conjungitur. - - - Urbs
„ipſa partim in valle, partim ad colles, quibus cin-
„gitur, ſita eſt, duoque montes *Palatinus* ac *Mar-*
„*tinianus* ançonem, & ſinum efficiunt. Eſt ita-
„que Urbs *Miſna* fluminis navigabilis commodita-
„te, colliumque circumfuſorum frequentia, horto-
„rum amœnitate, aëris temperati ſalubritate, cul-
„toribus opportuna. Ager frumento, colles vino
„fertiles, fortaſſe etiam metallis. - - - In colle
Ejus arces, „Orientali, quem *Palatinum* ſæpius jam nomina-
„vimus, extructæ duæ arces novæ: altera Princi-
„pis ampla, & ornata, quam condidit *Albertus*
„Dux Saxoniæ; altera Præſulis, quæ à *Johanne V.*
„(de *Weiſſenbach*) inchoata, necdum perfecta eſt.
Templa, „Inter has interjacet Baſilica Cathedralis operis
„vetuſti, cui Occaſum verſus adjunctum ſacellum,
„in quo Ducum Saxonicorum ſepulchra ſunt, &
„monumenta. - - - Tertia Arx Burggravii una
„ruina eſt, de qua extat turris rotunda pyrami-
„dalis, vetuſtum propugnaculum. - - - In colle
„occidentali Cænobium *Afranum*, a *Reinero* Præ-
„ſule fundatum: in quo Ludus illuſtris ante annos
„ſeptem, & viginti aperiebatur. - - - Habuit &
„alia duo cœnobia: puellarum, quod in *Waſſer-*
„*burgo* ſitum, extra mœnia translatum eſt; &
„*Franciſcanum*, in quo erectus jam Ludus Senato-
Pons. „rius. Pons ſuper *Albim* ligneus tali arte factus,
„ut ejus juga ſint extremis tantum partibus pilis
„im-

Digitized by Google

„ impoſita, per medium ſine ſublíciis librata pen„deant artifice lignorum compagine: cujus in u„niverſa Germania non eſſe ſimilis perhibetur li„gneus.„ Fata urbis, & ſiqua ſunt alia memoratu digna conſulto prætereo, quæ peti ex eodem Scriptore poſſunt.

## §. III.

### *De Eccleſia Miſnenſi.*

Condita *Miſnenſi* Urbe, veriſimile admodum eſt, *Henricum* Regem, quo erat in Religionem ſtudio, de fundanda ibi Eccleſia, Sacrorumque miniſtris in convenarum ibi civium commoda conſtituendis, cogitationem ſuſcepiſſe. Ac ſi Petro Albino, qui *Chriſtiano* quondam Electori Saxoniæ Duci ab arcanis epiſtolis erat, credimus, *Henricus* jam tum novitiæ Miſnenſis Eccleſiæ quondam velut Diœceſis limites deſignavit; urbesque illi, ac caſtra aliquot, *Pirnam* nempe, *Dresdam, Radebergam, Scharffenbergam, Tarnantum* (hæc enim vetuſti Chronici Miſnenſis fide enumerat Tit. XXII. Chronici Provinc. Miſn.) attribuiſſe legitur, quorum & annuis vectigalibus ſuos aleret, & militari præſidio adverſus formidoloſiſſimos ejus ætatis hoſtes, *Hungaros*, ſe tueretur. Quæ quanquam haud ſatis certa ſint, imo ſi jam tum in urbium numero *Dresda, Pirnaque* cenſeantur, parum veriſi-

Miſnenſis Eccleſiæ exordia.

riſimilia; firmari tamen conjectura nonnulla poſſunt, præſertim ſi ad neceſſaria tantum vitæ præſidia, ſolvendosque Eccleſiæ ſumptus adjecta à pio Principe dicantur. *Boſo* certe Merſeburgenſium poſtea Epiſcopus, " beneficium omne, quod ad Ec„ cleſias in *Merſeburg,* ac in *Mimileve* poſitas, ac „ ad *Thornburg,* & *Kirchberg* pertinens fuit, an„ tequam ordinaretur, obtinuit „ ut author eſt Ditmarus lib. II. p. 339. Eccur non ſimile quid *Burchardo,* primo poſtea *Miſnenſi* Epiſcopo, prius etiam, quam Antiſtitis inſignibus ornaretur, conceſſum eſſe putemus?

Majus his aliud Albinus eo loco ſubjungit: ***Henricum*** nempe Regem jam in eo fuiſſe, ut Metropoliticam Sedem *Miſnenſi* in Urbe collocandam decerneret, unde jura Sacrorum à *Miſniis, Bohemis, Luſatiis, Brandeburgicis,* & *Pomeranis* peterentur: id vero conſilium ejus morte præpeditum; ſic tamen, ut *Ottoni* Filio inter ſuprema voluntatis mandata, impenſe commendaret. *Ottonem* M., quo Parentis deſiderio morem gereret, An. DCCCCXXXIIX. Ind. XI. Anno Reg. III. III. Idus Januarii fundationem *Miſnenſis* Eccleſiæ fuiſſe Moguntiæ: Tametſi ejus loci Baſilica ſero admodum, nec ante Novembrem An. DCCCCLXVIII. ſub honore S. *Joannis* Apoſtoli, & Evangeliſtæ, nec non S. *Donati* Epiſcopi, & Martyris ſolenni Eccleſiæ ritu ſit dedi-

Baſilica Miſnenſis.

dicata. Et quanquam ea in parte ab *Henrici* Parentis voluntate receſſerit Filius, quod Metropolis honore *Magdeburgenſem* potius, quam *Miſnenſem* Eccleſiam augeret; tribuiſſe id tamen paternæ voluntati, ut Miſnenſem Eccleſiam, à Magdeburgenſis Archiepiſcopi jurisdictione exemptam, ſolique Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ Pontifici ſubjectam eſſe vellet; & fines illi ampliſſimos, ab *Oderæ* videlicet ad *Albis* Fontes, longoque per extimos *Bohemiæ* & *Niſicenſis* Pagi limites circuitu, ad *Muldæ* usque ſcaturiginem, decurſumque attribueret. Hactenus Albinus Chronici Miſnenſ. Provinc. Tit. XXII. p. 277.

Quæ de Miſnenſis Eccleſiæ conſtitutis ab Ottone M. finibus hoc loco ſcribit Albinus, ex Ottonis I. Regis Litteris, quales affert Lunigius Spicileg. Eccleſ. P. II. Append. p. 96. firmari poſſent; niſi *Imperatoris Auguſti* titulus Diplomati præfixus, notæque Chronicæ infra ſubjectæ indicium facerent fidei parum ſinceræ: neque enim Indictio VIII., neque annus Regni *Ottonis* M. concordat cum Anno Chriſti DCCCCXLVIII., neque *Hildebertus* Archicapell. eo anno in vivis fuit: neque *Otto* M. Romanorum Imperator jam Auguſtus. Sic enim habent:

*In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. OTTO, Divina Clementia IMPERATOR AUGUSTUS.* Ottonis M. Diploma

*Quia nos quotidie multorum venerabilium Virorum Epiſcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium Chriſti Canonicorum, & Monachorum ad omne bonum opus præceptis inſtruimur, exemplis informamur, libenter ex abundanti rerum noſtrarum copia ad æternam beatitudinis vitam obtinendam, & ad temporalem feliciter transigendam, divina auxiliante gratia; quod noſtræ felicitati aptiſſimum credimus incipere, & in Domino perficere conſtanter elaboramus, ergo manifeſtare, ac notificare omnibus in Chriſto fidelibus, tam futuris, quam præſentibus, quam maxime deſideramus, qualiter nos pro remedio, & perpetua omnium fidelium defunctarum animarum redemptione, nec non pro noſtra ſempiterna ſalute, ac dulciſſimæ collateralis noſtræ, chariſſimæque ſobolis noſtræ perenni felicitate Eccleſiam quandam in MISNA Civitate collocari, & conſtrui præcepimus, ubi etiam rogatu, & conſilio univerſorum Principum noſtrorum in honore S. JOANNIS Evangeliſtæ Sedem Epiſcopalem fieri decrevimus, cui quendam noſtræ dilectionis intimum, nomine BURCHARDUM electum, & ad Præſulatus dignitatem in Chriſto conſecratum a Sanctæ Moguntinenſis Eccleſiæ venerabili Archiepiſcopo, nomine HILDIBERTO in laudem Omnipotentis Domini glorioſe præfecimus. Huic etiam Epiſcopatui more antiquorum Imperatorum, & Regum noſtra Imperiali poteſtate terminum poſuimus, ubi oritur flu-*

pro Epiſcopatu Miſnenſi.

*fluvius, qui dicitur Orientalis MILDA, inde usque, quo idem fluvius intrat in ALBEAM, & ſic ſurſum, & ultra Provinciam NISIZI ad eundem terminum ſine dubio, nec non in altera parte LUZIZI, & SELPZLI illam videlicet intra eundem terminum, & inde in aquam, quæ dicitur ODERA, & ſic ab ODERA ſurſum usque ad caput ejus. Inde quaſi recta via usque ad caput ALBEÆ: Inde deorſum in Occidentalem partem, ubi diviſio confinium duarum regionum eſt, BEHEM, & NISENEN, ibidem ultra ALBEAM, & per ſylvam in Occidentalem partem usque ad caput prædicti fluminis Orientalis MILDÆ: Homines vero, qui infra prædictum terminum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum, & pecudum in argento, & veſtimento, nec non quod Teutonici dicunt GUARENPUNGA, & CALUNGA familiarum inſuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur, diverſis modis decimationes, quas DEO cuncta gubernanti debent, ad MISINENSEM Eccleſiam, primo DEO, deinde S. JOHANNI Evangeliſtæ univerſa, dubietate procul remota, pleniter perſolvant, reſerant, reddant. Et ſi quis hoc noſtri Imperialis præcepti conſtitutum transgredi, aut disrumpere præſumat cum Anania, & Saphira, nec non cum Juda traditore infernalis incendii tormentum patiatur, nec inde, niſi reſipiſcat, in perpetuum abſolvatur. Et ut hæc noſtra conceſſio in*

*remunerationem Dei Omnipotentis firma, ſtabilisque permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum, annulique noſtri impreſſione ſignatum manu propria firmamus. Dat. 3. Idus Januarii, Anno Incarnationis Dom. 948. Indictione 8. Anno vero MAGNI OTTONIS IMPERATORIS in Domino feliciter regnantis tertio. Actum Moguntiæ feliciter. Amen.*

*Signum Domini Ottonis Imperatoris taliter eſt ſubſcripta, & ſignata:*

Folckmarus Cancellarius, vice Hildeberti Archicapellani recognovi.

Verum ut id ſeu Albino, ſeu laudato ab eo veteri Miſnenſi Chronico largiamur certos quosdam, annuosque proventus Eccleſiæ Miſnenſi, ſeu ex vectigabilibus caſtris, pagisque ab *Henrico* Rege, ſeu ex nova donatione ab *Ottone* M., ejus Filio, anno DCCCCXXXVIII. (vel ut eſt apud Lunigium Spicileg. Eccl. P. II. Append. p. 96. An. DCCCCXLVIII.) facta, eſſe conſtitutos; illud, quod de Metropolis dignitate *Miſnenſi* Eccleſiæ ab *Henrico* deſtinata adjicit, firmis ex antiquitate monumentis, fidem ut faceret, merito comprobandum erat: neque enim ita facile credi poteſt, Metropolim, ad quam ab omnibus eidem ſubjectis Eccleſiis, & neceſſarius, & frequens recurſus eſſe debet, à Principe, Sacrorum jurium non ignaro, in extremo Regni limite, & Hun-

& Hungaricis, Slavicisque incurſionibus quotidie ex-poſito collocandam: neque veriſimile ſatis eſt, eam fuiſſe jam tum urbem, heri natam (ſi tamen Urbs fuit, ac non potius *Caſtrum,* ut Miſnam appellat Author vetuſtus de Fundat. quarundam Eccl. Saxon.) quæ Sacrorum eam Majeſtatem, qualem in Archiepiſcopi ſede eſſe convenit, pro dignitate tueretur. Hieronymus Emſerus, eximiæ vir doctrinæ, & Miſnenſis Eccleſiæ Encomiaſtes præcipuus, in Prologo vitæ S. *Bennonis,* Miſn. Ep. §. IV. refert & ipſe quidem, Pontificalem in Urbe *Miſnenſi,* deſtinatam ab Rege *Henrico* ſedem; ſed de Metropoli nihil meminit: "Imperator (*inquit*) poſt tam „ inſignem (de Hungaris) victoriam, ſecum animo „ conceperat, in Urbe *Miſnenſi,* cujus tempore „ Hungarici belli opportune uſus fuerat, Pontificalem ſtatuere ſedem: verum poſt multa virtutis „ documenta immatura morte peremtus eſt, & ne-„ gotium Filio ſuo Ottoni, cognomento Magno, „ perficiendum reliquit. „

Sedes Epiſcopalis ibi deſtinata.

Plus tamen controverſiæ in eo eſt, quod de Eccleſiæ Miſnenſis exemptione cum Albinus, tum Miſnenſium rerum Scriptores ceteri conſenſu fere afferunt. Ac Albini quidem ſententiam præter *Joannem* VI. & IX. Miſn. Ep. qui Eccleſiam Miſnenſem *Ingenuam* idcirco ſuis in litteris, *ac ab Origine liberam* nominant, ut infra videbimus, Emſerus,

De Miſnenſis Eccleſiæ Exemptione.

Fa-

Fabricius, & utroque paulo antiquior Joannes Tylichius, Monaſterii S. Mauritii Canonicorum Regularium, extra muros Naumburgenſes, quondam Præpoſitus, qui Miſnenſe Chronicon ſuum, quod Schannatus in Vindem. Litter. P. II. p. 74. exhibet, An. MCCCCXVII. claudit, aperte confirmant. Horum primus Hieronymus Emſerus, in Prologo vitæ S. *Bennonis* §. V. ita ſcribit: Otto M. "ut
„vir erat omni pietate conſpicuus, Diviníque cul-
„tûs obſervantiſſimus, patris mandata haud ſegni-
„ter implens, Cathedralem, quæ adhuc extat, po-
„nere cœpit Eccleſiam DEO Opt. Max. Divo Jo-
„hanni Apoſtolo, & Donato Epiſcopo, ac Chriſti
„Martyri dicandam: cui terminos poſuit fontem
„*Oderæ* fluminis, ab eoque rectâ viâ usque ad ca-
„put *Albis*, & dehinc ad Occidentalem plagam,
„ubi confinium duarum regionum, *Bohemis* videli-
„cet, ac *Niſicenſis*; indeque per Silvam Occidentem
„verſus usque ad os *Muldæ*, & ſic deorſum per u-
„tramque *Muldæ* ripam, donec is rurſus ſe in *Al-*
„*bim* exonerat, horumque locorum homines, &
„eorum fortunas cum omni emolumento terræ,
„frugum, pecudum, omnibusque divitiis, ac bo-
„nis, tam præſentibus, quam futuris, auctoritate,
„ac ſub diplomate *Joannis* XIII. Summi Pontificis
„dictæ Eccleſiæ *Miſnenſi* donavit, ac conſecravit.
„Qua tanta Imperatoris liberalitate motus idem
„Pontifex, ut liberaliter & ipſe erga eum ageret,
pul-

„cherrimum novæ Eccleſiæ *Miſnenſi* privilegium „tradidit: ut videlicet *à primæva ſui origine li-* „*bera,* nulli in perpetuum ſubeſſet ſive Metropoli- „tano, aut cuiquam quovis titulo, vel honore præ- „dito, niſi ipſi, & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pon- „tificibus.„

Quas Emſerus hoc loco laudat Joannis XIII. Rom. Pontif. litteras, earum exemplum, ſed in fine mutilum, Georgius Fabricius Chron. Miſn. Lib. I. p. 78. recitat, quod ex Lunigio Spicil. Eccleſ. Contin. I. p. 833. ſupplendum.

*Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei.*

*Si ſemper ſunt concedenda, quæ piis deſideriis congruunt: quantum potiſſimum ea, quæ divini cultus prærogativa noſcuntur, non ſunt omnino abneganda: quæ ſunt à largitoribus non ſolum poſcenda, ſed vi charitatis procul dubio exigenda. Habita igitur Synodo, & multorum venerabilium Fratrum, Coëpiſcoporumque noſtrorum conventu Romæ, in Eccleſia Beati Petri Principis Apoſtolorum, aſſidentibus auguſtiſſimis Impp. OTHONIBUS utrisque, anno ſcilicet Imperii majoris SEXTO, minoris PRIMO, iidem glorioſiſſimi Imperatores poſtularunt à nobis, quatenus monaſterium, quod pro remedio animarum ſuarum primitus conſtrui, & in honorem Beati JOHANNIS Evangeliſtæ conſecrari fecerunt,* Bulla Joañis XIII. SS. ea de re.

C *ſuper*

*ſuper ripam fluminis, cui nomen eſt ALBEA, in civitate MISNA, ſita videlicet in provincia, quæ dicitur DALEMINCIA, cui etiam monaſterio virum venerabilem, nomine BURCHARDUM honorifice præfecerunt, privilegiis Sedis Apoſtolicæ decorari, ut ſub jurisdictione Sanctæ Eccleſiæ noſtræ, cui auctoritate DEI, præſidemus, conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ ditionibus ſubmittatur. Pro qua re piis deſideriis faventes, hac noſtra auctoritate, id, quod expoſcitur, effectui mancipamus: interponentes tamen ea, quæ & ipſi principes, in noſtris privilegiis cupiunt exponi, & cunctis in Chriſto fidelibus manifeſta fieri, more antiquorum Imperatorum. Hi duo Imperatores, pater, et filius nobis aſſidentes Miſnenſi Epiſcopatui terminum impoſuerunt, nominando etiam determinationes locorum, ſicut infra continetur: Ubi caput, & fons eſt aquæ, quæ dicitur ODERA, inde quaſi rectâ viâ usque ad caput ALBEÆ. Inde deorſum ad Occidentalem partem, ubi diviſio duarum regionum eſt, BEHEM, & NISEN: ibidem ultra ALBEAM, & per ſylvam in Occidentalem partem usque ad caput MILDÆ, & ſic deorſum per ambas plagas ejusdem fluminis, usque dum MILDA intrat in ALBEAM, & ſic surſum ultra provinciam NISICI, ad ipſum terminum: nec non in altera parte LUZYCI, & SELPOLI, & ſic usque ad civitatem SULPIZE, illam videlicet infra eundem ſurſum usque ad caput ejus. Homines*

*nes vero, quemadmodum hi præſentes Imperatores ſtatuiſſe fatentur, qui infra terminum iſtum habitant, in omni fertilitate terræ, frugum, & pecudum, in argento, & veſtimento: nec non quod teutonici dicunt, OUARCAPUNCA, & CALUNGA familiarum: inſuper tota utilitate, & in omnibus rebus, quibus mortales utuntur in diverſis modis, decimationes, quas* DEO *cuncta gubernanti debent, ad MISNENSEM Eccleſiam, primum* DEO, *deinde Sancto JOHANNI Evangeliſtæ, univerſa dubietate procul remota perſolvant, referant, & reddant. Et ideo in Chriſto ſanximus, firmiterque conceſſimus; ut nullus Metropolitanus, nullus Epiſcopus, nulla etiam magna, vel parva alterius ordinis, & gradûs perſona, præter Sedis Apoſtolicæ Antiſtitem, infra terminos MISNENSIS Eccleſiæ, cui venerabilis Epiſcopus BURCHARDUS præeſſe dignoſcitur, quemque ordinare, dijudicare, excommunicare, vel temere aliquid exercere ullo modo præſumat.* Deſunt cetera in Fabricio: Lunigianum exemplum interpolatum alias, & frequentibus in ſubſcriptione Epiſcoporum mendis corruptum, addit, quæ ſequuntur. *Statuentes etiam Apoſtolica cenſura ſub Divina judicii obteſtatione, & validis, atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus Imperator poſthac, aut Rex nullus, ſive quiſpiam alius, cujuſcunque ſit dignitatis poteſtate præditus ejusdem Eccleſiæ cauſis præſumat incumbere, vel mi-*

C 2

Digitized by Google

*minimum quiddam ex his, quæ ad illud Monaſterium S. JOHANNIS pertinere videntur, cui BURCHARDUS Epiſcopus præſidet, aut ſibi temere vindicare, aut alicui magnæ, parvæque perſonæ pro beneficio dare, aut quolibet modo inde aufferre, vel alienare audeat. Promulgamus etiam & hoc auctoritate B. Petri Apoſtolorum Principis coram DEO, & terribili ejus futuro examini per hujus noſtri privilegii, atque conſtituti vim interminamur, ne quis mortalium ſibi licere exiſtimet, aliquid ex poſſeſſionibus MISNENSIS Eccleſiæ tam ex his, quæ antehac à glorioſiſſimis Imperatoribus OTTONE, & ejus æquivoco filio, vel à cæteris Chriſtianis, eidem ſancto loco oblata, atque collata ſunt, quæque poſtmodum ſunt conſerenda, ut profecto juxta id, quod ſubjectum eſt, idem venerabilis locus Apoſtolico hoc privilegio inconcuſſè donatus permaneat. Si quis autem, quod minime optamus, nefariâ auctoritate hæc, quæ à nobis ad laudem DEI pro ſtabilitate ſæpe dicti monaſterii, ſtatuta ſunt, refragari præſumpſerit, noſtrique præcepti transgreſſor extiterit, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo, atque Juda, traditore Domini noſtri JESU CHRISTI æterni incendii ſupplicio deputatum. At vero, qui pio intuitu hujus Apoſtolici conſtituti obſervator extiterit, benedictionis gratiam à miſericordiſſimo Domino DEO multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manus Stephani*

*Scri-*

Digitized by Google

*Scriniarii Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, in Menſe Decembri, Indictione undecima. Signum Domini OTTONIS MAGNI, Imperatoris Auguſti. Signum Domini OTTONIS MINORIS, Imper. Auguſti. Petrus RAVENNENSIS, Eccleſiæ Archiepiſcopus ſubſcripſit. Rodaldus Patriarcha AQVILEJENSIS ſubſcripſit. Sigolfus Epiſcopus S. PLACENTINÆ Eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi. Udalricus Epiſcopus S. BERGAMENSIS, Eccleſiæ conſenſi & ſubſcripſi &c. &c. Data III. Non. Januarii, per manus WIDONIS, Epiſcopi Sanctæ Sylvæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ. Anno DEO propitio, Pontificatus Domini JOHANNIS ſummi Pontificis, & univerſalis decimi tertii Papæ in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli tertio, Imperantibus Dominis piiſſimis Auguſtis OTTONE, & ejus æquivoco filio, à DEO coronatis magnis Imperatoribus, Anno majoris Imperii SEXTO, & minoris PRIMO, in Menſe Januario, Indictione ſupra dicta undecima.*

Nec aliud opinor, Exemptionis Privilegium Tylichius intelligit, de quo ſub Chronici Miſnenſis principium ſic ſcribit: " Sed ex poſt in concilio „ generali *Lateranenſi,* ubi dictus *Otto* Imperator, „ una cum filio ſuo *Ottone* II intererat, Privilegium „ Exemptionis Eccleſiæ Miſnenſis obtinuit, cujus „ transſumptum ſub Sigillis *Citzenſis,* & *Mersburgenſis* Epiſcoporum vidi in Eccleſia *Miſnenſi.* „



Digitized by Google

Contraria ſcriptorū opinio

Sed enim cum Pontificiis his litteris vehementer pugnant ea, quæ Meibomius T. I. p. 733. quæ Labbeus, & Coſſartius Concil. T. XI. Col. 914. recenſent documenta de ſubjectis *Magdeburgenſi* Metropoli Epiſcopatibus. Ac Meibomii quidem narratio fundationis Magdeburgenſis Eccleſiæ Metropolis ex M. S. Chronico Magdeb. ſic habet.

ex Narratione de Fundam. Eccleſ. Magdeb.

" Imperator *Otto* magnus civitatem Magdeburg ad honorem, & defenſionem dilectæ ſuæ „ Saxoniæ, Metropolim, & Archi-Epiſcopium facere, cui præfatos duos Epiſcopatus *(Brandeburgenſem, & Halberbergenſem)* a ſe conſtructos, „ & alios, quos adhuc conſtruere deſideravit, ſubjacere, ibique *DEO*, & *S. Mauritio* ſe, ſuaque „ omnia dare cogitavit. „ Enarrata deinde permutatione cum *Hildewardo Halberſtadenſi* Epiſc. facta, & à Petro Ravennate, plurimisque Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Epiſcopis approbata An. 968. Indict. XII. Imperii *Ottonis VII*, Regni vero XXXIII. (is enim adhuc in curſu erat, ut notat Pagius) rejectoque, quem prius Archiepiſcopum *Magdeburgenſem*, ex ejus loci Abbate, deſtinarat Imperator, *Richario*, ſubjungitur. " Erat tunc „ quidam magni nominis & meriti *Adelbertus*, qui „ dudum Treveris de Cœnobio S. Maximini monachus abſtractus, & Epiſcopus conſecratus ad „ prædicandum *Rugis* fuerat deſtinatus: ſed po-

„ pu-

Digitized by Google

„ pulus exaſperatus, dura fronte, & indomabili
„ corde expulit illum de finibus ſuis, contemnens
„ evangelizantem evangelium pacis, quia Dei pro-
„ videntia in terra noſtra illi populus committen-
„ dus erat novæ acquiſitionis. Hunc ergo de
„ *Wiſſenburgenſi* Abbatia, quam interim regebat,
„ aſſumptum, per omnia dignum, & probatum
„ Cæſar prædictæ Eccleſiæ *Magdeburgenſis* ſacer-
„ dotio promovit, illumque Romam pro Pallio ab
„ Apoſtolica Sede ſuſcipiendo cum litteris ſuæ au-
„ ctoritatis direxit. Sedit eo tempore in clavigeri
„ cæleſtis cathedra, gratiâ, & nomine *Johannes*,
„ Papa nominis illius tredecimus, in ordine vero
„ Romanorum Pontificum centeſimus triceſimus
„ ſextus. Hic igitur benigniſſime illum ſuſcipiens
„ pro pio ſtudio glorioſiſſimi Imperatoris, quod in
„ amplificatione Divini cultûs habebat, gaudens,
„ ideoque juſtis ejus petitionibus annuens, illum
„ Apoſtolica auctoritate Archiepiſcopum fore,
„ ejusque ſucceſſores decrevit: cui & Pallium ad
„ Miſſarum ſolemnia celebranda dedit, & ipſa ni-
„ mia dilectione commonitus XV. Kalend. Nov.
„ id eſt, in feſto S. Lucæ Evangeliſtæ ordinavit. „
Recenſitis ſub hæc eminentis Eccleſiæ Magdebur-
genſis juribus, ſequitur: " Præterea ſtatuit, eum
„ eſſe Metropolitanum totius ultra *Salam*, & *Albiam*
„ Slavorum gentis, tunc ad Deum converſæ, vel
„ convertendæ, & ut ſecundum deſiderium Impe-
„ ra-

„ ratoris in his civitatibus, in quibus olim barbari „ ritûs maxima vigebat ſuperſtitio, id eſt, *Cizi*, „ *Miſni*, *Merſeburg*, *Brandenburg*, *Halverberg*, „ *Pornam* (leg. *Poznani*, ut habet fragmentum „ Coſſartianum) in honorem Domini Epiſcopia „ fundarentur, quorum Paſtores ſecundum cano- „ nicam auctoritatem *Magdeburgenſi* Epiſcopo fi- „ dem, & ſubjectionem debendo ſociarentur. „ Inde, ubi ſynodali decreto confirmata iſta, remiſ- ſusque ad Imperatorem novus Epiſcopus, & à Legatis Rom. Eccleſiæ *Widone* Bibliothecario Epiſcopo, & *Benedicto* Cardinali, nec non *Hildewardo Halberſtadenſi* Antiſtite Metropolitico in ſolio collocatus eſſe ſcribitur, tota rei narratio in hunc modum clauditur: “ Adfuit omnis ſexus, & ætas „ gaudentium: fuit prorſus generale tripudium, „ ubi ad confirmationem ſui idem Archi-Epiſcopus „ in præſentia eorumdem Nativitatem Domini ſe- „ cum celebrantium, *Boſonem*, monachum *Mer-* „ *ſeburgenſi*, *Burchardum Miſnenſi*, *Hugonem Cy-* „ *zenſi* Eccleſiis primos Epiſcopos ordinavit. *Dudo* „ quoque *Halverbergenſis*, & *Dudelinus Branden-* „ *burgenſis* Epiſcopi prius quidem Mogontino „ Archiepiſcopo ſubjecti, ſed tunc agente Impera- „ tore, à debita ſui obedientia abſoluti, *Magde-* „ *burgenſi* Eccleſiæ, ac ejus Archi-Epiſcopo cum „ præfatis confratribus fidem, & ſubjectionem pro- „ miſêre. Ipſe namque Imperator erat conſtructor

„ omnium

„ omnium harum, quas Archiepiſcopatui ſubjece-
„ rat, Epiſcopalium ſedium, nimirum infinitæ hæ-
„ reditatis ſuæ potiſſimum cupiens hæredem eſſe
„ DEUM, non pauca tamen relinquens ſucceſ-
„ ſioni filiorum.„ Hactenus documentum Mei-
bomianum.

Non omnino idem, nec plane tamen diverſum eſt fragmentum, quod Gabriel Coſſartius ex MS. Chronico *Anonymi Saxonis* in Anno Chriſti MCLXXX deſinente (eſt is *Saxo Chronographus* in Acceſſ. Hiſtoric. à Leibnitio poſtea editus) ab *Alexandro Wilthemio* Societatis noſtræ Sacerdote ſibi transmiſſum, Labbeanæ Collectioni Concil. T. XI. Col. 911, & ſeq. inſeruit. Sed in præſenti argumento eadem omnino verba conſtanter retinet. " Præterea *(inquit de Archi - Epiſcopo* Ex Chronographo Saxone.
„ *Magdeburg.)* ſtatuit, eum eſſe Metropolitanum
„ totius ultra *Salam,* & *Albiam,* Slavorum gentis,
„ tunc ad DEUM converſæ, vel convertendæ, &
„ ut ſecundum deſiderium Imperatoris in his civi-
„ tatibus, in quibus olim barbari ritûs maxima
„ viguit ſuperſtitio, id eſt, *Cizi, Miſni, Merſeburg,*
„ *Brandenburg, Havelberga, Poznani,* in honore
„ Domini, Epiſcopia fundarentur, quorum pa-
„ ſtores, ſecundum Canonicam Authoritatem,
„ *Magdeburgenſi* Archi-Epiſcopo fidem, & ſub-



Digitized by Google

„ jectionem debendo ſociarentur. „ &c. quæ ex Meibomio attulimus.

Neque vero aliter de Miſnenſi, ceteriſque tunc conſecratis ab *Adalberto* Magdeburgenſi Epiſcopis, ſentit Ditmarus, ætati, rebusque ibi geſtis proximus, ut Albinus ipſe Tit. XI. p. 158. fatetur. " Imperator „ (*ſcribit Ditmarus Lib. II. p. 334.*) - - *Adalbertum* „ Treverenſem, profeſſione Monachum, ſed *Ruſ-* „ *ſiæ* prius ordinatum Præſulem, & hinc à genti- „ libus expulſum, ad Archiepiſcopatûs apicem in- „ clytum patrem, & per omnia probatum anno „ Dominicæ incarnationis DCCCCLXX. XV. Kal. „ Novembr. Apoſtolica authoritate promovit. „ Tunc miſit eum ad ſedem ſuam cum magno „ honore, præcipiens univerſis Saxoniæ principi- „ bus, ut proximum natale Domini cum eo eſ- „ ſent. Archi-Epiſcopus autem à Clero, & omni „ populo magnifice ſuſceptus, in his feſtivis diebus „ conſecravit *Boſonem*, *Merſeburgenſis* Eccleſiæ „ Paſtorem, *Burckardum Miſnenſis* Eccleſiæ pro- „ viſorem, *Hugonem* Epiſcopum *Cizenſem*, *Ha-* „ *velburgenſis* Eccleſiæ cuſtodem his *Tudonem* „ cooptavit, prius coſecratum. Omnes hos, in- „ quam, conſecravit, ſubjectionem ſibi, ſuisque „ promittentes ſucceſſoribus, diſpoſita ſingulis qui- „ busque parochia ſpeciali. „ Hæc vero qui con-

Ex Ditmaro Merſeb.

ci-

Digitized by Google

ciliari cum Pontificio *Miſnenſis* exemptionis privilegio An. 968. vel ſequenti dato poſſint, equidem non video.

Ditmarum Annaliſta Saxo ad An. 969. totidem pene verbis more ſuo, repetit. Nec aliter ſentire videntur, quotquot *Miſnenſem* Epiſcopum inter *Magdeburgenſis* Eccleſiæ *Suffraganeos* aperte connumerant. In his Wolfherrus eſt *S. Godehardi* Hildesheimenſis Epiſcopi familiaris, ac Biographus, qui cum Cap. IV. Synodi *Francofurtenſis* conſeſſum accuratè deſcribit, de *Miſnenſi* Epiſcopo non aliter, ac de ceteris *Magdeburgenſis* Archi-Epiſcopi *Suffraganeis* loquitur: " A ſiniſtris *(inquit) Hunfridus* Parthenopolitanus *cum ſuis* „ (loquitur autem de *Suffraganeis*, Moguntini, „ Colonienſis & Magdeburgenſis) *Hildiwardo* Citizenſe, *Brunone* Merſeburgenſe, *Luizone* Havelbergenſe, *Thiederico Miſnenſe.* „ Apertius etiam Helmoldus, Niemius & Gobelinus, quos ſententiæ ſuæ ſuffragatores laudat Meibomius Tom. I. p. 736. *Miſnenſem* Epiſcopatum inter Metropolis Magdeburgenſis ſuffraganeos accenſent. Ex his primus Chron. Slav. Lib. I. c. 2. " *Magdeburgenſi* „ autem Epiſcopatui *(inquit)* ſubjecta eſt tota „ Slavia usque ad *Panim* fluvium: Epiſcopatus „ *ſuffraganei* quinque, quorum *Merſeburg* & *Cicen* „ ſuper

Ex Annaliſta Saxone.

ex Biographo S. Godeh. Ep.

ex Helmoldo aliisque.

„ ſuper *Salam* fluvium, *Miſna* vero ſuper *Albiam*, „ *Brandenburg* & *Havelberg* interius vadunt. „ Theodericus vero de Niem lib. de privilegiis, & juribus Imperii hæc habet: “ Hic etiam Impera- „ tor *Otto* venerabilem Metropolim *Magdebur-* „ *genſem*, & omnes ejus *Suffraganeos*, ſcilicet „ *Brandenburgenſem*, *Halverbergenſem*, *Miſnen-* „ *ſem*, *Zicenſem*, quæ nunc *Naumburgenſis* nun- „ cupatur, *Merſeburgenſem*, ſolemnes Cathedra- „ les Eccleſias - - de novo fundavit. „ Gobelinus denique perſona Coſmodrom. Æt. VI. c. 48. „ Anno Domini 970 (*ſcribit*) *Otto* Imperator, „ confirmatione Sedis Archi-Epiſcopalis in *Magde-* „ *burg*, cum conſenſu *Hildewardi* Halberſtadenſis „ à Sede Apoſtolica obtenta, XV. Kal. Novembr. „ *Adalbertum* quendam Treverenſem profeſſione „ monachum ad Archiepiſcopatus apicem in ipſa „ *Magdeburgenſi* Eccleſia primum promovit, *ſex* „ *Suffraganeos* ei ſubjiciendo, qui fuerunt *Merſe-* „ *burgenſis*, *Miſnenſis*, *Cizenſis*, qui alias dicitur „ *Nuemburgenſis*, & *Halvelbergenſis* -- cæteri duo, „ qui his additi ſunt, fuerunt *Brandenburgenſis*, „ *Poſnanienſis*, qui prius conſecrati fuerunt. „ Et vero Anno adhuc MCXXXV. *Conradus* Magdeburg. Archi-Epiſc. in literis, quibus confirmat cœnobium *Gratia DEI*, Præmonſtratenſis inſtituti, *Godeboldum Miſnenſem* Epiſcopum, inter

teſtes,

Digitized by Google

teſtes, *Suffraganeos ſuos* IV. loco adſcribit: "Hujus autem noſtræ ſanctionis *(inquit)* hi ſunt „idonei teſtes, *noſtræ Eccleſiæ Suffraganei*, vi„delicet *Udo Cizenſis* Epiſcopus, *Meyngotus Mer„ſeburgenſis* Epiſc. *Anſelmus Havelbergenſis* Epiſc. „*Godeboldus Miſnenſis* Epiſcopus, *Ludolſus Bran„denburg.* Epiſcopus &c. „ ut videre eſt apud Mencken. Tom. III. in Mantiſſa Diplom. Com. Leiſnic. Quibus e documentis manifeſtum fit ſatis, *Miſnenſem* Eccleſiam, ſaltem ab origine, contra ac literæ à Fabricio allatæ præferunt, non fuiſſe exemptam.

X.

Monachus certe Pirnenſis in Excerpt. Saxon. apud Menken. T. II. Col. 1583. *Miſnenſem* Epiſcopatum initio ſub *Magdeburgenſi* Metropoli fuiſſe, ac deinceps primo exemptum, & ſui juris factum diſerte fatetur. "*Meyſen (ſcribit eo loco)* nach „dem Biſchtum etwo *Talamincit* benannt, von „Keiſer *Otto* dem Erſten, im XXX Jahr ſeines „Reichs, im VI. des Keiſertum geſtift, erſtlich „unter dem Ertzbiſtum czu *Magdburck;* darnach „davon ganz eximirt, und befreyet, ohne Mittel „unter den Babſt geſchlagen. „ Id quod & Paulus Langius in Chronico Citizenſi. p. 1123. confirmat, qui ubi *Magdeburgenſis* Archiepiſcopatus tractat originem, hæc ſubjicit: "Subjecit autem (*Adel-*

Miſnenſis Eccleſia quando exempta.

„ *berto* Magdeburgenſi) epiſcopatus *Suffraganeos*, „ quos & idem Otto fundaverat, quinque: *Ha-* „ *velbergenſem, Brandenburgenſem, Merſeburgen-* „ *ſem, Miſnenſem, qui nunc eſt exemptus*, & no- „ ſtrum *Citzenſem*. „ Hinc audiendus non eſt Author Chronici Magdeburgenſis, qui quod eam exemptionem iniquius ferret, eam tanquam ſurreptitiam inceſſere non veretur. " Tempore *Al-* „ *berti* Archiepiſcopi *(ſcribit is apud Meibomium* „ *Tom. II. n. 351.) Wilhelmus* monoculus, Mar- „ chio Miſnenſis, impetravit exemptionem Eccle- „ ſiæ, & Diœceſis *Miſſen.* contra *Magdeburgi* Ec- „ cleſiam, & *Pragen.* Anno Domini MCCCCII ſur- „ reptitie narrant, quod Eccleſia *Miſn.* cum omni- „ bus pertinentiis ſuis ab ejus primæva fundatione, „ ac creatione, libera, & exempta ac Sedi Apoſto- „ licæ ita mediate (f. immediate) ſubjecta fuiſſet, „ tamen poſtmodum eadem Eccleſia Archiepiſcopo „ *Magdeburg.* pro tempore exiſtendi (f. exiſtenti) „ *jure Metropolitico* primo; deinde Archiepiſcopo „ *Pragenſi*, etiam pro tempore exiſtenti, qui le- „ gatus natus exſtitit, *jure Legationis*, auctoritate „ Apoſtolica per nonnullos Romanos Pontifices „ extitit ſubjecta. Sed conſtat, quod hoc eſt fal- „ ſum, quia **Otto Magnus** fundavit Eccleſiam „ Magdeburg. & ſeptem Eccleſias *Suffraganeas*, vi- „ delicet *Miſnenſem*, *Citzenſem*, *Merſeburg.* &c.

„&

„ & omnes ſubjecit Eccleſiæ *Magdeburgenſi*, ut „ patet in principio hujus Chronicæ: inde etiam „ & bella, & lites exortæ fuerunt inter Archi- „ Epiſcopum *Guntherum*, & Marchiones *Miſnen-* „ *ſes*, & appida, & villæ hinc, inde devaſtata, & „ deſtructa, & hodie diſplicentia manet. Hæc „ etiam ſurreptiva bulla exemptionis expedita eſt „ *per Cameram*, non *per Cancellariam*, quia Papa „ ſemper, quando confirmat Epiſcopum *Miſnen-* „ *ſem*, in ſuis bullis ſervat *jus Metropolitani ſal-* „ *vum.* „ Quæ poſtrema *per Cameram*, & *Can-cellariam* diſtinguendi ratio, ſi recipiatur ſemel, in incerto certiſſima etiam fluctuabunt. Credibile eſt, *Bonifacio IX.* Pontifici alias præterea cauſas, & ab iis, quas Chronographus Magdeburg. hoc loco affert, multum diverſas ob oculos eſſe poſitas, quibus permotus Pontifex ad hanc *Miſnenſis* Eccleſiæ exemptionem deſcenderit.

A *Miſnenſi* Eccleſia ad ejus nunc Epiſcopos gradum faciamus. Quadraginta, & paulo plures, quamdiu in fide, & obſequio Romani Pontificis perſtitit, plerique numerant, qui res *Miſnenſis* Eccleſiæ attigere: ſed neque eandem omnes ſeriem, neque certos ubique Epiſcopatus annos numerant. Inter hos tamen quos viderim, Georgii Fabricii in Annalibus Urbis *Miſnæ*, & Petri Epiſcoporum Miſnenſium numerus.

Al-

Digitized by Google

Albini in Chronico Miſnenſis Provinciæ, præcipuum nomen eſt: Sebaſtiani enim Artomedis, & quem Albinus laudat, Eraſmi Stellæ commentarii in manus meas non venêre, nec magno uſui fuit ſcriptor Anonymus, qui Epiſcopatuum Germaniæ eorumque Antiſtitum catalogos ſub hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Germaniæ nomine, Bruxellis lingua Gallica An. MDCCXXIV. vulgavit. Petri Albini porro ſi Epiſcopatus etiam Miſnenſis Chronicon, quod manuſcriptum adhuc latere audio, nanciſci potuiſſem, haud paulo mihi expeditior, in rebus procul poſitis, ſcribendi fuiſſet ratio: nunc cum ea adjumenta deſint, è Fabrico fere, & Miſnenſium literarum breviario, (quem MS. Codicem, Anno MDLXXXI, quo Miſnenſis Epiſcopatus in manus *Auguſti*, Saxoniæ Electoris venit, confectum teneo) ſupplenda erunt, quæ temporum calamitas Eccleſiaſticæ notitiæ ſubtraxit.

SE-

Digitized by Google

# SERIES
# EPISCOPORUM MISNENSIUM.

## I. BURCHARDUS.

Primum *Miſnenſis* Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe *Burchardum*, inter omnes convenit: id enim poſt Ditmarum Merſeburgenſem Lib. 2. p. 335. Chronographus & Annaliſta Saxo: & ex recentioribus Monachus Pirnenſis in Excerptis Saxon. Langius in Chronico Citizenſi, Fabricius, Albinus, Leuberus extra controverſiam ponunt. *Adalbertus*, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, "in his feſtivis „diebus conſecravit *Boſonem*, Merſeburgenſis Eccleſiæ Pa- „ſtorem, *Burchardum*, *Miſnenſis Eccleſiæ proviſorem*, *Hu-* „*gonem*, Epiſcopum *Citizenſem* &c. „ inquit Ditmarus, qui plura de *Burchardo* non habet.

*Burchardus ab Adalberto, Magdeb. Archiepiſcopo, conſecratur.*

Quis porro, vel unde fuerit *Burchardus*, nemo, quod ſciam, veterum tradidit. Fabricius in Annal. Urbis Miſnæ

ad An. DCCCCLVIII. hæc de eo, incertum unde accepta, ſcribit: "Præfuit (*Miſnenſi* Eccleſiæ) primo loco *Burchar-* „*dus*, *Othoni* Imperatori â Sacris, qui auctoritate *Hilde-* „*berti* Antiſtitis Moguntini é Cœnobio Ratisbonenſe cura- „tor miſſus nomine, ac titulo Paſtoris, annos circiter vi- „ginti eam rexit.„ Ad annum deinde DCCCCLXX. addit: "*Burchardus* proviſor Eccleſiæ Miſnenſis, ut Ditma- „rus eum nominat, ab *Alberto* Trevirenſe (Supple: quon- „dam Monacho, tum vero *Magdeburgenſi* Archiepiſcopo) „in præſulem conſecratur XV. Cal. Novembris una cum „*Boſone* Mersburgio.„ Ad annum denique CMLXXII. mortem *Burchardi* conſignat his verbis: "Præſul (*Bur-* „*chardus*) in ſuo pontificatu nihil egit, quam quod con- „firmationem Pontificiam, & Cæſaream donationem ple- „bi publicavit. In itinere, lapſus de equo, cervices fre- „git XVIII. Cal. Julii.„

*Fabricii de eo narratio*

Multa hac in narratione inſunt obelo digna. Quorſum enim, ut â primis ordiar, An. DCCCCLVIII. præfigitur? an *Burchardus* eo primum anno *Ottoni* Imperatori â Sacris eſſe cœpit? an potius *Miſnenſi* Eccleſiæ Paſtor, ac curator ab *Hildeberto* Moguntino Archiepiſcopo miſſus eſt? atqui eo anno *Hildebertus* Moguntinus non amplius in vivis fuit, Anno abhinc undeviceſimo jam extinctus. Sic enim Necrologium Fuldenſe, quo ex cœnobio *Hildebertus*, teſte Joanne Latomo in Catalogo Mogunt. Archiepp. apud Menckenium T. III. Col. 470. ad ejus Eccleſiæ faſtigium evectus eſt, ad An. DCCCCXXXVII. ſignat apud Schannatum in Hiſt. Fuld. p. 472. "An. „DCCCCXXXVII. II Kal. Jun. *Hiltibracht* Archiepp.„ quem annum, diemque mortis ipſe etiam Ditmarus Lib. II. p. 338. confirmat. "*Hildebertus* (inquit) qui cum „(*Ot-*

*in pluribus ſubleſta.*

„(*Ottonem* M.) unxit Archiepiſcopus, in ſecundo Regni „ſuimet anno, obdormivit in Chriſto II. Cal. Junii.„ igitur An. DCCCCLVIII. ad ſacra obſequia *Ottonis* M. mitti ab *Hiltiberto* Moguntino Burchardus non potuit. Sed neque ad *Miſnenſis* Eccleſiæ procurationem hoc anno dimiſſum ab *Ottone* Rege, ſuſtineri poteſt: Cum enim teſte eodem Fabricio, *Miſnenſem* Eccleſiam *annos circiter viginti* Burchardus rexerit, isque, ut idem ſcribit, An. DCCCCLXXII. jam defunctus ſit; anni XIV. pro *viginti circiter* numerandi eſſent: quem anachroniſmum nemo non videt.

*Burchardum* præterea e *Ratisbonenſi* cœnobio extractum, & Ottoni M. a Sacris fuiſſe juſſum, Fabricius tradit: id ut verum eſſe poſſit; ita narrationis ſimilitudo ſuſpicionem movet, ne, quæ de *Boſone*, Merſeburgenſi poſtea Epiſcopo, ex *Ratisbonenſi* Monaſterio ad ſervitium Cæſaris aſſumpto, ſcribit Ditmarus Lib. II. p. 339. ad *Burchardum* transferat Fabricius, de quo veteres nihil meminêre.

Jam vero, quod ad eundem annum DCCCCLVIII. narrat de dicata, confirmataque eodem anno â *Joanne XIII.* Pontifice Miſnenſi Eccleſia Fabricius, conſiſtere omnino non poteſt. " An. DCCCCLVIII. (*inquit*) Dicata Eccleſia „ *Miſnenſis*, proximo die Dominico, ante Divi *Martini* „ feſtum, jubente *Othone I.* Imp., qui patris eam teſta„mento perfecit. - - Fundationem *Othonis* (Johannes) „ XIII. Pontifex confirmavit, anno ſuæ ſeſſionis tertio, & „ poſt victos (An. DCCCCLV.) ab *Othone* Imperatore in „ Lyci campo Ungaros, itidem tertio: Subſcripſerunt Præ„ ſules undequadraginta. „ Eo enim anno *Joannes* PP. non XIII. ſed XII. ſedit- & *Otto I.* (cujus tamen Imperii annus jam VII. cum Ottonis II. anno primo in Pontificiæ



Digitized by Google

confirmationis literis, eodem anno â Fabricio allatis, conjunctus legitur) nondum Imperator fuit.

Errat deinde Fabricius in eo, quod *Udonem* Haudburgium (*Tudonem Havelbergium* ſcribere volebat) ſimul cum *Boſone*, *Burchardo*, & *Hugone* An. DCCCCLXX. conſecratum eſſe Epiſcopum XV. Cal. Novembr. velit: id enim Ditmarus Lib. II. p. 335. Annaliſta, & Chronographus Saxo manifeſte refellunt, qui eundem *Tudonem* jam *prius conſecratum* diſerte docent.

Demum credibile non eſt, quod poſtremo loco adjicit Fabricius: *Burchardum* in Pontificatu nihil egiſſe, niſi "quod confirmationem Pontificiam, & Cæſaream donationem plebi publicavit." Ut enim brevis illi Epiſcopatus contigerit, annis etiam & laboribus jam feſſo; quis credat tamen, Virum Apoſtolico in Opere tota vita exercitum, ad otium ſtatim â novæ dignitatis aditu deflexiſſe? Ignoraſſe mihi etiam Fabricius videtur, quæ Epiſcopi partes eſſent, præſertim inter neophytos, ac paganos; nec enim his confirmatio Pontificia, & neſcio, quæ Cæſareæ donationis prælegendæ erant tabulæ; ſed fides, moresque Chriſtiani rudibus mentibus imprimendi, formandi idonei Sacrorum ac Sacramentorum miniſtri, totius Eccleſiaſticæ formæ, diſciplinæque ratio per omnem Diœceſis amplitudinem conſtituenda.

Rectius paulo Albinus de *Burchardo* ſenſiſſe videtur, quanquam aliena potius, quam ſuâ ex ſententiâ: is enim, poſtquam Fabricium in aſſignando tempore ſuſceptæ â *Burchardo* Eccleſiaſticæ præfecturæ corrigit; authorem laudat Eraſmum Stellam, qui *tranſalbinos Slavos* ad Chriſtiana Sacra *Burchardi* inſtitutione traductos, primus memi-

Digitized by Google

meminerit. Illud deinde adjungit commode: *Burchardi* hujus eſſe inſtituta, quæ Hieronymus Emſerus de diſciplina, moribusque Miſnenſium Canonicorum prædicat.

Is locus Emſeri in Prologo vitæ S. Bennonis, Miſnenſis Ep. apud Henſchenium ad XVI. Junii ſic habet. " Ecclesiæ (*Miſnenſi*) hoc modo conſtitutæ Imperator (*Otto* M.) *Burchardum* quendam primum deſtinavit Epiſcopum, virum venerabilem, & multa religione inſignem: â *Joanne* prædicto (XII. PP.) ſimul cum Epiſcopio ipſo confirmatus, Collegium inſtituit Canonicorum, & Sacerdotum Chriſti: qui inſtar temporum ſuorum primo (legendum forte: *temporum primorum ſolebant*) omnia habere communia, ſimulque una veſci menſâ, & in uno condormire loco, Canonicas horas, & Divina omnia pariter, & cum multa celebrare dignitate ac reverentia: neque in choro, neque extra chorum aliud agere, quam vel orare, vel ſupinis in cælum rapi oculis, ac manibus, nulla data in eodem loco, quæ multorum conſuetudo eſt, confabulandi licentia: qui mos in hodiernum usque diem, (*ſcripſit hæc Emſerus An. MDXII.*) in Eccleſia *Miſnenſi* pie, ſanctequc adſervatur. Ubi enim Sacerdotes nulla ad chorum neceſſitate adſtringuntur, in abditiſſimos angulos ſeſe penetrant, & ſecretiora quædam Templi loca petentes, aut genu flexo, aut toto proſtrati corpore proni adorant. Idem etiam *Burchardus* vehementer deſiderans clerum Eccleſiæ ſuæ, ſicut morum vitæque honeſtate, ita habitu quoque â ceteris diſcerni, primus pallio nigro, linea veſte ſuper injecta illos uti docuit: quo quidem amictu hodie etiam incedunt, non tamen niſi ſtatis anni temporibus, & præcipue eſurialibus Quadrageſimæ feriis. "

***Burchardi Epiſc. inſtituta Miſn. Canonicis præſcripta.***

*ejus rerum veriſimilis ſeries.*

Atque hæc fere ſunt, quæ ex omni antiquitate de *Burchardo* colligi potuere. Ex his ſi contexere ejus vitæ ſeriem veriſimilem velimus aliquam, *Burchardus* ab *Hildeberto* Moguntino Archiepiſcopo, vel poſt collectam *Erfurti* An. DCCCCXXXV. Synodum (de qua præter Joannem Latomum in Catalogo Mogunt. Archi-Epiſc. Hildesheimenſes Annales apud Leibnit. T. I. p. 717.) *Henrico* Regi; vel poſt *Ottonis Magni* coronationem, eidem Germaniæ Regi, ad Capellæ ejus Sacra obſequia miſſus fuerit, è Cænobio (ut per id tempus fere ſolebat) ſeu Ratisbonenſi, ut Fabricio, & Albino placet, ſeu quocunque alio extractus: inde ſub An. DCCCCXXXVIII. (in Ottonis Diplomate Annus DCCCCXLVIII. ponitur apud Lunigium Spicil. Eccleſ. P. II. Append. p. 96.) quo Fundatio Miſnenſis Eccleſiæ, novique ejus limites ab *Ottone* M. conſtituti ſunt, ad excolendam ſacro opere eam Domini vineam admotus, in ea annos XX. vel XXX. laboravit. Tum vero, cum abſoluta jam, dedicataque An. DCCCCLXVIII. Miſnenſi Baſilica, cum *Boſone* (cui Teſte Ditmaro Lib. II. p. 339. eligendum unum de tribus, quos conſtituere cogitabat, Epiſcopatibus, *Miſnenſi*, *Cicenſi*, atque *Merſeburgenſi* optio ab *Ottone* M. data eſt, cum *Merſeburgenſem*, majoris quietis causâ, ille elegiſſet) & *Hugone* Cicenſi, ad *Miſnenſis* Epiſcopatûs honorem evectus, annoque DCCCCLXIX. in Natali Domini, unde Ditmarus, eorum temporum more An. DCCCCLXX. orditur, ab *Adelberto* Magdeburgenſi Archiepiſcopo conſecratus continuatum jam multis annis in ordinanda Eccleſia, adducendis ad Chriſtum tranſalbinis populis, conſtituendis Sacerdotiis, Canonicisſque ad æquabilem vitæ normam exemplo ſuo, legumque præcepto informandis loborem ad An. DCCCCLXXII. perduxit, quo teſte Fabricio, & Albino (alios enim, quos ſequa-

Digitized by Google

ſequamur, non habemus) in itinere, equo lapſus, vitam clauſit, Cal. Jul. ut habet Albinus p. 278. aut Cal. Julii, ut notat Fabricius, extinctus.

## II. Volcoldus.

*Volcoldi Epiſc. initia.*

*Burchardo* eodem anno *Volcoldus* ſuffectus eſt: hunc enim inter *Miſnenſes* Epiſcopos locum veteres illi, recenteſque Scriptores omnes, poſt Ditmarum, tribuunt. Fabricius de eo, nec ſine laude hæc memorat ad An. DCCCCLXXII. " Succedit (Burkhardo) *Volcbuldus*, „ ſeu (ut Lambertus) *Volcradus* Vuilligiſii Moguntini An„ tiſtitis Familiaris. Hic tempora lectionum, & Oratio„ nis, & munerum Eccleſiaſticorum diſtribuit: Cibum „ cum Canonicis ſumpſit, qui temporibus melioribus in „ his terris, non proprias rexerunt Familias, ſed Familia „ fuerunt Præſulis: neque adminiſtris vicariis uſi ſunt, ſed „ miniſtri Eccleſiæ ipſi fuerunt. Prima enim iſtorum col„ legiorum inſtitutio diſciplinæ monaſticæ erat ſimillima: „ & hæc Eccleſia in literis Pontificiis (*Joannis XIII.* ſupra „ recitatis) *Monaſterium* appellatur. „

*Canonicis Ordinem diurnum præſcribit:*

Hæc cum recte, pieque â *Volcoldo* agerentur, ad Eccleſiam *Miſnenſem* inexpectata, ſed parum etiam diuturna, acceſſio facta eſt. Cum enim *Giſilerus* è Merſeburgenſi ad Magdeburgenſem promotus eſſet Eccleſiam, laudato â nemine conſilio, *Merſeburgenſem* Epiſcopatum penitus ſuppreſſit, partitiſque trifariam locis ejus juri obnoxiis, alia *Cizenſi*, alia *Miſnenſi* Epiſcopatui adjecit, " no„ vem vero meliores urbes (ut loquitur Chronographus „ Magdeburgenſis) ſuo ſpecialiter uſui detinuit. „ Amarè deplorat hanc jacturam Ditmarus, Merſeburgenſis Epiſcopus

Lib.

Digitized by Google

Lib. III. p. 345. "Tunc (*inquit*) omnia, noſtram prius „Eccleſiam reſpicientia, diviſa ſunt miſerabiliter, Sclavo-„nicæ ritu Familiæ, quæ accuſata venumdando diſpergi-„tur. Pars Epiſcopatûs noſtri, quæ jacebat inter *Salam*, „& *Eliſtram*, ac *Mildam* fluvios, & *Pliſni*, *Vedu*, & „*Tucburrino* pagos cum villis paſſim, & piſcinis *Friderico* „*Cicenſi* datur Epiſcopo; *Volcoldo* autem *Miſnenſis* Eccle-„ſiæ Antiſtiti pars illa conceditur cum adpertinentibus „villis *Wiſſenburg*, & *Loſtatanna*, quæ ad *Gutici* Orienta-„lem pertinent, ac fluminis *Caminitz*, *Albique* diſtingui-„tur: ſibi autem retinuit *Giſilerus* IX. urbes &c.„ Annaliſta Saxo hanc Merſeburgenſis Epiſcopatus ſectionem recte ad An. DCCCCLXXXI. refert, quo anno, ut ex Ditmaro, & Necrologio Fuldenſi conſtat, *Adalberto* Magdeburgenſi XII. Cal. Julii defuncto ſuffectus eſt *Giſilerus*.

*Partem ex diſtracto Merſeb. Epiſcopatu acquirit.*

Sed triennio vix quieta hujus acceſſionis poſſeſſione uſus *Volcoldus*, ſede ipſe ſuâ â Bohemorum Duce, ob neſcio, quas factioſæ plebis quiritationes, expellitur. Extorris urbe ſua ad *Willigiſum* Moguntinum Archiepoſcopum, qui apud *Ottonem II.* Imperatorem omnia poterat, ſe contulit: ſuſceptus ab eo non benigne modo, ſed honorifice, & *Erfordiæ*, qua in urbe exilium ſolari ſuum cupiebat, laute, ampliterque eſt habitus, donec *Boleslai* ex *Miſnenſi* urbe receſſu, in ſedem rediret ſuam. Narrat hæc more ſuo fuſe, & obſcure Ditmarus Lib. IV. p. 348. & quæ Fabricius perperam ad An. DCCCCLXXVIII. Annaliſta Saxo recte ad An. DCCCCLXXXIV. refert: Sic enim ibi: "Poſt hæc *Henricus* (Dux Bavariæ *Ottoni II.* perduellis) *Bolizlaum* Ducem Boemiorum in cunctis neceſſitatibus ſibi ſemper paratum cum ſuis adiit, honorificeque ab eo ſuſceptus, cum exercitu ejus â finibus ſuis

*Urbe ſua ejicitur.*

„per

„per *Miſeni* (rectius *Niſeni*, ut eſt apud Ditmarum) & „*Deleminci* pagos, usque ad *Mogelin* ducitur. Deinde „cum noſtris obviam ſibi venientibus, ad *Medeburun* „proficiſcitur, *Wagio* vero miles *Bolizlavi* Ducis Boëmio„rum, qui *Heinricum* Ducem cum exercitu comitabatur, „cum ad *Miſni* redeundo veniret, cum habitantibus pau„ca locutus, *Fridericum Ricdagi* Marchionis, tunc in *Mer*„*ſeburg* commorantis, amicum, & ſatellitem ad Eccle„ſiam extra urbem poſitam venire, ac cum eo loqui per „internuntium poſtulavit. Hic ut egreditur, porta poſt „eum clauditur, & *Ricdagus* ejusdem civitatis cuſtos, & „inclytus miles, juxta fluvium, qui *Tribiſa* dicitur, ab his „doloſe occiditur. Urbs autem prædicta, *Bolizlavi* mox „præſidio munita eundem cito Dominum, & habitato„rem ſuſcepit. A quo *Folcoldus* Antiſtes vulgi varii in„ſtinctu expellitur, & ad *Willegiſum* Archiepiſcopum pro „Filio nutritum, & cum ad eas ordinaretur partes, ſecun„do *Ottoni*, cui magiſterio præfuit, diligenter vice ſui „habendum commiſit. Hoc ſemper Archiepiſcopus in „animo tenuit, & maximo honore recognovit, & tunc „maxime cum ſibi neceſſe fuit, etiam in *Erpesforde*, „(Ditmar. *Erfordia*) quod ipſe deſideravit, procurari „ſummo ſtudio præcepit. „

*A Willegiſo Moguntino ſuſcipitur.*

Qua ex narratione illud primum pateſcere videtur, *Volcoldum Ottonis II.* formandæ pueritiæ fuiſſe olim præfectum, quæ res dignitatis erat per ſe maximæ, virumque poſcebat, ut doctrina, ita moribus eximium: ex ejus deinde diſciplina educationeque prodiiſſe *Willigiſum*, Moguntinum Antiſtitem, qui claritudine nominis, & Eccleſiam illuſtravit ſuam, & *Ottonis II.* ac *III.* Imperio primas fere in republica tenuit.

F Ab

Digitized by Google

Ab hujus *Willigiſi* forte perpetua in *Volcoldum* benevolentia illud quoque beneficium, quod Otto III. ſub An. DCCCCLXXXIX. (ſic enim potius, ut in literis, quam An. DCCCCLXXXIII. qui in margine MS. Codicis notatur, legendum, quod *Otto III.* III. Cal. Martii, quo donatio *Francofurti* facta eſt, nondum imperaverit; Otto vero II. eodem anno Romæ extinctus, in Germaniam non venerit) *Miſnenſi* Eccleſiæ contulit. Largitionis porro hæc ſumma in Regiſtro literarum Miſnenſis Eccleſiæ An. 1581. confecto, quod MS. penes me eſt, ſic habet: " *Otto* „ Imperator An. DCCCCLXXXIX. donat Eccleſiæ *Miſnenſi*, „ cui *Folcholdus* Ep. tum præerat, pagum *Setleboresdorf* in „ Burgvvardo *Boruz* ad *Albim* ſitum, cum omni jure, quo „ Imperator illum habuit, & cum omni utilitatis jure, quod „ Imperator â *Belegora* urbe ſurſum usque ad portum „ *Miſnenſis* Eccleſiæ ex utrâque *Albis* ripa habuit, & cum „ decimis frugum, pecoris, auri, mellis &c. *Setleboresdorffenſibus* vero poteſtatem facit, in utroque *Albis* litore, „ quidquid utilitatis in aquis, ſylvis, pratis, & paſcuis habere poſſunt, libere conquirendi. Actum *Franconofort* „ III. Cal. Martii. „ Ita donationis hujus breviarium ex Teutonico Latine redditum.

*Ottonis III. Donatio Eccleſiæ Miſnenſi facta.*

Ex *Ottonis III.* literæ ſimul indicio ſunt, *Volcoldum* jam tum Eccleſiæ ſuæ fuiſſe reſtitutum, ſecus ac Fabricius ſentit, qui ejus reditum differt in An. DCCCCXC. Sic enim ille: " *Echardus* Marchio ex *Miſna* Boemos ejicit, Volchuldum reducit: Præſuli Boëmus (*Boleslaus* Dux) pro „ illata injuria ſatisfacit, eumque recipit in fidem, & amicitiam. „ Nihil de ejectis per vim ab Urbe Bohemis Ditmarus, nihil Annaliſta Saxo: Ex his prior Lib. IV. p. 348. de *Volcoldo* Erfordia *Miſnam* reducto, hæc tantum narrat: " Ibi

*Volcoldus redit ad ſedem ſuam.*

Digitized by Google

" Ibi diu converſatus, poſt mortem *Rigdagi* Marchionis, „ inclyto *Ekkihardo* ſuccedente, & *Bolizlavo* ad propria re- „ meante, ſedem propriam reviſit. „ Poſterior annum reverſi *Miſnam Volcoldi* aperte indicat DCCCCLXXXV. ita enim ad eundem annum, & mortem *Ricdagi*, & *Eckardi* ſucceſſionem, & *Volcoldi* in *Miſniam* reditum complectitur: " *Theodericus*, & *Ricdagus* Marchiones præclari „ obierunt: - - huic ſucceſſit *Ekkihardus*, *Gunthariі* Filius, „ vir magnæ induſtriæ - - factus autem Marchio *Miſnam* „ civitatem â *Bolizlao* Duce recepit. Tunc *Folcoldus Miſ-* „ *nenſis* Epiſcopus â *Willegiſo* Archiepiſcopo reverſus eſt. „ Verum cum idem Scriptor, eodem anno, receptum in gratiam *Henricum* Bavariæ Ducem, Paſchateque proximo, *Bolizlavum* etiam, & *Miſeconem* regiis muneribus *Quedelingeburgi*, quo fidei, & obſequii cauſa acceſſerant, ab *Ottone III.* affectos ſcribat, ſatis innuere videtur, cur *Bolizlaus*, & Bohemi, qui *Henrici* Bavari, tum perduellis, partes prius ſecuti erant; eo nunc reſtituto, cauſaque belli ſublata, ultro nunc etiam *Miſnam* Urbem, & ſiquæ alia belli tempore occupata tenuerant, renovata nunc pace reſtituerunt.

Haud ita facile dictu eſt, quo tempore ea contigerint, quæ & Ditmarus in unum velut cumulum conjicit; & Annaliſta Saxo eodem An. DCCCCLXXXV. concludit. Ditmari narratio hæc eſt Lib. IV. p. 348. de Volcoldo: " Poſtea „ *Bolizlavi* amicitiam firmiter acquirens, cum in Praga „ *cœnam Domini* celebraret, poſteraque die, quæ eſt *Pa-* „ *raſceve*, cum memoriam dominicæ Paſſionis rite pera- „ geret, paralyſi perculſus aſportatur, & in hac infirmi- „ tate uſque ad finem hujus vitæ, quamvis ad tempus con- „ valeſceret, permanſit. Sedebat XXIII. annos. X. Cal. Sept.

**Pragæ in morbum incidit.**



Digitized by Google

„ ex hujus carnis ergaſtulo eductus. „ Certum tamen videtur, eam *Volcoldi* profectionem in Bohemiam Ann. DCCCCLXXXV. non contigiſſe: Cùm enim *Bolizlavus* Dux eo anno Paſcha *Quedlinburgi* egerit apud Cæſarem; *Volcoldus* eo abſente *Pragam* non acceſſerit. In re incerta veriſimilis conjectura eſt, *Volcoldum* ante exortum inter *Bolislaum*, & *Miſeconem* An. DCCCCLXXXX. diſcordiam, iter id aggreſſum: paralyſin, in quam incidit, non ut Fabricius vult, *paucis horis* tenuiſſe; ſed plures in annos, *quamvis ad tempus convaleſceret*, ut ait Ditmarus, eſſe productam: donec tandem anno Epiſcopatus ſui XXIII. qui in tertium, ac nonageſimum ſæculi hujus annum cadit, quem *Volcoldo* ſupremum Langius in Chronico Citiz. p. 1134. ſtatuit, ætasque ſedis *Eidonis* Succeſſoris confirmat. X. Cal. Sept. funus fuit.

*moritur.*

Quæ Fabricius de *Volcoldo* addit, ejus fide referamus. “ Tempore ſuo difficillimo (*inquit*) cum ſumptus ſupervacaneos detrahendo, tum neceſſarios moderate faciendo, „ ut res Eccleſiaſtica plurimum augeretur, effecerat. „ Nam Comitis *Eſiconis* bona comparavit *Wurcinam*, *Bicham*, *Bauchum*, *Lubenitium* anno Seſſionis duodecimo. „ Hic *Waltardo*, & *Geroni* Magdeburgiis infulas impoſuit, „ & pedum tradidit. Oculis propter ſtudia lippis, & caligantibus fuiſſe ſcribitur. Familiam ſuam regebat, non „ tam imperio, quam exemplo. „ Quæ de *Waltardo*, & *Gerone* Magdeburgicis hic intexuit Fabricius, manifeſte falſa ſunt: utrumque enim *Eido* Miſnenſis, *Volcoldi* Succeſſor, Pontificali in Solio collocavit, ut paulo poſt ex Ditmaro oſtendemus: *Wurcinam* etiam, *Bicham*, & *Lubenitium*, non *Volcoldus*, ſed *Eido* etiam in feudum accepit, ut mox dicetur.

III.

Digitized by Google

# III. Eido.

Proximum à *Volcoldo* locum inter Miſniæ Antiſtites *Eido* tenuit, *Ido* aliis, *Egedus*, & *Eico* appellatus: Ditmarus ejus Familiaris, enarrata *Volcodi* morte, Lib. IV. p. 348. ſubjungit: " In hujus vice *Eid*, noſtræ congregationis fra„ter, vir juſtus, & magnæ ſimplicitatis ordinatur, hor„tatu *Giſileri* Archi-Præſulis: de cujus inclyta converſa„tione multa ad ædificationem noſtram utilia, cum tem„pus fuerit, narrabo. „ Illuſtri domo, & *Rochliciorum* Comitum ſanguine prognatum, Fabricius ipſe ad An. DCCCCXCIV. fatetur. " *Volchuldo (ſcribit eo loco)* ſucce„dit vir generoſus, & eruditus *Ido*, Comes *Rochlicius*, è „collegio Mersburgio (rectius *Magdeburgico*) quem *Gi*„*ſelerus* Antiſtes Magdeburgius eo honore dignum cen„ſuit. „ Pergit deinde laudare viri eximii pios labores: " Hic (*inquit*) in muneribus Eccleſiaſticis, baptizando, „concionando, Sacra adminiſtrando, diligens fuit, ne„que ſuæ modo Eccleſiæ fructum illum tulit; ſed & *Van*„*dalis* (Slavos *Venedos* intelligit) tranſalbinis conciona„tus eſt. „ Melius adhuc de *Eidone* ſentit, ſcribitque author Chronici Coldicenſis: " Fuit *Eido* (verba ſunt Chro„nici Ditmarum referentis) nobilis genere, dives in præ„diis, ſed amore ſpiritualis paupertatis hæc omnia nihili „fecit. Ante conſecrationem ſuam cum ceteris fratribus „Magdeburgi regulariter, ac laudabiliter vixit: deinde ſa„cris officiis docendo, & prædicando ad altiora aſcendit, „& pro viribus ſuis Apoſtolorum imitatus eſt vitam. „

*Eido Ep. ex gente Rochlitia*

*& Collegio Magdeb.*

*Ejus Vita Apoſtolica.*

Annus vixdum exierat unus, cum Auguſtum hoſpitem ſua in urbe ſuſcepit *Ottonem III.* Imp. Is *Roma* reverſus

An. DCCCCXCV. iter in Poloniam ſuſcepit. *Ratisbona* itaque *Cizam.* " Deindeque (*narrat Ditmarus* Lib. IX. „ p. 357.) recto itinere *Miſnenſem* tendens ad civitatem â „ Venerabili *Egedo*, hujus Eccleſiæ Epiſcopo, & â Marchio- „ ne *Ekkihardo*, qui apud eum inter præcipuos habebatur, „ honorabiliter accipitur. „ Reddidiſſe Ottonem III. largam hoſpitii gratiam *Eidoni* Antiſtiti, patet ex donatione, quam eodem is anno *Havelbergæ* pridie Non. Octobres *Eidoni*, ac *Miſnenſi* Eccleſiæ fecit ex bonis *Eſiconis* Comitis. Extant ea de re Ottonis III. literæ apud Lunigium Spicileg. Eccl. continuat. 1. p. 835. quæ ſequuntur.

*Otton. III. Donatio Eccl. Miſnenſi facta.*

*In Nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, OTTO, Divina favente clementia Rex. Omnium fidelium noſtrorum, tam præſentium, quam futurorum noverit induſtria, quomodo nos ob remedium animæ noſtræ, parentumque noſtrorum, & per interventum EICONIS venerabilis Epiſcopi dedimus beneficium cujusdam fidelis noſtri ESICONIS Comitis videlicet WURCIN, BICHIN, POHUS, GERISCHO, LUBANIZ, NERCI SCIMMANSTEDI, UNSCIA, POTORISCI, inſuper quicquid noſtri juris habuerit beneficii, totum ad Epiſcopatum in honore S. DONATI Martyris conſtructum in civitate Miſna vocata, cui isdem Venerabilis Præſul in præſenti præſidet, atque id ipſum beneficium ex integro ubicunque jaceat cum omnibus utenſilibus ſuis, hoc eſt, areis, ædificiis, terris cultis, & incultis, agris, pratis, campis, paſcuis, ſilvis, venationibus, aquis, aquarum decurſibus, piſcationibus, molendinis, viis, & inviis, exitibus, & reditibus; quæſitis, & inquirendis, mancipiis utriusque ſexûs, cunctisque aliis appendiciis, quæ adhuc dici, inveniri, aut nominari poſſunt, & in proprium tradidimus, ea videlcet ratione, ut jam dictus EICO Epiſcopus, ſuique ſucceſſores liberam dehinc habeant*

*beant poteſtatem diſponendi, ordinandi, & in uſum Monaſterii faciendi. Et ut hæc noſtra regalis traditio, nunc, & in futuro inconvulſa permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum ſigilli noſtri impreſſione juſſimus ſignare, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.*

*Signum Domini Ottonis glorioſiſſimi Regis.*

*Wilibaldus Epiſcopus, & Cancellarius Willigiſi Archiepiſcopi recognovi. Data II. Non. Octobris, Anno Dominicæ incarnationis DCCCCXCV. indictione VIII. anno autem tertii Ottonis regnantis XII. actum HAVELIMBERGÆ feliciter. Amen.*

Recitat etiam earum ſummam MS. Codex noſter, ſed pro II. Non.; V. Non. Octobr. datæ leguntur. *Wurzina* tamen, & *Bichim*, quæ in his recenſentur, ſacram jurisdictionem *Magdeburgenſis* Archiepiſcopi, niſi me nominum ſimilitudo fallat, anno adhuc MXV. agnoviſſe videntur, quo cum *Scutici*, & *Cottili* urbibus in jus Merſeburgenſis Eccleſiæ â *Gerone* tranſlatæ ſunt. Sic enim Ditmarus Lib. VII. p. 406. "*Gero* Archiantiſtes *Magdeburgenſis*, & ego ejusdem comes, ad locum, qui *Mucherini* dicitur, veniebamus. Ibi tunc ego de promiſſis „ dulcibus, eum admonens, percepi ab eodem cum baculo ejus, quem hodie teneo, parochiam ſuper has IV. urbes, *Scudici*, *Cottili*, *Bichini*, & *Wurzia* VIII. Calend. „ Novembr. „

Quæ de Synodo *Tremoniana* ad An. MVII. notat Fabricius, ea ad An. MV. pertinent, *Henrici II.* regnantis (ut habet Ditmarus Lib. VI. p. 380.) quartum. Cui an *Ido* noſter interfuerit, Actis ſynodi nondum repertis, pro certo dicere *Synodus Tremoniana.*

dicere non habeo. Id certum, inter tot Eccleſiarum Epiſcopos, quos & Ditmarus eo loco, & Anonymus Abbas, ſcriptor vitæ B. *Adalberonis* Epiſcopi Metenſis apud Labbeum Biblioth. Novæ MSptorum T.I. p. 675. enumerat, Miſnenſis Antiſtitis nullam fieri mentionem, quamvis *Wicpertus* Merſeburgenſis affuiſſe legatur. Hic eſt *Wigbertus*, qui eodem hoc anno, quo S. *Henricus* Rex Germaniæ *Merſeburgenſem* Epiſcopatum, *Giſileri* Magdeburgenſis machinatione diſtractum, ac diſſipatum, inſtauravit, novæ Eccleſiæ Præſul datus eſt: de quo Ditmarus Lib. VI. p. 376. " *Henricus* Divina gratia Rex - - convocans ad ſe omnes „ Regni primates, dedit Epiſcopatum ſanctæ Merſeburgen„ ſis Eccleſiæ Cappellano ſuimet *Wigberto*, cum Archianti„ ſtitis baculo *Tagmonis*, cum quo ipſe, quidquid anteceſſor „ ſuus injuſte de hac auferre præſumpſit Eccleſia, renova„ tioni ejusdem arridens reddidit, conſentiente hoc *Ar*„ *nulpho* Præſule, *Eido* quoque & *Hillebardo* Epiſcopis, „ quibus diœceſis illa fuit diviſa, ac omni populo applau„ dente. „ Quibus ex verbis colligi videtur poſſe, *Eidonem* quoque cum *Wigberto*, rebus præſentem affuiſſe.

*Merſeburg. Epiſcopatus reſtitutus,*

Quamvis autem non ſit dubium, quin ea, quæ *Miſnenſi* Eccleſiæ ex diſtracto nuper in partes Merſeburgenſi Epiſcopatu acceſſerant, reſtitui quoque juſſa ſint; ultra tamen promiſſa non proceſſum tunc eſſe, ex ejusdem Ditmari querela Lib. VII. p. 413. manifeſte colligitur: ſic enim de ſe ipſe ibi: " Sed ego cum multa ſæpe queſtus ſim Im„ peratori, de parte meimet parochiæ, ab Eccleſia *Miſ*„ *nenſi* injuſte ablata, & ſcriptis reſtituta; cumque bona „ inde mihi profutura ſperarem, aliter quam ratus ſum, „ hoc evenire cognoſcebam. „

*non ex integro.*

*Tagmo-*

*Tagmone* interim, *Magdeburgenſi* Archiepiſcopo V. Id. Junii An. MXII. (ut præter Ditmarum Lib. VI. p. 391. Necrologium Fuld. & Chronicon Magdeburg. apud Meibom. T. II. habent) mortuo ſuffectus *Walthardus*, & unctus eſt " ab *Eido Miſnenſis* Eccleſiæ Venerabili Epiſcopo ,, ut rurſum notat Ditmarus Lib. VI. p. 392. à cujus etiam latere, poſt duos ſtatim menſes ſupremum decumbentis, nunquam diſceſſit. Inviſerat ægrotantem *Ditmarus*, ut ipſe de ſe narrat Lib. VI. p. 395. " & tunc hic erat *Eid* ,, Epiſcopus, multum pro eo in oratione continuo labo- ,, rans. Cumque jam vitæ terminus *Walthardi* in proximo ,, eſſet, ſeminecem è lecto protinus elevaverunt, ac tapeti ,, ſuperpoſuerunt. Accenſis tunc luminaribus, vocabar, ,, & jam ſtolâ indutâ in agone laborantem vidi. Cujus ,, pectori Crux ſancta fuit ſuperpoſita, in manibus cinerem, ,, & ſubtus habebat cilicium, ut *Eid* Epiſcopus monſtrabat: ,, & cum ſol jam die mediante declinaret, cum incenſo ,, ſibi adhibito (en piam, & Orthodoxam ejus ætatis mor- ,, tis expectationem) II. Idus Auguſti tranſiit anima ejus ,, ad Creatorem ſuum, unde erat, derelinquens, quod ,, non erat. ,,

*Eido Epiſc. Walthardo Magdeb. morienti aſſiſtit,*

Quod officium nuper *Walthardo*; id etiam *Geroni*, ejus in *Magdeburgenſi* Metropoli Succeſſori, in prima ejus inauguratione præſtitit. Electus enim *Gero* An. MXII. " & mox inthronizatus ab *Eido* unctus eſt Epiſcopo ,, inquit Ditmarus Lib. VI. p. 395. Id quod præter Annaliſtam Saxonem ad hunc annum, Magdeburgenſe etiam Chronicon apud Meibom. T. II. p. 286. confirmat, ubi *Eidonem* inter ceteros ſuffraganeos connumerat.

*Geronem, ejus ſucceſſorem conſecrat.*



Digitized by Google

*Donationem à S. Henrico R. impetrat.*

Tantæ vir pietatis, ac Charitatis, dignus S. *Henrico*, tum adhuc Germaniæ Regi viſus eſt, cujus Eccleſiæ, à vicinis *Slavis* identidem vexatæ, egeſtatem ſolaretur. *Francofurti* igitur cum ageret, XIV. Cal. Septembris An. MXIII. (ut MS. Codex noſter habet) ad preces *Eidonis*, Miſnenſi Eccleſiæ, ab hoſtibus latè evaſtatæ, pagos ſex donavit: quatuor nempe in *Thaleminci* his nominibus: *Glupp, Diſnovvocethla, Zmizi, Miratunacethla*: quintum in *Gudici, Golencizacethla*; ſextum in *Niſeni, Brochotinocethla*, cum hominibus, ſilvis, aquis, pratis, paſcuis, piſcatu, & venatu, juribusque ceteris, eosque Epiſcopo, ac ejus Succeſſoribus in ſuum, & Eccleſiæ ſuæ uſum, ac commodum proprios eſſe voluit. Hieronymus Emſerus in vita S. *Bennonis* Cap. III. Num. 33. addit: " Caſtella B*resnitz*, *Gedau*, „ & alia non parum multa, *Henricus* Imp. ſecundus, is, „ qui Divorum numero poſteà adſcriptus eſt - - Eccleſiæ „ olim *Miſnenſi* dono dederat, ob preces *Eiconis* tertii Miſ„ nenſis Epiſcopi. „ Atque iſtud forte eſt, propter quod Siffridus Miſnenſis L. I. ſcripſit: *Miſnenſem*, inter alias, *Eccleſiam* à S. Henrico II. *reſtauratam*.

*ad Bolislaum Polonum mittitur,*

Sed ejus beneficii uſura *Eidoni* diuturna non fuit: cum enim *Bolizlaus* Dux Poloniæ per caduceatorem de reſtituendis, quas invaſerat, regionibus ab *Henrico* Imp. monitus, ſuperbe reſponderet, & ſua retinere, & alia non reddere decretum ſibi eſſe; coortum inter eos bellum eſt: & quamvis adventu Imperatoris territus, refugere in Poloniam videretur; in inſidiis tamen ſubſtitit: in quas præcipitatus cum ſuis *Gero, Luſatiæ* Marchio, cum CC. militibus vitam & ipſe perdidit: ut præter Ditmarum, Saxo Chronographus ad An. MXV. memorat. Imperator, clade ſuorum mæſtus, & Chriſtiani memor officii "*Eidum*

„An-

Digitized by Google

„ Antiſtitem, qui eis, licentia infauſti Ducis, ſepulturam „ impenderet, & *Geronis* corpus Marchionis imploraret, „ remiſit. Venerabilis tamen Pater, Cæſari voluntarie con- „ ſentiens, concito curſu revertitur, & ut miſerabilem „ aſpexit ſtragem, flebiliter ingemuit, & ſuppliciter pro „ his oravit. Hunc cum victores, & tunc in præda ſolum „ morantes, eminus viderunt, de conſequentibus timidi, „ primo fugerunt; deindeque propius accedentem (*tanta erat barbari alioquin militis in pium Antiſtitem reverentia*) „ ſalutaverunt, & ſine omni offenſione eum abire permi- „ ſerunt. Hic à *Bolizlavo*, multum de pernicie noſtra „ gaudenti, quod poſtulat, impetrans, ſine mora rediit, „ & corpora ſociorum cum magno labore, inimicis faven- „ tibus, ſepelivit: funus autem prædicti Marchionis, & „ ſocii ejus *Widreti*, usque ad *Miſni* fecit reduci. „ Ita Ditmarus Lib. VII. p. 405. *bello cæſos ſepelit.*

Subjungit deinde, quæ Fabricius de *Miſna* urbe, à *Miſecone*, *Bolizlavi* Filio, oppugnata refert, his verbis: " Interim Cæſar cum ſuis ad *Strelam* urbem pervenit, ac „ *Miſeconem* cum exercitu ſubſequi ſciens, *Hermannum* „ Marchionem ad *Miſnenſis* defenſionem civitatis propera- „ re jubet: ipſe vero ad *Merſeburg* recto tendit itinere. „ *Miſeco* autem à patre nefario inſtructus, ut primo no- „ ſtros abiiſſe diviſos, nullamque poſt ſe cuſtodiam eſſe re- „ lictam ſenſit, Idib. Septembr. Albim juxta urbem præ- „ dictam (*Miſni*) cum VII. legionibus in ipſa tranſcen- „ dit aurora, quosdam circumquaque jacentia vaſtare; „ alios vero urbem præcipiens impugnare. Quod juvenes „ mei (Annaliſta Saxo legit: *Wenenici*, forte *Miſnici*) „ conſpicientes, ſeque tueri poſſe deſperantes, ſuperpoſi- „ tam civitati munitionem, relictis pene omnibus ſuis, *Miſna Urbs à Miſecone Polono obſeſſa*

 „ aſcen-

„ aſcendunt. Ob hoc hoſtes admodum gaviſi, ſuburbium „ intrant relictum, & hoc ablatis rebus inventis incendunt, „ & ſuperius caſtellum duobus in Locis accenſum infatiga- „ biliter aggrediuntur. *Hermannus* vero Comes videns „ auxiliatores ſuos admodum paucos jam defeciſſe, Chriſti „ pietatem, & ejus inclyti Martyris *Donati* interceſſionem „ ſanctam, proſtratus poſtulans, mulieres ad ſuccurrendum „ hortatur. Quæ propugnacula attingentes (Annal. Saxo: „ aſcendentes) lapidibus viros adjuvant, ignem impoſi- „ tum, quia defecit aqua, medone extinguunt, & (Do- „ mino gratias) inimici furorem, & audaciam minuunt. „ Hoc totum *Miſeco* de monte juxtà poſito cernens, ſo- „ cios adventantes expectat. Qui depopulantes, & ubi „ ignis inveniebatur, omnia usque ad *Gana* fluvium con- „ cremantes, ſero lapſis revertuntur equis, & ibi cum ſe- „ niore ſuo cras ad urbem pugnaturi pernoctarent, ni *Al-* „ *bim* creſcere viderent. Propter hoc exercitus nimis de- „ fatigatus cum ſecuritate inopinata remeavit - -. Impe- „ rator autem hæc ut audivit, quoſcunque tunc colligere „ potuit, ad ſuccurrendum ſuo Marchioni propere mittit, „ (Annal. Saxo: miſit, &) ſuburbium non longe poſt re- „ dintegrari præcepit. - - - In XIV. diebus incepta ad un- „ guem nos perducentes abivimus, committentes urbem „ *Friderico* Comiti ad IV. hebdomadas. „

*mirabiliter defenditur.*

*Miſna* urbe periculo erepta, ac reparata, supereſt, ut agentem de *Eidonis*, Miſnenſis Epiſcopi, morte, ejusque eximiis virtutibus Ditmarum, ex quo hactenus fere cetera, audiamus. " Poſt hæc autem (*pergit ille*) *Eid* Antiſtes „ egregius à *Polonia* ſaltem cum muneribus magnis rever- „ ſus, ægrotare cœpit: & in urbe *Libzi* vocata, fidelem „ Chriſto animam XIII. Calend. Januarii reddidit. *Hilli-*

*Eidonis Ep. mors.*

„ *bar-*

„ *bardus Cicenſis* Epiſcopus, ad hujus procurationem vo-
„ catus, mox adfuit, & domum, qua vir ſanctus obierat,
„ optimis redolere odoribus introiens agnovit, & corpus
„ ejusdem usque ad *Miſni* proſequitur. Sepelivit illud
„ coram altari, auxilio comitis *Wilhelmi*, qui ordine ſuo
„ eandem tunc cuſtodivit civitatem. „

Proſequitur deinde, quæ de multis pauca in tanti viri laudem ſcripturum ſe receperat: " Erat vir prædictus „ (*inquit*) nobilis genere, dives in prædiis, ſed pauperta„ te ſpiritûs hæc nihili ducens. Ante benedictionem in „ *Magdeburg* cum ceteris confratribus regulariter, ac mul„ tum laudabiliter vivens, & poſt in divinis gregibus lu„ crandis altius inſurgens, pro poſſibilitate ſua, Apoſtoli„ cam imitatus eſt vitam. „ Quæ ſequuntur, obſcurius in Ditmaro poſita, Chronicon Coldicenſe ſic explicat col. 699. " Nunquam uſus camiſia, neque bracca, niſi „ cum *Miſſam* cantaret: quam idcirco ſæpius omiſit, & „ multi admirabantur, unde tanta Viro patientia. Crebro „ à ſuis pro mortuo habitus, & vix recreatus eſt, idque „ eam ob cauſam, quod corpus ſuum nimis affligebat je„ juniis, & libentius nudis pedibus incedere, quam equo „ vehi ſolebat. „ Pergit deinde Ditmarus Lib. VII. p. 406. " Cum ſibi & ſociis late vagantibus victum defeciſſe, vel „ aliquid arduum occurrere videret, Domino gratias egit, „ & omnes hoc dicere juſſit. In baptizando, & prædica„ tione continua, & confirmatione, non modo ſuæ utilis „ erat Eccleſiæ, ſed aliis quam plurimis. De his, quibus „ ipſe cum ſuis vivere debebat, rebus ſibi ſubtractis, pene „ ducentos Eccleſiæ ſuimet acquiſivit manſos. Chriſma, „ & Clerum raro, Templa autem Domini libenter conſe„ cravit, & crebo ſine Miſſa. Oculi ejus ob aſſiduam

*Vita ejus auſtera, & ſancta.*

„ fletûs nimii effuſionem jam caligabant. Nobis contemporalibus ſuis, ob crimen noſtrum, ejus converſatio diſplicuit, & ei noſtra. XXIII. annos, & amplius labore ineffabili vivens, finem ſuum ante prædixit, & ut nunquam ad *Miſni* poneretur, multum rogavit. Id namque ſemper in mente, ob timorem futuræ deſolationis, deſideravit, ut ad locum, *Colditz* dictum, ubi Chriſti magnus Martyr corporaliter requieſcit, & ipſe mereretur tumulari. Sed Comes *Hermannus*, ſperans precibus ejusdem locum ſibi à Domino paratum adjuvari, ut præfatus ſum, ibidem fecit eum deponi. „

*ejus ſepultura.* Chronicon Coldicenſe apud Menckenium T. II. Col. 699. enarrato *Eidonis* obitu, ſubjungit: " Cum autem „ An. MXLVI. Eckardus Marchio Miſnenſis mortuus eſſet, „ & *Dedo* comes accepiſſet principatum, hic ſequenti anno, rogatu *Hermanni* comitis Rochlicenſis, agnatum ſuum *Eidonem* Epiſcopum à Cathedrali templo *Miſnenſi Colditium* deduci permiſit: ubi ex voto ſuo in æde S. *Magni* tumulatus eſt. Sed quinam Sanctus ille, ſive magnus Chriſti Martyr ſit, qui jam tum in hoc templo requievit, nemo cognitum, & compertum habet. Nonnulli credunt, *Hugonem* S. *Bonifacii* diſcipulum, quem *Heneti* ad vicum *Selicenſem* oppreſſerunt, à pio Comite *Coldicenſi* ſubductum, ibique clam ſepultum fuiſſe. „ Hæc ibi.

*Opinio Sanctitatis.* Ceterum *Eidonis*, Miſnenſis Epiſcopi, quotquot meminere, eximiæ Sanctitatis illi teſtimonium dant. Chronicon Coldicenſe p. 698. *Inclytum* vocat *Miſnenſem* Epiſcopum: Chronicon Magdeburgenſe p. 285. *Beati* titulo eundem cohoneſtat. Langius in Chron. Citiz. ſic de illo loquitur: " Anno Domini MXV. *Eigido*, tertius Miſnenſis „ Eccle-

Digitized by Google

„ Eccleſiæ Epiſcopus moritur, vir omni ſanctimonia, ac „ virtute conſpicuus. „ Chronicon Quedlinburgenſe ad An. MXV. ſic de *Eidone* ſcribit: “ *Miſnenſis* Epiſcopus de- „ poſitum fidele reddidit cælo. „ Chronographus Saxo ad An. MXVIII. Annal. Saxo ad An. MXVI. & Ditmarus ipſe Lib. VIII. p. 414. “ *Eidum* Præſulem Venerandum, magno „ lucentem honore „ ab ejus morte, inter *Tagmonem* & *Walthardum* Archiepiſcopos, ab *Alvreda* Magdeburgenſi divinitus conſpectum narrant. Hieronymus demum Emſerus in Vita S. Bennon. C. 3. n. 33. de *Eicone*, ſive *Eidone* ſcribit: “ qui & ipſe excellentis meriti Præſul, vitæ ſuæ „ ſanctimoniam certis indicavit miraculis, quæ poſt obitum „ ſuum cœpta, & literis mandata ſunt. „

## IV. EILWARDUS.

Ab *Eidonis* obitu *Eilvvardus*, ſive *Agilvvardus*, qui *Ditmaro* (ut ſcribit Fabricius ad An. MXV.) *Luſatiæ* Marchioni, à Sacris erat, ad Eccleſiæ Miſnenſis gubernacula admotus eſt. “ In diebus his (confirmat hæc Ditma- „ rus ad An. MXVI. Lib. VII. p. 406.) vice *Eidi* Præſulis „ *Elvvardus* Thietmari Marchionis Capellanus, hortatu „ *Hermanni* confratis, à Cæſare conſtituitur, & in Domini- „ câ Die ante palmas in *Merſeburg*, à *Gerone* Archiepiſco- „ po, nobis faventibus, benedicitur. „; Quem *Elvvardum* hic Ditmarus, eundem *Agilvvardum* Chronicon Quedlinburg. nominat: “ *Eidoni*, inquit, ſucceſſit *Agilvvardus*. „

*Eilvvardus Ep. ex Capellano Thietmari Marchionis.*

Quæ Fabricius ad An. MXVII. & tres ſequentes narrat, aut incertæ fidei ſunt, aut alieno tempore collocata. Anno MXVII. ſcribit: “ Dux Boemiæ *Bolislaus* agmen quadripartitum immittit in *Miſniam*, ut urbem hanc circumventam

*Fabricii narratio temporibus confuſa.*

„ Gun-

„ *Guncelino* Marchioni jam reſtituto, vi, & fraude eripe-
„ ret: ſed proditis ejus conſiliis, cum multo ſuorum damno
„ cogitur diſcedere. *Mogellani* tria *Boemorum* millia occi-
„ dunt, reliquos ad oppidum *Strelam* in *Albim* impellunt:
„ *Lomacum* oppidum, & villa *Zerena* in aditu *Chelebofcii*
„ cremantur. „ Ad annum porro MXIX. hæc memorat:
“ Pagi inter *Albim*, & *Mildam* exercitu Boemico vaſtantur,
„ abductis ultra mille agricolis, *Bruno* Marchio Miſnenſis
„ exul apud Boemos, *Hermannum*, *Echardi* fratris ſui filium,
„ in itinere, cum *Miſnam* à Regio Præfecto duceretur,
„ voluit intercipere, ſed inſidiis patefactis, ſpe ſua eludi-
„ tur. „ Anno demum MXX. in ſupplemento adjungit:
“ MXX. Voluntate *Diterici* Marchionis Miſnenſis, & *Dite-
„ rici* Præſulis, arx *Churina* diruitur: neve auſu temerario
„ inſtauraretur, Præſul interdicit pœna excommunicatio-
„ nis, Marchio periculo amiſſionis fortunarum inhibet XII.
„ Cal. Aprilis. Decretum *Dreſdæ* factum eſt. „ Ita Fa-
bricius.

Verum eſt, *Gunzelinum* (Marchionem quondam Miſ-
nenſem) diu jam captivum, An. MXVII. cuſtodiæ exem-
ptum: id enim præter Ditmarum Lib. VII. p. 416. Anna-
liſta Saxo ſub finem Anni MXVII. Menſe Decembri conti-
giſſe narrat: “ *Guncelinus* diu ibi *(Babenbergæ)* in cuſtodia
„ tentus ſolvitur, catena de pedibus ejus per divinam Ma-
„ jeſtatem leniter cadente, integraque permanente: „ Sed
eundem honoribus reſtitutum, & *Miſniæ* præfectum iterum,
non lego: & alioquin ex Ditmaro certum eſt, *Hermannum*
hoc etiamnum anno Marchionem Miſnenſem fuiſſe. Sic
enim ille Lib. VII. p. 413. “ In Cathedra S. Petri, quæ eſt
„ IIX. Cal. Martii, cum ſederet Imperator (*Merſburgi* An.
„ MXVII.) & præſentes Epiſcopi adeſſent *Gero*, *Mein-*

*Guncelinus Marchio è cuſtodia liberatur.*

*Hermannus Marchio Miſnenſis.*

„ *vver-*

„ *vvercus*, *Wigo*, & *Ericus*, & *Eilbardus* (Miſnenſis) ſur-„ rexi, & lamentationem feci. Tunc Imperator, & Ar-„ chiantiſtes, à quibus ſperabam auxilium, juſſerunt mihi, „ DEUS ſcit, invito, qui his reſiſtere non præſumpſi, ut „ parochiam in Orientali parte *Mildæ* fluminis jacentem, „ id eſt, in Burgvvardis, *Bichini*, & *Wurchn*, *Eilbardo* „ (*Miſnenſi*) concrederem; & quam ille tunc in Occiden-„ tali ripa teneret, mihi hoc nunquam deſideranti relin-„ queret. Id concambium baculis firmavimus mutuis. „ Teſtificor coram DEO, & omnibus ſanctis ejus, id, quod „ reſiduum fuit, tunc nullo modo dereliqui. Juſſit quo-„ que Imperator, ut villas tres, quæ ſub prædicto erant „ Epiſcopo, *Herimannus* Marchio, aut Miſnenſi Eccleſiæ „ Sacramento retineret, aut mihi redderet. „ De tentata hoc anno à *Bolislao* Bohemiæ Duce urbe *Miſna*, de cæſis per *Mogellanos* tribus millibus, ceteris ad *Strelam* in Albim impulſis, exuſto *Lomaco*, & *Zerena* valle nihil, neque Ditmarus, neque Annaliſta Saxo. Uterque tamen *Bolislai*, ſed Poloni, & tam *Bohemiam*, quam *Miſniam* incurſantis meminit, ut proinde res hujus cum *Boleslai* Bohemi rebus, annumque XIX. cum XVII. Sæculi hujus anno miſcuiſſe Fabricius videtur. Annaliſta Saxo certe, quæ Fabricius ad Ann. MXIX. narrat, cum Ditmaro ad An. MXVII. refert ſequentia: "Interim *Miſeco* „ *Bolislai* filius, Boemiam abſentia *Othelrici* Ducis ſui mi-„ nus ſolito repugnantem cum X. legionibus invadens, duo-„ bus diebus hanc deprædatur, & cum innumerabili mul-„ titudine captivarum reverſus, patrem immenſis gaudiis „ replevit. Imperator cum exercitu ſuo, & Boemiorum, „ & Liuticiorum, obvia quæque devaſtans, V. Idus Au-„ guſti, ad urbem *Glogovvam*, ubi *Bolizlaus* cum ſuis ſolli-„ cite præſtolabatur, venit. „ Vides *Bolislaum*, *Miſeconis*

patrem, Sileſium ſeu Polonum: Vides *Othelricum*, non *Boleslaum*, Bohemiæ Ducem: vides Bohemos in caſtris Cæſaris contra *Boleslaum:* Vide nunc etiam Sileſios, ſeu Polonos *Miſniam* incurſantes: "Interea (*proſequitur res* „ *An. MXVII. cum Ditmaro Annaliſta Saxo*) ſatellites Bo- „ lizlai (*Sileſii ſeu Polôni*) juſſu ipſius inter *Albiam*, & „ *Mildam* XIII. Kal. Octobr. plusquam mille mancipia ce- „ perunt, & plurima late conſumentes, proſpere red- „ ierunt. „

Quæ de *Brunnone*, *Guncelini* fratre Fabricius hoc loco adjicit, ad An. MX. manifeſto pertinent, quo eadem poſt Ditmarum Lib. VI. p. 389. Annaliſta Saxo memorat. Qua porro ratione ad An. MXX. ſpectent, quæ ibi Fabricius de arce *Churina* demolita refert, aſſequi vix poſſis: cum nec Marchio, nec Epiſcopus Miſnenſis *Theodericus*, ſeu *Ditericus* tunc fuerit, quorum juſſu tamen dirutam eam arcem ſcribit.

*Eilvvardus Quedlingburgi Altare conſecrat.*

Rectius ea habent, quæ An. MXXI. de *Quedlinburgenſis* Templi dedicatione ſubjungit Fabricius: ea enim Quedlingburg. Chronicon recte confirmat p. 293. " Anno Incarn. Dom. MXXI. Ind. IV. VIII. Cal. Octobr. Dominica die - - ab *Arnulfo*, Halberſtadenſis Eccleſiæ Epiſcopo, dedicatum eſt hoc templum, & altare ſupremum „ in honore Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, & Sanctæ „ Mariæ, Matris Domini - - - Altare aquilonare dedicatum eſt ab *Eluardo*, *Miſnenſi* Epiſcopo, in honore S. Bar- „ tholomæi Apoſtoli &c. „

Mortem *Elvvardi* ad Ann. MXXIII. Fabricius his verbis indicat: " Idem Præſul moritur XVI. Cal. April. cum „ ſediſſet annos VIII. Hic vir adeo frugalis fuit, ut legem in

*Moritur.*

„ alios

Digitized by Google

„ alios nullam ſanciret, quam ipſe non obſervaret diligen-
„ tiſſime. „ Nec in anno mortis diſſentit Chronicon Quedlingburgenſe: ſic enim ad An. MXXIII. ibi legitur: “ *Ail-*
„ *vvardus* Epiſcopus, rebus uti, pariterque ſciens modum
„ ſervare fruendo, non modicis à ſuis, ut decuit talem,
„ deploratus gemitibus, inopinata prævenitur morte. „
Quod breve elogium ſatis indicat, *Eilvvardum* fuiſſe moderatione præſtantem, charum ſuis, & ævo longiore dignum.

## V. Hucbertus, ſeu Huprechtus.

Mire in nomine variant Scriptores: Fabricius *Umbertum*, *Wipertum* Langius; *Rupertum* Chronicon Magdeburgenſe, *Ramvvardum* Index Leibnitianus appellare videtur. Verum *Huprechti*, quod idem cum *Hucberto*, germanum illi nomen fuiſſe Quedlinburgenſi à Chronico docemur: ſic enim ibi ad An. MXXIII. legitur. “ *Huprecht*, Vir ſummæ *Hucbertus Epiſc.*
„ induſtriæ, *Ailvvardi* Præſulis in loco, jura Epiſcopatus *Vir eruditus, & induſtrius.*
„ obtinuit. „ Id quod ſub extremum anni finem eſſe factum colligitur: quod Natalis Domini in *Bavenberg* à S. Henrico Imperat. celebrati occaſione, viduatis Eccleſiis novi Paſtores conſtituti eſſe dicantur. *Ramvvardi* nomen, quod in Leibnitiano Indice inter Epiſcopos Miſnenſes ante *Theodericum* occurrit, manifeſto errore inſertum eſt: cum enim ſimili mendo in Dimaro Lib. V. p. 368. *Ramvvardus Miſnenſis*, pro *Mindenſi* ſit poſitus; idem poſtea error in Indicem irrepſit. *Mindenſem* porro, non *Miſnenſem* fuiſſe Epiſcopum circa An. MIII. *Ramvvardum* nomine, tum ex eo patet, quod ad id tempus *Miſnenſi* Eccleſiæ præfuerit *Eido* Epiſcopus: tum quod quod ex ipſo Ditmaro Lib IV. p. 354. conſtat, *Mindenſem* Epiſcopum eo tempore *Ram-*

*vvardum* fuiſſe appellatum: ſic enim ibi ſcribit Ditmarus: " In illo certamine *Ramvvardus* Mindenſis Epiſcopus fuit.,,

Sed cum in nomine multa ſit altercatio, de *Hucberti* rebus mutum alias ſilentium. Fabricius præter ejus conſecrationem, & mortem nihil: hæc enim An. MXXIV. de eo ſunt omnia: " *Umbertus* Præſul obit Non. Aprilis, con-,, ſecratus ab *Hunefrido* Magdeburgio.,, Conſecratum eſſe ab *Hunfrido*, Chronicon quoque Magdeburgenſe affirmat apud Meibom. T. II. pag. 287. " Hic (inquit de *Hun-,, frido* Archiep.) ordinavit - - *Miſnenſi* (Eccleſiæ) *Super-,, tum*, & *Theodericum*.,, Non plus Langius in Citizenſi Chronico de *Hucberto*, quem *Wipertum* nominat: " An.,, MXXIII. *(inquit) Eduardus* (Eilvvardus) *Miſnenſis* Epi-,, ſcopus quartus obiit, cui *Wipertus*, vir eruditus, ſuc-,, ceſſit, ſed uno tantum præfuit anno, & ſucceſſit *Theo-,, dericus*.,, In tanta tamen Paſtoralis dignitatis brevitate non exigua laus putanda eſt, quod vir eruditus, & ſummæ induſtriæ fuiſſe ſcribatur.

## VI. THEODERICUS I.

*Theodericus I. Ep.*

Utinam, quam certum nobis *Theoderici* nomen, tam nota nobis ejus acta forent! Sed enim Ditmaro, fideliſſimo hactenus in rebus Miſnenſis Eccleſiæ duce, jam deſtituti, ignoramus plurima, & velut in tenebris palpamus. *Theodericum* ab *Hunfrido* Magdeburgenſi conſecratum, ex ejus Metropolis Chronico, paulo ante relato diſcimus. Genus ejus ac Majores deprehendiſſe, ſe putabat ille, qui Indicem ad Eccardi corpus Hiſtor. medii ævi adjecit; credebat is *Thodericum* hunc noſtrum eundem eſſe cum illo, quem Ditmarus Lib. 6. p. 385. *Nepotem ſuum*; & Lib. VIII.

*Ejus genus incertum.*

*Ma-*

*Materteræ ſuæ filium* appellat. Sed enim *Theodericus* is, Ditmari Nepos, *Mimigardenſis*, ſive *Monaſterienſis* creatus eſt Epiſcopus, non *Miſnenſis*, ut ex ipſomet Ditmaro Lib. VIII. p. 425. conſtat, ubi eundem *Theodericum*, *Suitgeri Mimingardenſis ſucceſſorem* vocat. Latet igitur genus *Theoderici* Miſnenſis, nec de ceteris ejus rebus, nec de diuturnitate ſedis, certa nobis, ex fide antiquorum, ſententia ſtare poteſt.

Illud tamen non dubium, quod in *Francofurtenſi* conventu, ſeu Synodo, An. MXXVII. collecta inter cauſæ cognitores aſſederit, quæ inter *Aribonem* Moguntinum, & *Godehardum*, poſtea ſanctis adſcriptum, *Hildesheimenſem* Antiſtitem, in cauſa *Gandersheimenſis* Virginum cœnobii vertebatur. Diuturnæ controverſiæ occaſionem muliebris ambitio præbuit. Cum enim *Sophia*, *Ottonis* II. Imperat. Filia " juvenili (*ut ſcribit Wolfherrus in Vita S. Go-* „ *dehardi C. 3.*) jactantia, & generis dignitate elata, à *Pal-* „ *ligero* tantum velari geſtiret „ *Willegiſus* Moguntinus tunc Archiepiſcopus, ejus precibus inductus, jus ſibi quoddam in *Gandersheimenſe* Cœnobium, quod jurisdictionem alias *Hildeſienſis* Epiſcopi agnoſcebat, arrogare tentavit. Sopitam diu cauſam reſuſcitavit *Aribo*, *Erkenbaldi* Moguntini Succeſſor, qui *S. Godehardo*, Hildeſienſi tum Epiſcopo " in *Gandesheimenſi* loco, & circumjacente territorio omnem „ pontificalis officii proviſionem, banni ſui interpoſitione, „ prohibuit. „ Acquievit in præſens S. *Godehardus*, rem tamen ad Imperatorem detulit. Unde factum, ut canonico judicio ea cauſa in Synodo diſceptaretur. Ea ad An. MXXVII. ut præter Labbeum Conc. T. XI Col. 1189. Annaliſtam, & Chronographum Saxonem, Annales Hildeſemenſes notant, *Francofordiam* ab ipſo *Aribone* indicta eſt,



Digitized by Google

ut notat Wolfherrus in vita S. Godehardi Cap 4. " eo item „ anno (*inquit*) *Aribo* Moguntinus *Franconoſurdi* conci-„ lium Synodi coadunavit, præſidente Imperatore (*Conra-„ do II.*) cum Epiſcopis XXIII. (*Annal. Hildesh. XXII.* „ *numerant*) in quo iterum beatum virum *Godehardum* de „ ſæpius præventilata cauſa more ſuo inquietavit. „ Deſcribit poſtea conſeſſum Epiſcoporum, ac *Theodericum* Miſnenſem inter Magdeburgenſis Archiepiſcopi *Suffraganeos* collocat. " Pulchra enim erat ibi, & rationabiliter ordi-„ nata, tam Regalis, quam & Epiſcopalis conſeſſio. Nam „ in *Orientali* parte ante altare Arhiepiſcopus *Aribo* cum „ ſuis ſuffraganeis, *Wernero* Argentinenſe, *Brunone* Au-„ guſtenſe, *Meginvverco* Patherbronnenſe, *Everhardo* Ba-„ vebergenſe, *Meginhardo* Wirciburgenſe, *Godehardo* Hil-„ denesheimenſe, *Branthio* Halverſtadenſe, *Wiggero* Ver-„ denſe, *Hazegone* Wormatienſe, conſedit. In *Occiden-„ tali* vero parte Imperator conſedit, & à *dextris* ejus *Pi-„ ligrinus*, Coloniæ Archiepiſcopus cum ſibi ſubditis, *Sigi-„ berto* Mindenſe, *Sigifrido* Mimigardenſe, *Bennone* Tra-„ jectenſe. A *ſiniſtris Hunfridus* Parthenopolitanus (Mag-„ deburgenſis) Archiepiſcopus cum ſuis, *Hildivvardo* Ci-„ tizenſe, *Brunone* Mersburgenſe, *Luizone* Havelbergenſe, „ *Thiederico Miſnenſe*. In *Auſtrali* autem plaga Epiſcopi „ *Rambrechtus* Wirdunenſis, *Rodolphus* Sleſvicenſis, *Hiltol-„ phus* Mantuanus, *Reginoldus* Aldenbergenſis aſſederunt. „ In *Aquilonari* etiam Abbates &c. „ Exitus Synodi is fuit, ut *Godehardus* Diœceſin ſuam ſuper totum Ganderheimenſe territorium retineret.

*Francofurt. Synodo aſſidet.*

Sub id tempus, ſi modo ad *Theodericum I.* Miſnæ Epiſcopum ea res pertinet, arx *Churina*, de qua Fabricius in ſupplem. ad An. MXX, meminit, demoliri fuerit cœpta,

ac

Digitized by Google

ac ſi conjectura errorem adjuvare libet, forte ad An. MXXX. quo *Theodericus* arma in *Miſeconem* tulit, *Miſniaque* populationibus exhauſta eum ejecit. Conjecturam nobis Annaliſta Saxo præbet, qui ad An. MXXX. hæc habet: " *Miſeco* inter *Albiam*, & *Salam* plusquam centum villas „ incendiis, cædibusque vaſtavit, Chriſtianorum IX. mil- „ lia & LXV. viros ac mulieres miſerabiliter captivavit. „ Reverendiſſimum Brandeburgenſem Epiſcopum *Luizonem*, „ ut vile macipium cepit, nec ſacris altaribus pepercit, „ ſed omnia homicidiis, ſanguineque polluit: Matronas re- „ ligioſas, ac nobiles armatâ manu ſibi vendicavit: - - „ honeſtas etiam mulieres, ac gravidas violenta pagano- „ rum manus quaſdam gladiis trucidavit, quasdam lanceis „ perroravit: omnes ergo, quibus grandæva ſenectus, vel „ tenera ætas, vel ægritudinis infirmitas vires negaverat, „ armis interire præcepit. Interea *Thodericus* Comes ſu- „ perveniens eum militibus, plures ex illis occidit, ceteros „ effugavit. „ Leuberus in Catalogo Comitum & Marchionum Sax. apud Menckenium T. III. Col. 1837. vixiſſe hoc tempore ſcribit *Dieterichum*, *Cyllenburgenſem* Comitem, filium *Dedonis Wettinenſis*, eumque à S. Henrico Imp. Marchionem *Landsbergenſem*, & Burggravium *Soraborum* conſtitutum. *Dietricum* item appellat *Groitſchenſem*, & *Eylenburgenſem* Comitem: Marchionem *Miſniæ* ad *Muldam* pariter *Dietricum*, An. 1017. *Dedonis* patrem. Unde ſatis commode intelligi poſſet, quod Fabricius, quamvis perperam ad An. MXX. quo *Theodericus* necdum fuit Miſnenſis Epiſcopus, in ſupplemento narrat his verbis: " Vo- „ luntate *Diterici*, Marchionis Miſnenſis, & *Diterici* Præ- „ ſulis, arx *Churina* diruitur, neve auſu temerario inſtau- „ raretur, Præſul interdicit pœna excommunicationis, Mar- „ chio periculo amiſſionis fortunarum inhibet XII. Cal. „ Apri-

*Miſeco Polon. Miſniam populatur.*

Digitized by Google

„ Aprilis. Decretum *Dreſdæ* factum eſt. „ Sive enim proditione aliqua *Miſeconi* fuerit tradita, ſive occupata dolo, & ab hoſtibus, aut prædonibus inſeſſa; potuit hoc tempore ea de cauſa à *Dietrico* Comite, ſive Marchione & *Dietrico* Antiſtite, demoliri. Sed hæc fide Fabricii dicta ſunto.

*Mors Theodorici Ep.* Mortem *Theoderici*, quanquam quo anno conſecuta ſit, dicere non audeat Fabricius, in Annum tamen MXLV. vel ſequentem differre videtur, quo ſucceſſorem illi conſtituit *Reinerum*; diem illi ſupremum, VI. Aprilis ſtatuit, ſed enim *Reinerum*, quem ille *Theoderico* ſuffectum An. MXLVI. ſcribit, cum & ipſe, & Chronicon Magdeburgenſe conſecratum ab *Engelhardo*, Magdeburg. Archiepiſcopo fuiſſe tradat; iſque non niſi An. MLI. *Hunfrido* pridie Cal. Martii (ut habet Chronicon Magdeburg. apud Meibom. T. II. p. 287.) defuncto ſucceſſerit; ſequeretur, *Reinerum* aut V. vel VI. annos ſine conſecratione fuiſſe; aut inter ipſum, & *Theodericum* An. MXLVI. mortuum, medium interceſſiſſe alium *Miſnenſem* Epiſcopum, quem tamen Fabricius non agnoſcit. Hiſtoire Eccleſiaſtique d'Allemagne Bruxellis An. MDCCXXIV, impreſſa T. II. p. 300. *Reinerum* jam An. MXL. conſecratum memorat: ſed hac ratione & *Theodericus* jam tum mortuus; & *Reinerus* non ab *Engelhardo* fuiſſet conſecratus: quod contra Fabricium æque, ac Chronicon Magdeburgenſe eſt. In re plane incerta ſententiam non interponam meam: alium tamen *Theoderico* ſucceſſorem, quam *Reinerum*, qui ante An. MLI. Miſnenſis Epiſcopus eſſe non potuit, tribuamus, neceſſe erit.

VII.

Digitized by Google

# VII. MEINWARDUS.

*Mainvvardum* (ſeu ut aliter alii vocant, *Meinvvertum*, *Meinhardum*, *Menvvardum*, Monachus Pirnenſis in Excerpt. Saxon. Col. 1455. etiam *Numidium*) inter *Miſnenſes* Epiſcopos omnes agnoſcunt, nono tamen omnes loco collocant Fabricius, Albinus, Leuberus, Author Hiſt. Eccl. German. Monachus Pirnenſis: Sed quomodo inter *Craftonem*, & *Bennonem*, quod iſti faciunt, interjici *Mainvvardus*, ſalva antiquitatis fide, poſſit, equidem non diſpicio.

*Meinvvardus Epiſc. ante Reginberum.*

Fabricius ad An. MLXVI. hæc de illo habet: " *Meinvvardus* Præſul in *Crafti* locum e Goslaria miſſus annos ſedet quinque, & menſes aliquot, moritur III. Non. Maji. " At enim *Reinerum*, quem *Theoderico* Fabricius, aliique ſucceſſorem dant, ante An. MLXVI. mortuum eſſe, & huic eodem anno ſuffectum *Craftonem*, *Craftoni Bennonem*, ex Lamberto Schaffnaburgenſi, Annaliſta Saxone, Chronico Magdeburgenſi liquet: qûi igitur inter *Craftonem*, & *Bennonem* medius intercedere *Meinvvardus*, quî annos quinque cum menſibus aliquot, ut vult Fabricius, tantulo intervallo, quod inter *Craftonem*, & *Bennonem*, ejúsdem anni Epiſcopos, interjectum eſt, explere potuit? Lamberti Schaffnab. hæc verba ſunt, ad An. MLXVI. "*Reginberus*, Miſnenſis Epiſcopus obiit, cui *Craft*, Præpoſitus Goslarienſis, ſucceſſit &c. Epiſcopatum pro eo ſuſcepit *Benno*, prædictæ Goslarienſis Eccleſiæ canonicus. " En *Reineri*, ſeu *Reginberi*, & *Craftonis* mortem, & *Bennonis* ſucceſſionem eodem anno MLXVI. eadem Annaliſta Saxo, & eundem annum repetit. Idem ex Chronico Magdeburgenſi

colligi poteſt, quod apud Meibomium T. II. p. 313. de *Wernero* Magdeburg. Archiep. qui ſedit ab anno MLXIII. ad Ann. MLXXIX. Sic habet: "Hic ordinaverat Miſnenſi „Eccleſiæ *Craft*, & *Bennonem* Epiſcopos. „ Ubi vides, nullum inter hos duos medium interſeri *Meinvvardum*. Ad hæc Monachus Hamerslebienſis apud Leibnitium T. II. rerum Brunſvvic. p. 507. enumerat Epiſcopos, qui ex Goslarienſibus (unde Fabricius *Meinvvardum* accerſet) ad Epiſcopatus honorem ſunt evecti: hos inter apud eundem *Crafto*, & *Benno* ordine ſe conſequuntur: nullus inter hos medius; nullus vel ante, vel poſt *Meinvvardus*, ut proinde merito dubites, an *Meinvvardus* è Goslaria, medio præſertim inter *Craftonem*, & *Bennonem* tempore, ſit petitus.

*cur ponatur.* Quod ſi jam nonum locum inter *Miſnenſes* Epiſcopos, ex allatis hactenus teſtimoniis obtinere non poteſt *Meinvvardus*, aut removendus omnino ex primorum X. Miſnenſium Antiſtitum ſerie eſt, aut ex nono, in locum ſeptimum revocandus. Atqui ex Epiſcoporum ſerie deleri non poteſt: nam & in veteri *Remnicenſis* Cœnobii Necrologio, *Meinvvardum* Epiſcopum *Miſnenſem* reperimus; & ablata ex illa decadis ſerie, vel uno Epiſcopo, *S. Benno*, jam non decimus, qualem cum alii omnes, tum ipſe ſeſe, Albino teſte, appellat, erit Miſnenſium Epiſcopus, ſed nonus: reſtat igitur, ut hoc loco *Meinvvardum* inter *Theodericum VI.* & *Reginberum VIII.* Miſnenſis Eccleſiæ Antiſtitem collocemus.

Favet inprimis annorum V. intervallum (tot enim cum menſibus aliquot Fabricius ipſe *Meinvvardo* tribuit) quod inter *Theoderici* An. MXLVI. eodem teſte defuncti

Digitized by Google

functi mortem, & conſecrationem *Reginberi* ab *Engilbardo* Magdeburg. non ante An. MLI. (quo teſte Chronico Magdeburg. *Engilbardus Hunfrido* ſucceſſit) factam intercedere neceſſario debuit. Nec obſtat, quod cœnobium Kemnizenſe (cujus fundatrix *Richza* Lotharii II. Imp. conjux, in Necrologio appellatur) integro fere Sæculo poſt *Meinvvardi* mortem conditum, ejus tamen ſuo in Necrologio diſerte meminerit: eadem enim difficultas, quæ nobis, Fabricio ipſi, ejusque ſequacibus ſolvenda erit: ſive enim ſeptimo ſive nono ponatur loco inter Miſnenſes Epiſcopos *Meinhardus*, cujus Necrologium Chemnicenſe meminit, integro pene ſæculo, Cœnobii ejus exordia præcedet. Id qua ratione factum ſit, ex uſu, ac conſuetudine aliorum cœnobiorum diſcimus, que vel propter communem patriam, vel parentelam, vel etiam poſterorum beneficentiam eorum majores, & agnotos, ut videre paſſim eſt, in Necrologiis ſuis ad memoriam conſervant.

Aſſerta hunc in modum ſeptima *Meinvvardo* inter *Miſniæ* Epiſcopos ſede, videndum nunc, quid illo Antiſtite, aut potius vacante ante electionem ejus ſede, *Miſnenſi* Eccleſiæ acceſſerit. Memorabile per id tempus illud, quod, cum *Miſnenſium* Canonicorum Collegium, ut multa alia per Germaniam eatenus ab Epiſcopis velut totidem Monaſterii Abbatibus, & regeretur, & aleretur, inſtituto jam inde ab *Euſebii* Vercellenſis tempore (qui primus in occidente eadem in Eccleſia eosdem Monachos inſtituit eſſe, quos Clericos) in Africam & Europam propagato; ſub Sæculi XI. medium, fundos jam ſuos, annuosque proventus habere proprios deinceps cœperit. Indicium ejus rei faciunt *Henrici III.* Imp. literæ, VI. Non. Julii An. MXLVI. *Miſnæ* datæ, quarum ſummam MS. Codex noſter

*Collegium Canonicorum Miſnenſium bona propria acquirit.*

I 2 hunc

hunc in modum refert. " An. MXLVI. *Henricus*, hujus „ nominis, Germaniæ Rex III. Eccleſiæ *Miſnenſi* ad ſuſten- „ tationem fratrum hujus loci contulit bona, quæ *Irm- „ gard* in loco, qui dicitur *Liuterſiatt*, poſſedit: ſunt autem „ ſita in territororio *Haſſega*, in Comitatu *Teti* Comitis: ea „ igitur cum omnibus curtibus, ædificiis, agris, pratis, „ cultis, atque incultis, cum paſcuis, aquis, molendinis, „ piſcatibus, ſilvis, & venationibus, cum omni cujuscun- „ que utilitatis jure Miſnenſi Eccleſiæ ſic donat, ut Præpo- „ ſitus, & Canonici, bona iſta libere habere poſſint, & „ poſſidere; *Epiſcopi vero vel ad uſum, vel ad ſervitium „ ſuum convertendi, vel alienandi jus nullum habeant.* Dat. „ *Miſnæ* VI. Non. Jul. An. MXLVI. „

Eodem loco, anno, menſe, dieque *Henricus III.* iisdem conditionibus contulit Eccleſiæ Miſnenſi, ejusdemque Canonicis Fratribus ad eorumdem ſuſtentationem alia etiam bona, quæ dicta *Irmingardis* habuit in locis *Wiederſtatt*, *Heizſtede*, & *Scenderslebe* ſitis in territorio *Suabun*„ in Comitatu *Teti* Comitis, eaque Præpoſito, ac Canonicis cum omnibus juribus eo ſpectantibus, ſubditis, ac mancipiis, curtibus, ſilvis, aquis, pratis, paſcuis, viis &c. ita propria eſſe voluit, ut in ea *ſibi juris nihil vendicare Epiſcopus poſſet.* Dat. *Miſnæ* VI. Non Jul. An. MXLVI.

*Meinvvardi Ep. obitus.*

Nec plura de *Meinvvardo* in vetuſtioribus monimentis reperio. Mortis ejus ut annum, à Fabricii, aliorumque, qui Anno illam MLXVI. affigunt, opinione diverſum, ita alium etiam diem ſtatuamus, neceſſe eſt. Hunc Fabricius III. Non. Maji aſſignat: ſed Necrologium Cœnobii Kemnizenſis apud Mencken. T. II. Col. 155. Calendis Julii obiiſſe *Meinvvardum* notat. Sic enim ibi: " Kal. Jul.

„ *Mein-*

„*Meinvvardus* Epiſc. Miſn. „ Annus ſupremus, ſi cum Fabricio annos illi ſedis quinque cum aliquot menſibus tribuamus, cadet in An. MLI. qui & *Hunfridi* Magdeburg. Archiep. eſt ultimus, primusque *Engelhardi* ejus ſucceſſoris, à quo *Reinerus*, *Meinvvardi* in Miſnenſi Eccleſiæ ſucceſſor conſecratus eſt.

## VIII. Reinerus ſive Reginherus.

*Reginherum*, quem contractè plerique *Reinerum*; Monachus Pirnenſis *Reginpertum* nominat, ſeptimum fere inter Miſnenſes Epiſcopos recentiores fuiſſe volunt: nos cur octavum numeremus, paulo ante rationem dedimus. Fabricius ad An. MXLVI. hæc de illo: "Poſt mor„ tem *Diterici* ſecutum ſchiſma. In electione Henricus III. „ Imp. ſuam authoritatem interponit, & *Reinerum* Præſu„ lem Miſnenſibus mittit, qui conſecratus ab *Engelhardo* „ Magdeburgio. „ Ut vero ſchiſma quoddam (quod Fabricii fidei relinquimus) inter Miſnenſes Canonicos in electione novi Antiſtitis interceſſerit; id tamen non ad An. MXLVI. ſed ad An. MLI. contigiſſe debuit, ante quem *Reginherus* Epiſcopus non fuit. Cùm enim, Fabricio ipſo teſte, conſecratus ab *Engelhardo* Magdeburgenſi Archiepiſcopo ſit *Reginerus*; & *Engelhardus* ipſe, ut conſtat ex Magdeburg. Chronico apud Meibom. T. II. p. 287. hoc primum anno MLI. *Hunfrido* in Magdeburg. Metropoli ſucceſſerit, *Reginherus* ante hunc annum eligi non potuit: alioquin cauſa non fuiſſet, cur dilata in quinquennium conſecratione, non ab *Hunfrido* potius, quam *Engelhardo* Epiſcopus ungeretur. Conſecratum vero ab iſto, Magdeburgenſe pariter Chronicon affirmat: " Hic (*Engelhardus* *Reinerus Epiſcopus.*

„ inquit) ordinavit Merſeburgenſi Eccleſiæ quatuor Epiſco-
„ pos - - ſed & Eccleſiæ Miſnenſi *Reinerum*. „

*Cœnobium S. Afræ in Urbe Miſna abſolvit, & conſecrat.*

Quæ de cœnobio *S. Afræ* An. MLX. à *Reginhero* Miſnenſi in urbe condito addit Fabricius, probo ex documento hauſiſſe videtur: nam & Pontificia, & Regia (nondum erat Imperator, Rex Henricus IV.) epocha recte habent: ſic enim ibi: "*Reinerus* Præſul perficit & dicat Divæ *Afræ*
„ monaſterium, *Nicolai II.* Romani Pontificis anno ſecun-
„ do, *Henrici* Imp. IV. anno quarto. „ Illud in occidentali colle extructum à *Reinero* alias docet Lib. I. p. 74. ſed anno MDXLIII. in ludum illuſtrem converſum, in quem ipſe An. MDXLIII. Argentorato evocatus, præceptor miſſus ſit, Lib. III. p. 194. & ſequenti narrat. Canonicorum Regularium S. Auguſtini inſtituta prius in *Afrano* Collegio viguiſſe, cum ipſe Lib. II. ad An. 1489. innuit, tum Albinus in Chron. provinc. p. 298. aperte docet.

*Agnes Aug. Henrici IV. mater donat Eccleſiæ Miſnenſi L. manſos.*

Anno deinde MLXIV. *Agnes* Auguſta, *Henrici IV.* mater, *Miſnenſi* Eccleſiæ largam donationem fecit, datis ea ſuper re *Triburiæ* literis, Regis manu ſignatis, quarum ſummam MS. Codex noſter in hunc modum refert: "*Agnes*
„ Auguſta, mater *Henrici IV.* Regis, cum conſenſu filii ſui
„ donat Eccleſiæ Miſnenſi, ad augmentum proventuum, &
„ meliorem ſuſtentationem Fratrum L. manſos (*Huf*, ſive
„ *Huben*) quos in proprietate ſua habuit in Burgvvardo
„ *Serebez*, in territorio Delemievv (fortè Deleminc) in
„ comitatu *Ottonis* Marchionis ſitos, cum omnibus eo per-
„ tinentibus, ſubditis utriuſque ſexûs, cultis, & incultis,
„ curtibus, ædificiis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, vena-
„ tionibus, aquis, piſcationibus, molendinis, viis, &
„ pontibus, omnique utilitate, quæ capi inde poteſt; ſic

„ ut

Digitized by Google

„ ut Præpoſitus *Miſnenſis* Eccleſiæ fructus omnes in uſum, „ & Fratrum commoda expendat, nec hominum ullus „ præterea juris ſibi quicquam in iis vendicet. Dat. *Triburiæ* „ VII. Id. Jan. An. MLXIV. „

Mortem *Reineri* conſignat Fabricius An. MLX. “ Obiit „ (*Reinerus*, inquit) XVII. Cal. Maji. In Hildeshemio, & „ Chemnicenſi Chronico ſcribitur ejus nomen *Rotmanus*. „ In anno mortis certo fallitur Fabricius: Lambertus enim Schaffnaburgenſis, & Annaliſta Saxo mortualem illi annum MLXVI. tribuunt his verbis: “ *Reginberus*, Miſhenſis Epi- „ ſcopus, obiit, cui *Craft*, præpoſitus Goslarienſis ſucceſſit. „ *Rotmanni*, Miſnenſis Epiſcopi nomen ad XVII. Cal. Maji, neque in Chemnicenſi Necrologio, quod Menckenius T. II. Col. 155. vulgavit; nec in Chronico, nec Annalibus Hildesheimenſibus, apud Leibnitium. T. I. nec in Excerpt. Necrolog. S. Michaelis Hildesheim. T. II. reperio: ut adeo etiam de eo dubium eſſe poſſit.

*Reiner Epiſ. mors.*

## IX. CRAFTO.

*Craftonem Reinero* ſuffectum veteres, recentesque Scriptores conſenſu tradunt. Fabricius ad An. MLX. hæc de illo. “ Eodem anno *Craftus*, Præpoſitus Goslarien- „ ſis, deſignatur Præſul à Wernero Antiſtite Magdeburgio, „ voluntate Imperatoris: Hic à Diabolo ſtrangulatur: nam „ cum ditiſſimus eſſet, & theſaurorum ſuorum, quam Sa- „ crorum ſtudioſior in conclave ad numerandam pecuniam „ ſæpius ſe incluſit. Quod cum more conſueto faceret, „ quodam die horrendum in modum exclamat in cubicu- „ lo: ejus miniſtri cum territi accurrerent, pecuniæ incu-

*Crafto Ep. electus ex Præpoſit. Goslar.*

„ ban-

„ bantem, colore tetro, & fractis cervicibus inveniunt. „ Teſtis Lambertus Schaffnaburgius, id factum XIV. Ca- „ lendas Julii. „

*Funeſto exitu paulo poſt mortuus reperitur.*

Quem teſtem laudat Lambertum Schaffnaburgium, is de Anno MLX. nihil, nihil de Diabolo, nihil de clamore ſtrangulati meminit: Sed ad annum MLXVI. rem ſic narrat: " *Reginberus*, Miſnenſis Epiſcopus obiit, cui *Craft*, „ Præpoſitus Goslarienſis, ſucceſſit. Sed is, dum ſuſcepto „ Epiſcopatu Goslariam veniſſet, poſt refectionem in cubi- „ culum, ubi theſauros ſuos, quorum nimius amator erat, „ nullo conſcio infoderat, quaſi paululum requieſcere vo- „ lens, ſeſe incluſit. Cumque jam die vergente in veſpe- „ ram, præter modum, conſuetudinemque ſuam, ſomno „ indulgere videretur; rem inſolitam mirantes cubicula- „ rii, pulſare oſtium cœperunt: ſed nec pulſantibus, nec „ vociferantibus ullum dabatur reſponſum. Tandem effra- „ ctis foribus irrumpentes, invenerunt eum fractis cervici- „ bus, colore tetro exanimem, ipſis theſauris ſuis miſera- „ bilem in modum incubantem. Epiſcopatum pro eo ſuſce- „ pit *Benno*, prædictæ Goslarienſis Eccleſiæ Canonicus. „ Iſtud, totidemque pene verbis Annaliſta Saxo de *Crabt*, ſeu *Craftone* ad An. pariter MLXVI. repetit. Monachus Hamerslebienſis de Præpoſitis Baſilicæ Goslarienſis apud Leibnitium T. II. p. 507. *Craftonem*, Miſnenſem deſignatum tantum Epiſcopum appellat. Quod indicio eſt, eum ſuſcepto vix Epiſcopatu, paulo poſt eſſe extinctum. Chronicon tamen Magdeburgenſe apud Meibom. T. II. p. 313. de *Wernero* Archiep. qui ab An. MLXIII. ad An. MLXXVIII. ſedit, tam in eo cum Fabricio ſentit, quod *Craftonem* ordinatum à *Wernero* affirmat; quam in eo diſſentit, quod eundem jam An. MLX. quo Wernerus necdum Archiepiſcopus

fuit.

fuit, Eccleſiæ *Miſnenſi* datum Antiſtitem eſſe velit: Sic enim illud de Wernero: " Hic ordinaverat *Miſnenſi* „ Eccleſiæ *Craft*, & *Bennonem* Epiſcopos. „ Unde fatalem *Craftoni* diem, XIV. Calendas Julii acceperit Fabricius, me latet: tametſi ſub id tempus miſerabilem ejus exitum contigiſſe, ſuffectus eodem adhuc anno *S. Benno* affirmare videatur.

## X. S. Benno.

Nullum illuſtrius in Eccleſia Miſnenſi *Bennone* nomen: id quod ille ſibi rebus pro DEO & geſtis, & fortiſſime toleratis, vitæ ſanctimonia, patratis in vita, morteque miraculis tam glorioſum confecit, ut publicâ Chriſtiani orbis veneratione inter illuſtres in Eccleſia DEI Sanctos colatur, & invocetur. Non eſt mihi conſilium, Sancti hujus vitam fuſius pertexere, quam Hieronymus Emſerus, poſt acta *S. Bennonis* vetuſtiora, luculento ſermone conſcriptam nobis reliquit, & Godefridus Henſchenius in acta Sanctorum Menſis Junii T. III. & Menckenius ex illo in Tom. II. Script. Saxon. intulit: ſed ea ſolum hic afferam, quæ aut ex iſtis, aut aliis documentis ad conſtituendam juſtam rerum *S. Bennonis*, temporisque ſeriem facere poſſe videntur. *S. Benno Epiſc.*

Ad Natales quod attinet, omnes illam ex *Woltenbergicorum* Comitum ſanguine deſcendiſſe produnt: in his Auctor Chronici S. Michaëlis Hildesheimenſis, Vetus Epitome Actorum, & Hieronymus Emſerus in Vita *S. Bennonis* Cap. I. Monachus Pirnenſis apud Mencken. T. II. Fabricius Annal. Miſn. Lib. I. Albinus in Chron. provinc. Miſn. Tit. XXII. Epitome vetus actorum *Fridericum* illi patrem, matrem *Ex Comitum Woltenbergic. genere.*

*Ejus Parentes & frater.*

*Bezelam*; Monachus Pirnenſis *Stephanum* etiam fratrem tribuit, quem Emſerus rectius *Chriſtophorum* nominat: Sic enim in literis Henrici IV. Imp. An. MLXII. de prædio in villa *Partimiles* ad Altare S. Petri in monte *Goslar*, datis appellatus: "Prædium (*inquit Henricus Rex*) quod fuerat „*Chriſtophori* Comitis, ſuique fratris *Bennonis*, Capellani „noſtri &c. „ Hildeshemium denique illi pro patria fuit, ubi ſi non natus, certe à teneris educatus fuit.

*Vitæ ante Epiſcopatum actæ compendium.*

Vitæ ante Epiſcopatum actæ hanc Godefriduus Henſchenius concinnavit epitomen: " *S. Benno (inquit)* anno „MX. natus Hildeshemii in Saxonia inferiore, ac mox „anno MXV. traditus in obſequium ſancti *Bernvvardi*, „Epiſcopi Hildesheimenſis, conſanguinei ſui, & ab eo tum „vivente, tum moribundo commendatus *Wigero*, Præ„poſito Monaſterii S. Michaëlis, ut dignis moribus, & ſtu„diis humanioribus inſtitueretur. Quibus aliquot annis „debite peractis, in eodem monaſterio anno MXXVIII. „vitam monaſticam auſpicatus eſt, atque ita profecit, ut „anno MXXXV. ad Diaconatum, & anno MXL. ad Sa„cerdotium fuerit promovendus. „

*Hildesbemii in Cœnobio S. Michaëlis educatur.*

Hæc ex Vitæ *S. Bennonis* ab Emſero conſcriptæ Cap. I. & II. Author Chronici Cœnobii S. Michaëlis Hildesheim. apud Leibnitium T. II. p. 400. addit, *Bennonem* ſuo in Monaſterio *ſub magiſterio Tangmari Decani educatum.* Emſerus vero in vita Cap. II. refert, nonnullorum opinionem fuiſſe, *Bennonem* Pariſios miſſum, ibique Theologicis Doctoris Inſignibus fuiſſe decoratum, propterea quod in Goslarienſibus monumentis apud Monachum Hamersleb. de Baſilica Goslar. p. 507. *Magiſtri* honorificus præter morem titulus eidem adſcribatur. Albinus nihil hæſitans, *Magiſtrum Pa-*

*Ejus doctrina, Scripta.*

*riſien-*

Digitized by Google

*riſienſem* appellat: ſed cautior Emſerus rem incertam in medio relinquit. Doctrinæ tamen ſpecimen Leibnitius T. II. Script. Brunſvvic. in introduct. in Collect. Script. p. 34. ex Libello *S. Bennonis* de Dictamine, ſeu de conſcribendis Epiſtolis, itemque ex ejusdem Expoſitionibus brevibus ſuper Evangelia Dominic. quæ extant in Cod. membran. Bibliothecæ Guelferbytanæ, nobis exhibet: in quorum operum priore hoc initium præfixum legitur: *Ego Benno Miſnenſis, humillimus ſervus Crucis Chriſti* &c. in poſteriore ſatis apparet, *allegoricum interpretandi genus authori placuiſſe, nec ingenium abſuiſſe:* Verba ſunt Leibnitii laudato loco.

Henſchenius ad reliqua ſic progreditur: " Abbas etiam „ anno MXLII. creatus, ſed poſt tres menſes, ex voto ſuo, „ ab eo munere fuit liberatus. Dum interim ab Imperato- „ re Eccleſia *Goslarienſis* conſtrueretur, & à *S. Leone IX.* „ Pontifice Romano conſecraretur, *S. Benno* eidem in Ma- „ giſtrum, & Canonicum anno MXLIX. aſſumptus eſt, ut „ novæ congregationi Dux eſſet, Eccleſiaſticæ diſciplinæ „ Præfectus. Quod cum decem, & ſeptem annos feciſſet, „ anno MLXVI. Epiſcopus Miſnenſis electus, & conſecra- „ tus eſt. „ Hæc ex Emſero in Vita S. Bennon. Cap. II. Aliter tamen Author Chronicus S. Michael. ſupra laudatus. Is enim Abbatem Cœnobii ſui, non niſi An. MLIV. conſtitutum ſcribit: " Tertius *(inquit)* Abbas eligitur 1054. Tribus „ menſibus laudabiliter præfuit: poſtea ab Henrico Impe- „ peratore vocatus Goslariam pro magiſtro Canonicorum, „ Epiſcopus *Miſnenſis* eligitur anno 1066. „ Sed enim mendum in anni numerum irrepſiſſe, & An. 1045. pro An. 1054. ſcribendum fuiſſe manifeſtum fit ex iis, quæ de *Sigeberto* ejus ſucceſſore ſubjungit: " Sigebertus *(inquit eodem*

*Abbas ibi electus,*

*Goslariam transfertur.*

„ *anno poſt tres menſes electus)* rexit laudabiliter 34. annos, „ mortuus 1079. „ ab hoc enim ſi annos regiminis 34. demas, reſtabit annus electionis 1045.

*Ibi Scholaſtici primum; tum Præpoſiti dignitate; augetur.*

Major eſt controverſia, an *Goslarienſis* Eccleſiæ Præpoſitus per annos XVII. fuiſſe dici poſſit: conſtat enim ex Lamberto Schaffnab. & Annaliſta Saxone (nec Emſerus id diffitetur) *Craftonem*, qui *S. Bennonem* in Epiſcopatu Miſnenſi præceſſit, fuiſſe ex Præpoſiti *Goslarienſi* Anno adhuc MLXVI. *Miſnenſem* Epiſcopum deſignatum: id quod clarius patet Præpoſitorum Goslarienſium Catalogum, apud Monachum Hamerslebienſem conſulenti. Quid, quod Lambertus Schaffnab. & Annaliſta Saxo *Craftonem*, diſerte *Præpoſitum* Goslarienſem; *Bennonem*, ejus ſucceſſorem, ejusdem Eccleſiæ *Canonicum* tantum appellent? Henricus etiam Rex in literis An. MLXII. datis de prædio ad *Partimiles, Bennonem* duntaxat *Capellanum* ſuum, non item *Præpoſitum* (qui hones in literis omitti alias non ſolet) ſcripſerit? unde veri ſimillimum judico, *Bennonem*, antequam *Crafto* ad *Miſnenſem* Epiſcopatum fuiſſet vocatus, *Canonicum* tantum, ac, ut vocant, *Scholaſticum*, & formandis morum, ac literarum diſciplinis junioribus Canonicis Magiſtrum eſſe datum; *Craftoni* deinde, perexiguo, quo in Epiſcopatu fuit, tempore, in Goslarienſis Eccleſiæ præfectura ſucceſſiſſe. Neque vero aliud mihi velle Monachus Hamerslebienſis de Baſil. Goslar. videtur, cum ſcribit: "Venerabilis *Benno*, „ maximis Imperatoris precibus, jubente præfato *Leone* „ (IX.) Papa, vix tandem à Monaſterio ſuo *(circa An.* „ MXLIX.) extractus, ac dictæ Goslarienſi Eccleſiæ, no„ væque congregationi ſpiritalis Dux ut eſſet, in Magiſtrum „ & Canonicum præfectus eſt. „ Cumque idem poſtea in catalogo Præpoſitorum Goslarienſium, qui poſtea facti ſunt Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcopi "*Craftoni* Miſnenſi deſignato Epiſcopo *Bennonem* „Magiſtrum, Miſnenſem Epiſcopum„ mox ſubjungat; innuere videtur, *Bennonem Craftoni* tam in Præpoſitura Goslarienſi, quam Epiſcopatu Miſnenſi An. MLXVI. ſucceſſiſſe.

"Humanæ igitur reparationis anno MLXVI. (ut poſt Lambertum Schaffnaburg. & Annaliſtam Saxonem, ſupra laudatos, Emſerus in vita Cap. II. loquitur) Venerabilis „*Benno* noſter à *Wernero* Magdeburgenſi Archiepiſcopo, „Pontificali veſte induitur, olei Sacri liquore perfunditur, „& inclytæ noſtræ Miſnenſis Eccleſiæ Præſul, decimus à „*Burckardo*, primo ejusdem paſtore, præficitur.„ Quod de *Wernero* hic Emſerus, id Magdeburgenſe etiam Chronicon p. 313. confirmat, *Bennonem* videlicet ab illo eſſe conſecratum. Non omittenda ſunt ea, quæ Emſerus Cap. III. de *S. Bennone* ſubjungit: "Imprimis Eccleſiaſticarum rerum, & divini cultus ſolicita illi cura fuit. Unde cum antiquorum more irregulatus adhuc eſſet in Eccleſia Miſnenſi cantus - - *Benno* noſter data opera, regularem, ac legitimum canendi uſum, juxta Hildeſheimenſis Eccleſiæ ritum, ac conſuetudinem, ad *Miſnam* primus traduxit: - - erat enim cæremoniarum omnium doctiſſimus, & circa rem Divinam ab infantia verſatus. - - „Mox animum adjecit beatiſſimus Pontifex ad viſitandos „ſingulos Diœceſis ſuæ pagos, & oppida, omnesque Eccleſiarum Rectores, id, quod etiam quotannis in propria perſona vicatim, oſtiatimque ſedulò factitabat. - - „Habuit autem vir DEI, in ſingulis Diœceſeos ſuæ plagis, „caſtellum unum, in quo viſitationis ſuæ tempore diverteret: in Oriente videlicet, & ſuperiore Luſatia *Gedau*, „in meridie *Breſnitz*; in Occidente *Neoburgum*, vulgo „*Naumburg*; ad Aquilonem vero, non longe ab urbe „Miſ-

*Fit Epiſcopus Miſnenſis:*

*Cantum Eccleſiaſticum Miſnæ reformat.*

*Diœceſin quotannis totam luſtrat.*

„ Miſnenſi, *Zſcheylau*, ubi hodie etiam collegiata habetur „ Eccleſia. Propter frequentes enim barbarorum incurſus, „ & hoſtiles vaſtitates, raræ tunc erant urbes in terra iſta: „ nam & *Stolpen*, *Wurzen*, ac *Mœgeln* oppida multo poſt „ tempore in poteſtatem venerunt Miſnenſis Eccleſiæ. Prædicta vero Caſtella *Breſnitz*, *Gedau*, & alia non parum „ multa, Henricus Imperator ſecundus, is, qui Divorum „ numero poſtea adſcriptus eſt, & ab Italis primus habetur, „ Eccleſiæ Miſnenſi olim dono dederat, ob preces *Eiconis* „ Tertii Miſnenſis Epiſcopi. „ Hæc Emſerus: nos, quæ Henrici II. Imp. fuerit donatio *Eidoni* facta An. MXIII. ſuo loco notavimus.

*Donationem Eccleſiæ ſuæ ab Henrico IV. impetrat.*

Ad An. MLXVIII. ut notat MS. Codex noſter, nova *Miſnenſi* Eccleſiæ donatio facta eſt ab *Henrico IV.* Rege. “ *Henricus IV.* Rex *(inquit)* Miſnenſi Eccleſiæ, & ejus loci „ fratribus contulit manſos Regios duos, ſitos in pago *Liu-* „ *bituvva*, & in vicinia, in territorio *Niſani*, in Burg- „ vvardo *Buiſtrizi* cum omni utilitatis jure in mancipiis, cul- „ tis, & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis &c. ſic ut „ Præpoſitus loci prædium (*Forberg*) poſſidere, ejusque „ proventus annuos in fratres diſtribuat. Dat. & à Rege „ ſignat. in *Rochliz* V. Cal. Novembr. An. MLXVIII. „

*Cum Bore Slavo nobili, tranſigit, de pagis X.*

Anno deinde MLXXI. ampla, geminaque ad fundos Eccleſiæ *Miſnenſis* acceſſio facta eſt: prima à Bore Slavo, ſed equeſtris dignitatis (ut ſcribit Emſerus Cap. III.) viro; altera iterum ab Henrico IV. Rege. De priore Codex MS. noſter ſic habet: “ *Benno* Miſnenſis Epiſcopus, literas ſua „ manu confecit hujus tenoris: Slavus, *Bor* nomine, homo „ liber, in præſentia, & de conſenſu duorum filiorum, *Wi-* „ *chardi*, & *Lutheri* Eccleſiæ Miſnenſi in proprietatem tra- „ didit

„ didit V. pagos ſitos in provincia *Niſane*, cum omni in „ mancipia, culta, & inculta, agros, prata, paſcua, ſil„ vas, aquas, vias, ac pontes, piſcationes &c. utilitatis „ jure, ſic tamen, ut *Bor* pater, quoad in vivis eſſet, uſum „ fructum non modo è quinque iſtis, ſed etiam è quinque „ aliis ſibi ab Eccleſia Miſnenſi in feudum concedendis, „ ſine ullo onere, aut ſervitute habeat: à patris morte, idem „ uſus fructus ex omnibus X. pagis inter duos filios diviſus „ maneat; ab eorum morte, pagi omnes ad jus Miſnenſis „ Eccleſiæ redeant. „ Pagorum V. quos *Bor* Miſnenſi Eccleſiæ tranſcripſit, nomina hæc ſunt: *Gözenbude*, *Oicice*, *Grodice*, *Cinici*, *Ludernvvici*: quos vero Eccleſia eidem in feudum conceſſit, *Leſize*, *Lucibibize*, *Wirnatin*, *Drogebudevvice*, *Roeina* in Codice noſtro appellantur.

De poſteriore Codex noſter hæc compendio: " Henricus IV. Rex Miſnenſi Eccleſiæ VIII. regales manſos in „ pago *Boreliz* ſub comitatu *Eggeberti* Junioris, cum omni„ bus eo pertinentibus, mancipiis, curtibus, ædificiis, cul„ tis & incultis, agris, ſilvis, aquis, & omni utilitatis jure „ in proprietatem dedit, hoc onere, ut qui inde uſum fru„ ctum habebit, anniverſarium mortis diem pro Marchione „ *Eggeberto* tam ſeniore, quam deinceps pro juniore, ritu „ ab Eccleſia præſcripto celebraturis fratribus ſtipendium „ ſolvat. Datum & à Rege ſignatum *Goslariæ III.* Idus „ Decembr. An. MLXXI. „

*Iterum novam donationem ab Henrico IV. impetrat.*

Occaſionem hujus in Miſnenſem Eccleſiam munificentiæ haud dubie præbuerit *Henrici IV.* Regis in eam urbem adventus, de quo Lambertus Schaffnaburg. ad An. MLXXI. p. 349. " Inter Ducem *Polonorum*, & Ducem *Beheimo*„ *rum* infeſtiſſima diſſenſio erat, propter quod eos Rex in „ civitatem *Miſene*, autumnali tempore evocatos, durius

*Henricus IV. Miſnæ pacem inter Bohemos & Polonos ſancit.*

„ corri-

„ corripuit, & ut deinceps ſuis ſinguli terminis contenti eſ-
„ ſent, nec ſe invicem temerariis incurſionibus laceſſerent,
„ ſub obtentu regiæ majeſtatis præcepit, alioquin ſe hoſtem,
„ & vindicem experturus foret, qui prior alteri arma in-
„ tuliſſet. „

Atque hoc fuit tempus, quo Henrico etiam IV. Rege benevolo uſum eſſe S. Bennonem, Emſerus tradit. " Similiter (*ſcribit is Cap. III. n. 34.*) & Henricus IV. ejus „ nominis Rex, dum adhuc ſub jugo eſſet B. *Annonis* „ Colonienſis Antiſtitis, Eccleſiæ Miſnenſi nonnulla prædia, „ ac bona, juxta regiam munificentiam liberaliter conceſſit. „ Addit deinde de *Bezela S. Bennonis* matre: "Sed & *Bezela*, „ mater Divi *Bennonis*, diſtractis omnibus bonis ſuis, filium „ poſt adeptum Epiſcopatum huc etiam ſecuta erat: cui ille „ caſtellum *Gedau* habitandum indulſit, & quoties ibidem „ viſitationis ſuæ munere fungeretur, anili, & decrepitæ „ mulierculæ multo erat ſolatio. Quæ etiam adhuc vi- „ vens, & deinde poſt obitum ſuum (*brevi enim poſt de-* „ *functa eſt*) Eccleſiæ Miſnenſi, quidquid ex dotalitiis, & „ paraphernalibus, aut aliis quibuſcunque bonis relinque- „ ret, teſtamento legavit: ex quibus eidem pientiſſimus na- „ tus perpetuam apud Eccleſiam memoriam, & Domini- „ cale illud officium, quod Dominico quoque die ibidem „ peragunt, comparatis ad hoc cenſibus, inſtituit. „

*Bezela S. Bennonis Mater Eccleſiæ Miſn. ſua omnia legat.*

Interea dum & Eccleſiæ ſuæ commoda, & Slavicæ gentis, ſuperſtitionum inanium præſtigiis miſerum adhuc in modum captæ ſalutem quærit unice, turbulentis iis tumultibus, quibus omnis Saxonia cum Henrico IV. Rege colliſa eſt, & ipſe involvitur. Principium turbarum à caſtellis, quæ muniri Rex *Henricus*, & à decimis, quas Sigfridus

exigi

Digitized by Google

exigi Archiepiſcopus Moguntinus juſſit, Lamberto Schaffnaburgenſi teſte, extitit. Edicta eam ob cauſam *Erfurtum* Synodus An. MLXXIII. in qua aſſederunt "cum Rege, & „ Archiepiſcopo Moguntino *Herimannus* Babenbergenſis „ Epiſcopus, *Hecel* Hildenesheimenſis Ep. *Eppo* Citicenſis „ Ep. *Benno* Oſenbruggenſis Ep. qui non ad diſcutiendam „ juxta leges Eccleſiaſticas cauſam fuerant evocati, ſed ut „ id, quod Rex volebat, --- quaqua poſſent ratione, & „ conſilio, obtinerent.„ Huic ſe cum ceteri fere opponerent, & Rex ſimulata in *Boemos* expeditione, bellum *Saxoniæ* importaturus crederetur; principes *Saxoniæ* ancipiti periculo permoti, clandeſtina crebro conventicula faciebant. "Una omnium voluntas, eadem erat „ ſententia -- malle ſe mori, atque extrema omnia prius ex- „ periri, quam acceptam à parentibus libertatem per dede- „ cus amittere. Hujus conjurationis authores, ac ſigni- „ feri quidem erant *Buceo* Halberſtadenſis Ep. *Otto* Dux „ quondam Bajoariæ, atque *Herimannus*, frater *Ottonis*, „ Saxonici Ducis, qui ſuperiore anno deceſſerat. Sed *Bu-* „ *ceo*, licet frequentibus injuriis à Rege laceſſitus fuiſſet, „ tamen, quia vir eximiæ ſanctitatis erat, & optimæ in Ec- „ cleſia DEI exiſtimationis, credi nullo modo poteſt, aliter „ in hanc audaciam prorupiſſe, niſi zelo DEI, & ſola com- „ munis commodi ratione. „ Idem de ceteris Antiſtitibus *Wernhero* Magdeburgenſi, & Merſeburgenſi, *Bennone* Miſnenſi, quos eadem in cauſa cum *Ottone* quondam Bajoariæ Duce, ceterisque Lambertus hic conjungit p. 356.

*Belli origo inter Saxones & Henric. IV.*

Inter hæc tamen tumultûs initia, *Henricus IV.* quod mirere, III. Cal. Julii An. MLXXIV. Miſnenſi Eccleſiæ *Rothiboresdorff* pagum, ſitum in Comitatu *Eggiberti*, in provincia *Daleminci*, in Burgvvardo *Zadicenſi* donavit cum omni utilitatis jure, ac Miſnenſi Epiſcopo ſervandi, vel alie-

*Henric. IV. Rothiboresdorff donat Miſnenſi Eccleſiæ.*

nandi poteſtatem fecit literis Moguntiæ eo anno, dieque datis, quas recenſet MS. Codex noſter. Sed ea Regis gratia brevi triſtes in iras deſiit. Cum enim patrato ad VI. Idus Junii An. MLXXV. cum Saxonibus prœlio *Henricus* Rex victor diſceſſiſſet; fractique metu Saxones, æquas tamen pacis conditiones per legatos, & obſides impetraturos ſe ſperarent; ſimulata in præſens neceſſaria in *Hungariam* expeditione, in *Bohemiam* cum numeroſa equitum turma Rex profectus eſt. Sed enim mox iterum, ut narrat Lambertus Schaffnab. ad hunc annum p. 393. " Aſſumpto „ in *Boëmia* Duce, & exercitu Boemico, per occultos, & „ difficillimos tramites in *Saxoniam* contendit. - - Igitur „ usque *Miſenen* pervenit urbem, ſitam in confinio Boe„ miæ, & Saxoniæ: ibi à civibus pacifice in civitatem ſuſ„ ceptus, Epiſcopum civitatis ipſius (*S. Bennonem*) com„ prehendit, omnia, quæ ejus erant, diripuit: hoc ſolo „ reum majeſtatis eum adjudicans, quod toto tempore „ belli Saxonici nullos ad eum ſervatæ erga rempublicam „ fidei indices nuncios, vel literas deſtinaſſet. Cæterum „ homo Eccleſiaſticæ paupertatis, & nihil, aut parum ha„ bens pompæ militaris, vota forſitan contra rempublicam „ facere, arma ferre non poterat, nec magnum vel his, vel „ illis partibus momentum, amicus ſive inimicus extitiſſet. „

*S. Bennonem Epiſc. comprehendit: res ejus diripit.*

Sed quando non unus, ſed plures Epiſcopi, atque inter hos *Wernerus* ipſe Magdeburgenſis Archiepiſcopus, poſtquam ſe regiæ poteſtati ultro tradidiſſent, in cuſtodia tenebantur; " miſit Romano Pontifici (*is erat S. Gregorius VII.*) „ Henricus legatos, qui ei intimarent, quod Epiſcopi Saxo„ niæ, ſui ordinis obliti, contra ſe in prœlio congreſſi fuiſſent, „ eumque rogarent, ut eos ſicut infideles, perjuros, & belli ci„ vilis auctores gradu Sacerdotali deponeret, quatenus tales,

„ per

Digitized by Google

„ per quos Eccleſia pacate regeretur, ipſe in eorum locum „ poneret. „ ut ſcribit Bruno Hiſt. Bell. Saxon. apud Freherum T. I. p. 196. " Sed enim (*ut idem proſequitur*) Regis „ Legatos ad Apoſtolicum fama præceſſerat, eique ſeriem „ rerum geſtarum totam veraciter indicaverat. Miſit ergo „ Regi literas, quibus eum de multis aliis criminibus arguebat, & ut Epiſcopos à captivitate dimiſſos, Eccleſiis, bo„ niſque ſuis integre reſtitutis, remitteret, orabat; & poſt „ hæc Concilium in eo loco, quo venire poſſet Apoſto„ licus, congregaret, ubi Epiſcopi vel ſi digni eſſent, Epi„ ſcopalem perderent dignitatem; vel injuriarum, quas „ erant paſſi, canonicam reciperent ſatisfactionem. „ Adjectæ deinde Eccleſiaſticæ in Regem ipſum minæ, niſi morem Eccleſiæ Matri gereret. Hæc An. MLXXVI. Sive igitur is metus Henricum IV. moverit, ſive nova ſolicitudo, ut exiſtimat Lambertus Schaffnab. p. 410. ne, elapſo cuſtodum manibus *Buceone* Halberſtadenſi, Saxonia iterum novis motibus miſceretur; " Epiſcopum Magdeburgenſem, „ Epiſcopum Merſeburgenſem, Epiſcopum *Miſenenſem* „ (*S. Bennonem*) - - præterea omnes Saxoniæ, & Thu„ ringiæ principes, qui adhuc in deditione tenebantur, ab „ exilio revocari jubet, & clementer accerſitis ait, ſe cum „ juxta palatinas leges extremo in eos ſupplicio animadver„ tere poſſit - - veniam dare, & quod amplius ſit, non „ aliud ab eis quærere redemtionis pretium, quam ut ſibi „ deinceps in dubiis rebus fideles, ac devoti maneant, au„ xiliumque præſtent ad componendum Regni ſtatum. „ Eadem refert Emſerus in vita S. Bennonis Cap. IV. additque. " Illi abeuntes polliciti ſunt, quoad juſte Imperium „ adminiſtraret, & Eccleſiam DEI perſequi deſineret, ſe „ ejus commodo, & honori nuſquam defuturos. „

*Epiſcopos Saxoniæ apud Rom. Pontificem incuſat:*

*captos tamen in ſedes ſuas dimittit.*

*S. Benno à Burchardo Marcb. multis moleſtiis afficitur.*

Sed enim *Benno* ad Eccleſiam ſuam reverſus, triſtia nuperi belli veſtigia, recentesque *Burchardi*, Miſnenſis Præfecti, injurias ſuis ipſe oculis uſurpavit. "Erat idem „ *Burkhardus* ingenio malo, pravâque naturâ præditus, lin„ guâ præterea, ac manu promptus (*ſcribit de illo Emſerus*) cumque magis Cæſaris, quam DEI ſui mandata „ obſervaret, beato viro *Bennoni* multas intulit moleſtias, „ piosque ejus conatus, quibus potuit artibus, fefellit. „ Non tamen impune: nam ſcelerum ſuorum mox juſtas „ dedit pœnas, à ſubditis ſuis propter crudelitatem, & „ ſævitiam miſere necatus. Equus enim, in quo fugam „ ſperabat, alioquin celerrimus, tunc cum invaderetur, cal„ caribus utcunque admotis, pedem movere nequivit, do„ nec ſeſſor frequenti vulnere confoſſus, miſeram exhala„ vit animam. „ Quod poſtremum, & Bruno de bello Saxon. p. 208. & Annaliſta Saxo ad An. MLXXVI. confirmant.

*Henric.IV. in Miſniam hoſtiliter irrumpit:*

*Miſnia* per id tempus præter communes belli calamitates, multa perpeſſa eſt incommoda: Obierat ſub Ann. MLXXV. *Dedi* Marchio, longa ægritudine abſumptus: *Henricus* Rex, Lamberto teſte, p. 394. "Marchiam ejus Boe„ mico Duci in præmium exactæ militiæ dedit: tametſi „ uxor Marchionis, *Adala*, filium ſuum, cui hæreditaria „ ſucceſſione marchia debebatur, ei paulo ante pro ſe ob„ ſidem miſiſſet. „ Hoc nunc Miſniæ Marchione *Henricus* Rex "ipſe, ut inſtituerat, pauciſſimos ſecum aſſumens „ Teutonici exercitus milites, ceteris omnino: quid moli„ retur, ignorantibus, in *Boemiam* contendit, ibique juncto „ ſibi Duce, ac milite Boemico repente, plus quam tanto „ operi expediret, fidens neſcio, an negligens, in Mar„ chiam *Miſnenſem* ſe infudit. - - Ubi per *Saxoniam* rumor

„ pe-

Digitized by Google

„ percrebuit, quod Rex conterminam Regni Saxonici marchiam *Miſenenſem* ferro, & igne depopularetur, ad arma conclamant: multa millia hominum brevi concurrunt. - - Forte tum temporis, DEO miſericorditer ſaluti Regis proſpiciente, fluvius *Milda*, qui utrumque exercitum medius dirimebat, effuſis nuper imbribus vehementer intumuerat, atque omnem transmeandi facultatem ademerat: cujus Rex inundatione commodiſſime pro ſe uſus, non exſpectata decreſcentium aquarum viciſſitudine, in *Boemiam* ſe recepit, maturatoque in Bajoariam reditu, mæſtus, ac pœnitens, quod tantos labores in vacuum expendiſſet, *Wormatiam* repedavit. Et quoniam digrediens Duci Boemico marchiam *Miſnenſem*, tam ſpectatæ in arduis rebus fidei præmium dederat; *Egbertus* Marchio, cujus eadem marchia erat, filius patruelis Regis, puer longe adhuc infra militares annos, ubi primum decreſcentibus aquis fluvius factus eſt tranſmeabilis, adjunctis ſibi Saxonibus *Miſſenen* perrexit, omniaque caſtella, quibus Dux Boemicus præſidium impoſuerat, admota militari manu, recepit, ſuosque milites, qui deinceps contra novam hoſtium irruptionem indefeſſi excubarent, impoſuit. „ Hactenus Lambertus Schaffnaburgenſis ad An. MLXXVI. p. 410.

*eam provinciam Bohem. Duci attribuit, ab Ecberto Marchione mox recuperandam.*

Haud ſcio, an *S. Benno*, tum adhuc *Miſnæ* fuerit, cum *Henricus IV.* cum Duce Bohemiæ, cui *Miſniam* provinciam delegarat, omnia ferro, igneque evaſtaret, certe ſi *Egberto* juvene, ejectis jam Bohemis, rerum in *Miſnia* potiente, *Benno* adhuc ſua in urbe fuiſſet; cauſa non erat, cur his annis metu Cæſaris Romam ad Pontificem ſe conferret. Haud à fide abhorret, *S. Bennonem*, non immemorem, quæ priore *Henrici* in *Miſniam* irruptione, ſalvis

*S. Benno profugus*



Digitized by Google

ceteris, ſibi uni calamitas incubuiſſet, haud expectandum ſibi ſecundum irati Regis adventum putaſſe; ſed ad primum novi belli rumorem, exceſſiſſe urbe, & ad Rom. Pontificem, S. Gregorium VII. per obſepta undique itinera mature elapſum eſſe. Neque vero aliud expectare poterat vir ſanctus qui, quæ Wormacienſi in conventu adverſus Gregorium VII. dicta & ſancita erant, ne ad aures quidem admitteret: "nam hi (*ut ſcribit Annaliſta Saxo ad An. MLXXVI.*)
„ qui *Henrico* in abdicatione ſummi Pontificis aſſenſum da-
„ re noluerant; quique ſummo Pontifici, ne ei, ut Regi,
„ poſt depoſitionem ſervirent, interdicenti obedierant, gra-
„ ves ab illo perſecutiones perferebant. „

Narrat vero Emſerus C. IV. *S. Bennonis* iter Romam ſuſceptum, & quæ per id tempus *Miſnenſis* Eccleſiæ procuratio ſit adhibita, docet: "Itaque iter (*inquit*) arripiens
**Romam petit.**
„ Romam verſus, ad indictum concilium, non ſine multo
„ labore, & difficultate pervenit: ſiquidem Imperator
„ illuc tendentibus paſſim poſuerat inſidias, quas ille tamen
„ divino fretus auxilio incolumis tranſivit. Veniens au-
„ tem ad Pontificem, ab eo, quod unus ex omnibus fere
„ Germaniæ Epiſcopis, auſus fuiſſet plus DEO, quam ho-
„ minibus obedire, vehementer collaudatus, & in amici-
„ tiam non vulgarem receptus eſt. Ferunt conſtante ad-
„ huc fama abeuntem claves Eccleſiæ Miſnenſis duobus
„ commiſiſſe fratribus ſuis Canonicis, ut ſi Rege excom-
„ municato, hi, qui ſuarum partium eſſent, ab Eccleſiæ
„ ingreſſu non temperarent, obſeratis janius, eas in Albim
„ fluvium dejicerent: quod & factum eſt. - - Immoran-
„ te apud Pontificem Divo noſtro *Bennone*, Romam venit
„ quidam Venerabilis Pater, nomine *Theodoricus*, ſuffra-
„ ganeus Epiſcoporum unus, qui cum cauſam Regis defen-
„ den-

Digitized by Google

„ dentes, ſimul cum ipſo execrati fuerant. Quamobrem „ dictus *Theodoricus*, ne tanti ſe criminis participem faceret, Pontificem adiit, & cum pauper eſſet, vitæ ab eo petiit ſubſidium. Ille autem, quo diutius Divum *Bennonem*, cujus conſuetudine plurimum delectabatur, ſecum „ detinere poſſet; eundem ſuffraganeum Divo *Bennoni* „ noſtro ſuffecit, & *Miſnam* deſtinavit, quatenus vero abſente Paſtore, Pontificalis interim officii miniſterium adimpleret: cui tam Apoſtolicis, quam Divi *Bennonis* admoniti literis Canonici, præbendam unam in Eccleſia „ *Miſnenſi* aſſignarunt: inter quos aliquamdiu laudabiliter „ vixit, plenus virtutibus, & honeſtæ converſationis moribus. Quadam vero die cum Epiſcopalis muneris gratia „ *Colditz*, ejusdem Diœceſeos oppidum, ſimul cum Capellano ſuo peteret, multo ſenio gravatus, ſubito in via „ cœpit deficere: delatusque ad proximum molendinum, „ cui *Komlitz* adhuc hodie nomen eſt, magna devotione „ diem clauſit extremum. „ Hæc Emſerus, haud dubium, ex illo vitæ *S. Bennonis* libello, quem nuper antiquiſſimum in Hildesheimenſi cœnobio mirabiliter inventum ſcribit N. 53.

*Theodoricus Ep. S. Bennonis vices obire jubetur,*

*moritur.*

Haud omnino conſtat, quamdiu apud Rom. Pontificem *Benno* manſerit: Biographus enim Cap. IV. Num. 48. generatim tantum ſic ſcribit: " Fractis Imperatoris viribus, „ cum nil amplius timoris eſſet, Divus *Benno*, qui multo „ jam tempore Pontificis lateri adhæſerat, reditum tandem „ ad ovile ſuum, vix magnis impetravit precibus. „ Conjectura tamen eſt veriſimilis, eum non ultra An. MLXXX. Romæ manſiſſe: tum quod *Henricus* magnam eo anno cladem ad *Elſtram* accepit; tum quod in Italiam bello translato, nec ipſe Pontifex ſua in urbe ſecurus eſſet. Relicta

*S. Benno Miſnam redit,*

igi-

Digitized by Google

igitur Roma per Rhæticas Noricaſque Alpes in Germaniam rediit *S. Benno*, pacato jam itinere in *Miſniam* profecturus. " Ne autem ſub primum ipſius adventum Civitas (*Miſnen-* „ *ſis*) commoveretur (*inquit Biographus*) neve illi clerus cum „ ſolita ferculorum pompa in occurſum procederet, ſub „ peregrini ſpecie ad hoſpitium publicum, omnibus igno- „ tus, divertit. Memorant incolæ in hodiernum usque „ diem, hoſpitem, dum ingentem quendam piſcem, ex „ Albi flumine eadem forte hora allatum, exenterare cœpiſ- „ ſet; ſub brancis, ſeu pinnis ipſius clavem reperiſſe Eccle- „ ſiæ, quam Divus *Benno* poſt abitum ſuum in eundem „ fluvium projici mandaverat. Cujus rei fama cum mox „ totam repleſſet urbem, Canonici præfatum hoſpitium „ repente irruunt, & agnitum Poſtorem ſuum maximo to- „ tius urbis plauſu, ad Eccleſiam ſuam conducunt. „

*claves Eccleſ. mirabiliter reperta.*

Pluribus deinde exequitur, quæ in reconcilianda cum Eccleſia plebe, in adducendis ad Chriſtianæ legis officia vicinis Slavis, in abolendis veterum ſuperſtitionum reliquiis naviter, ſanctequе, quæ ſupra naturæ vires mirabiliter *Benno* egerit: ut denique ſolitudinis amore in extremo Diœceſeos ſuæ ad occidentem limite *Naumburgi* ædiculam DEI Matri, ſanctisque cælitibus; ſibi vero caſam humilem ponè ædem ſacram extruxerit: ubi deinceps uno cum Sacerdote deliteſceret, & "niſi Epiſcopalis curæ munere exigen- „ te, ab ea nusquam diſcederet. „

*S. Bennon. ſanctus labor in excolenda Diœceſi ſua.*

Sed cum his, qui conciliari poſſint, quæ *Waltramus* Numburgenſis, homo Schiſmaticus, & pravæ mentis Lib. II. de unitat. Eccl. conſervat. apud Freher. T. I. p. 294. de *Bennone* Miſnenſi narrat, equidem non video. Is enim, poſtquam *Bennonem* hunc noſtrum, inter inclytos illos

*Waltrami Naumburg. Ep. ſuſpecta narratio de S. Benn.*

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ defenſores numeraſſet "qui aut fugiendo Epiſco-
„ patus ſuos dimiſerunt, aut eos per bella maxima vindi-
„ cando uſurpaverunt, „ quales erant *Gebehardus* Salzbur-
genſis, & *Hartvvigus* Magdeburgenſis, Archiepiſcopi,
Epiſcopi *Adalbero* Wirtzburgenſis, *Altmannus* Paſſavienſis,
*Burchardus* Halberſtadenſis, *Hermannus* Metenſis, *Benno*
Miſnenſis, aliique, quos Cap. XX. enumerat; cap. ſubinde
XXV. addit, *Bennonem*, unum omnium damnatorum An-
tiſtitum, acceſſiſſe *Clementem III.* (is erat *Guibertus* Anti-
papa, Ravennæ Archiepiſcopus, An. quidam jam MLXXX.
S. Gregorio VII. ab Henrico IV. oppoſitus; ſed anno pri-
mum MLXXXIV. Romanæ ſedi intruſus) & erroris ſui ve-
niam oraſſe, ac impetraſſe. Sic enim ibi: "Sed ex his
„ omnibus Epiſcopis, qui vel damnati fuerant, & depoſiti,
„ unus tantum, ſcilicet *Benno* Miſnenſis Epiſcopus, venit
„ ad ſedem Apoſtolicam (ſic enim *Guiberti*, ſeu *Clementis*
„ ſui impium dominatum homo Schiſmaticus ſemper ap-
„ pellat) pro errore ſuo petiturus veniam, quam & pro-
„ meruit accipere. - - Ergo *Clemens* (*Guibertus* Antipapa)
„ Papa pœnitentem benigne ſuſcepit, & confeſſum pro er-
„ rore ſuo, honorifice tractavit, abeuntemque cum literis
„ Apoſtolicæ ſedis ad *Henricum* Imp. miſit, quem & ipſe
„ libenter accipiens correctum dimiſit libere abire in Epiſco-
„ patum ſuum. „ Mox tanquam fidem ipſe non ſatis cer-
tam huic *Bennonis* cum *Guiberto* reconciliationi adhiberet,
iſta ſubjicit: " Sed illa ſatisfactio utinam fuerit pura, ſynce-
„ ra, atque Catholica! - - nam certum eſt, eundem Epi-
„ ſcopum *Bennonem* nihil deinceps viriliter egiſſe cum Com-
„ provincialibus pſeudoepiſcopis (*ſic veros, & legitimos*
„ *Antiſtites Schiſmaticus appellat*) vel cum Principibus Saxo-
„ niæ pro conventione, & ſtudio pacis Eccleſiaſticæ. „

M Fallit

Digitized by Google

*Quibus de cauſis.* Fallit igitur, aut fallitur *Waltramus*, cum per ſedem Apoſtolicam, quo B. *Benno* acceſſit, *Clementem* ſuum, ſeu *Guibertum* intelligit: *Gregorius* erat VII. verus, & legitimus Pontifex, ut acta *S. Bennonis* nos edocent, apud quem extorris ſua ſede Epiſcopus, receptum habuit. Et vero quid cauſæ eſſe poterat, ut Vir Sanctus poſt An. MLXXX. à Gregorio VII. deſciſceret, qui integris adhuc Henriciani Imperii viribus, & ardenti in Miſnia, & Saxonia bello per annos VII. in ejus fide perſtitiſſet? quid *Henricum* longe in Italia abſentem vereretur Epiſcopus, qui præſenti non ceſſiſſet? deerant fortaſſe in vicinia Principes, & Antiſtites, qui eundem, quem ipſe ad eum diem, ſequerentur ſummum Eccleſiæ Paſtorem? At enim *Hartvvigus* Magdeburgicus, Mersburgenſis, Cicenſis in ejus fide perſtabant; & ſi deeſſent alii, *Egbertus* Marchio Thuringiæ vim, ſiqua ingrueret, facile prohibere & potuiſſet, & voluiſſet.

Verum eſt, reverſo ex Italia Henrico IV. "Saxoniæ „ faciem (*ut loquitur Annaliſta Saxo ad An. MLXXXV.*) „ irrevocabiliter alteratam: qui enim ſe antea pro ſolo „ Apoſtolicæ ſedis patrocinio Henrico adverſatos affirma„ verunt - - jam obliti Papam eundem violenter expulſum, „ *Herimannum* Regem inhumane deſtitutum, Henrico per „ crebras legationes non ſolum communicant, verum etiam „ Imperatorem, quamvis ab excommunicato conſecratum, „ appellant. „ Sed enim idem ſcriptor mox ſubjungit: "Reclamant Archiepiſcopi cum Epiſcopis. „ Quis igitur credat, unum ſe *Bennonem*, alioquin ſedis Romanæ obſervantiſſimum, in re tanta, ſine cauſa, à cæterorum Coëpiſcorum ſententia abjunxiſſe? Credibile eſt igitur, fautores quondam Henricianæ partis, quo ſe magno nomine tuerentur, in vulgus jactaſſe, *Bennonem*, virum notæ ſancti-

ſanctimoniæ, ab *Henrico*, & ejus conſecratore *Clemente III.* non ita abhorrentem, & Schiſmatico id *Waltramo* facile perſuaſiſſe.

Fabricius ut vacillantem *Waltrami* fidem ſuſtentet, Henrici IV. literas poſt id tempus *Rochlicii*, *Alſteti*, *Goſlariæ*, *Mantuæ*, *Spiræ*, *Moguntiæ*, *Bernæ*, & privilegia *Bennoni* Miſnenſi data, in ſubſidium vocat. Verum ex his, alia jam An. MLXV. *Rochlicii*, An. MLXXI. *Goslariæ* An. MLXXIV. *Moguntiæ*, ut ſupra meminimus, hoc eſt, ante Schiſma data ſunt: alia, quæ *Alſteti*, *Mantuæ*, *Bernæ* collata feruntur, nuſquam comparent: unicum, quod ad Annum MXC. *Spiræ*, prid. Id. Martii datum in cod. MS. noſtro reperio, Eccleſiæ quidem Miſnenſis meminit, *Bennonis* Epiſcopi non meminit: eſtque ſumma ejus, ut ſequitur: "*Henricus* hujus nominis inter Impp. III. inter Reges „ IV. id, quod Eques *Henrici* Marchionis *Cos* dictus in feu„ dum habuit in Burgvvardo *Nimucove*, & pagum *Wiſcani*, „ ſitum ad *Gana* fluvium, in provincia *Daleminci*, in comi„ tatu Marchionis *Henrici*, quem Eccleſiæ Miſnenſi in pro„ prietatem dedit, cum omnibus eo pertinentibus, ædificiis, „ cultis, & incultis, pratis, paſcuis, aquis, molendinis, ſil„ vis, venationibus, viis, & pontibus, omnique utilitatis „ jure, quod inde capi poteſt, in plenam poteſtatem dat Ec„ cleſiæ *Miſnenſi*, & pro libitu de iis diſponendi. Datum „ *Spiræ* pridie Id. Martii An. Imperii VII. Regni vero XXX. „ Sed his ex literis nihil ſane colligi poteſt, *Bennonem* vel cum *Henrico*, vel cum *Clemente III.* ſeu *Guiberto* in gratiam rediiſſe: potuit *Henricus* Marchio, apud Cæſarem alioquin gratioſus; potuit alius quiſpiam hanc Miſnenſi Eccleſiæ gratiam exorare, quin *S. Benno* prius, quid ageretur, ſciret: potuit ea donatio Canonicis, non Epiſcopo, eſſe

*Nec certior Fabricii fides.*



Digitized by Google

ſacta, adeoque quid communionis *Bennoni* cum Cæſare ea in re interceſſerit, non video.

Quamquam ſi etiam certum eſſet, *Bennonem* poſt mortem *S. Gregorii VII.* An. MLXXXV obitam, *Clementis III.* partes aliquamdiu ſecutum, reprehenſione id carere poſſet: conſtat ſane, quam acriter jam An. MLXXX. *Brixinæ*, & rurſus *Moguntiæ* pro *Guiberto* niſi ſint Longobardiæ, & Germaniæ Epiſcopi, ut narrat Annaliſta Saxo: fieri igitur, potuiſſet, ut *Benno* communi errore deceptus, *Guibertum* defuncto nuper Gregorio VII. ſuffectum legitime eſſe crederet, quem tot Italiæ, & Germaniæ Epiſcopi ſequerentur: ſed eum ubi errorem edoctus eſt, ad veri Pontificis partes, quem animo nunquam deſeruerat, rediiſſe. Sed enim nimium tribuimus *Waltramo* Schiſmatico, tametſi non culpam, ſed errorem duntaxat, fuiſſe in S. Epiſcopo ſuſpicemur. In viam igitur, unde longo diverticulo digreſſi ſumus, redeamus.

Quanquam pacatiorem ultimis vitæ ſuæ annis nactus ſit Eccleſiæ poſſeſſionem, tamen ne id quidem tempus ſine multis incommodis fuit. Author palmaris injuriæ *Henricus Marchio* fuit, (hoc enim nomen recentiores illi tribuunt, quod vetus Actorum opitome, Bullaque Pontificia non habent) Cæſaris, plusquam fas piumque admitteret, ſtudioſus. Hic cum manus ab Eccleſiæ fundis, iis etiam, quos *Henricus IV.* adhuc juvenis Eccleſiæ Miſnenſi donavit, non abſtineret, pro merito reprehenſus à S. Præſule eſt. Id ille injuriam interpretatus ſuam, cum objecta diluere nulla ratione poſſet, S. Antiſtitem "nihil cano „ capiti, nihil Sacro ordini deferens, venerabilem ſenem „ dura percuſſit alapa. Cui pius Pontifex, non ſuæ quidem „ inju-

*S. Benno à Marchione alapa percuſſus, pœnam divini-*

„ injuriæ memor, ſed cœleſtis ſententiæ ſpiritu revelante „ edoctus, futurum prædixit, ut anno ſequente, eodem „ die, admiſſi ſceleris pœnas daturus eſſet. „ Nec multo poſt mortalitatem explevit *S. Benno*, poſtquam vitæ XC. Epiſcopatus ſui annum XL. ſanctiſſime exegiſſet. Obiit enim An. MCVI. XVI. Cal. Julii, ut præter Emſerum in vita Cap. V. Num. 60. Chronicon S. Michaëlis Hildesheimenſ. annotavit.

*tus inſligendam vaticinatur.*

*Moritur.*

*Triſtis vaticinii fides.*

Mortem viri ſancti mira odoris fragrantia pretioſam in conſpectu Domini fuiſſe, liquido demonſtravit. Sepultus in Eccleſia *Miſnenſi* Pontificali pompa, ejusque Caſula, ac Pedum annis CLX. & amplius, ſine ulla tabe, integra ex ſepulchro poſtea extracta ſunt: & Oſſa vino abluta, ægris ſanitatem plurimis reddidere. Nondum annus à beato ejus ad vitam meliorem exceſſu fluxerat, cum *Henricus* Marchio (ſi modo hoc fuit nomine Marchio, de quo hic ſermo eſt: *Henricum* enim Marchionem jam An. MCIII. deceſſiſſe, Annaliſta Saxo, & Conradus Urſpergenſis ſcribunt; anno vero ſequenti Chronographus Saxo, qui *Henricum de Ilburg Marchionem* appellat.) dirum *Bennonis* vaticinium malo ſuo explevit. " Circumacto enim anno „ (*ſcribit Emſerus Cap. V. Num.* 58.) cum dies ultioni di- „ cta ad veſperum jam inclinaſſet; Marchio, qui duro cor- „ de facinoris tanti necdum ullam egerat pœnitentiam, ve- „ rum etiam ludibrio habens tanti viri præſagium, ad con- „ ſiliarios ſuos converſus, en, inquit, dies, quem atrum „ nobis *Benno* futuram interminatus fuerat, ſine noxa ad- „ eſt: non conſiderans, veniſſe quidem diem, ſed non- „ dum præteriiſſe. Itaque adhuc loquens ſubito inevitabi- „ li DEI judicio, non placido, ut antea, ſed torvo terribi- „ lique vultu eum adorientem, pœnasque poſcentem, vi- „ dere viſus eſt: erat enim paulo antea vita functus. Suos

„ igitur, ut ſuppetias illi ferrent, quoniam Divus *Benno* „ cum impeteret, fruſtra precatus, in genua concidens, „ ſubitanea morte periiſſe dicitur. „

*Beneficia mortalibus impenſa à S. Bennone.*

Juſtæ id ſeveritatis exemplum unum; ſed plurima propitii erant in miſeros beneficia: " quorum quidam à variis „ languoribus curati, plerique à gravibus perculis, & an„ xietatibus liberati, nonnulli etiam à morte ſuſcitati ſunt: „ quorum omnium fides apud Eccleſiam Miſnenſem literis, „ ſigillis, teſtibus, & vel Tabellione publico, vel Prælato„ rum auctoritate ampliſſima fulta eſt. Translatio autem „ ipſius ex loco humili, ubi olim ſe tumulari juſſerat, ad „ medium Eccleſiæ, ubi nunc tumba ipſius honorifice in„ ſtructa cernitur (*An. MDXII. ſed An. MDXXXIX. iterum depoſita, ut ſuo loco dicetur*) facta eſt circa annum Do„ mini MCCLXX. quo tempore venerabilis Epiſcopus *Wi*„ *tigo*, hujus nominis II. (rectius fortaſſe I. is enim Anno MCCLXX. Miſnæ Epiſcopus fuit: nam *Witigo* II. non ante An. MCCCXII. eam Cathedram tenuit, ut infra videbitur) „ vehemens Divi *Bennonis* amator, & prædicator, certas „ etiam Indulgentias ad eandem translationem contulit, „ quo plenius eſſet devoti populi gaudium. Idem etiam „ Epiſcopus *Witigo*, vino illo, quo Divi *Bennonis* oſſa lota, „ & à terreno pulvere mundata fuerant, tanquam ſaluberri„ mo quodam olei rivo, ægros quam plurimos ſanavit. Quo„ rum omnium nomina, & morborum ſpecies propria manu „ adnotavit, & apud Eccleſiam Miſnenſem pariter in perpe„ tuam rei memoriam recondidit. Caſula vero, qua indutus „ fuerat Divus Pater *Benno*, & Baculus Paſtoralis, tanquam „ recens depoſita, ſecum in ſepulchro inventa ſunt, absque „ omni cinefactione, quæ etiam non parvam à ſanctiſſimo

*S. Corpus ejus honorifice transfertur.*

*Veſtis Sacerdotalis poſt annos CC. illæſa in tumulo conſervata.*

„ cor-

Digitized by Google

„corpore virtutem attraxere.„ Hactenus vitæ ſcriptor, Hieronymus Emſerus.

Creſcente cœleſtium beneficiorum numero, loci celebritas, famaque miraculorum immenſum aucta eſt: unde factum, ut ſolennis Sancti hujus cultus apud Alexandrum VI. Juliumque II. certatim flagitaretur. Ab hoc etiam conſtituti diſquirendæ magnæ rei Triumviri, *Raymundus Gurcenſis*, *Melchior Brixinenſis*, & Alexandrinus Cardinalis: ſed mors Pontificis cœptum jam magnæ cauſæ curſum ſufflaminavit. Verum Adrianus demum VI. Pontifex Rom. reſumpta cauſa SS. *Antonini*, & *Bennonis*, felicem ad exitum rem perduxit. An. enim MDXXIII. ut narrat Blaſius Ortizius, Toletanæ Eccleſiæ Canonicus, ac generalis vicarius apud Baluz. Miſcell. Lib. III. in Itinerario Adriani VI. p. 427. Adrianus VI. Pontifex Max. Cal. Maji „ cum clero & populo ad Baſilicam Apoſtolorum, in locum contabulatum eminentiorem aſcendens, inter Miſſarum ſolennia, alta, & intelligibili voce - - his verbis concionatus fuit: Glorioſus DEUS in Sanctis ſuis, & in majeſtate mirabilis; cujus ineffabilis altitudo prudentiæ nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura judicii cœleſtia pariter, & terrena diſponit, etſi cunctos ſuos miniſtros magnificet, altis decoret honoribus, & cœleſtis efficiat beatitudinis poſſeſſores, illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit inſigniis dignitatum, & præmiorum uberiori retributione proſequitur, quos digniores agnoſcit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma mater Eccleſia ejus ſacra veſtigia proſequens, & exemplo ducta laudabili, licèt univerſos in regnis cœleſtibus conſtitutos

*De ejus Canonizat. agitur.*

*Adrianus VI. inter Sanct. Bennonem adſcribit.*

„ſtu-

„ ſtudiis honorare ſollicitis, & ſonoris efferre præconiis
„ non deſiſtat; *Antoninum* tamen, & *Bennonem*, electos
„ Dei athletas ſpecialibus diſponit honoribus venerari.
„ Ideoque circumſpecta prudentia dictæ ſedis, quæ acti-
„ bus intenta ſalubribus, & operibus expoſita pietatis li-
„ benter, & ſolerter exequitur, quæ ſunt DEI, præmiſſa
„ ſolicite, digneque conſiderans, & debita meditatione
„ perluſtrans, ad Divini nominis honorem & gloriam, ex-
„ altationem Catholicæ fidei, ſalutemque fidelium merito
„ cenſuit, riteque providit ſervos DEI per ſanctam, &
„ Catholicam Eccleſiam eſſe colendos, Nos itaque piis
„ ducti conſiliis, dignisque ſtudiis excitati, nonnullos præ-
„ deceſſores noſtros Romanorum Pontificum ſpecialis de-
„ votionis proſequentes affectum imitari ſolicite intenden-
„ tes, qui aliquos ſanctos canonizavere, de conſilio fra-
„ trum noſtrorum pariter, & aſſenſu beatos *Antoninum*
„ Florentiæ Archipræſulem, atque *Bennonem* Saxonenſem
„ catalogo Sanctorum aſcribimus, feſtaque illorum, Miſ-
„ ſas, & Officia in eorum commemorationem per univer-
„ ſas orbis Eccleſias ſingulis annis perpetuis futuris tempo-
„ ribus celebrari concedimus, & ordinamus. „

Deerant adhuc ſolennes ea de re literæ, has quoque idem Pontifex pro *S. Bennone* (pro S. enim *Antonino Clemens VII.* P.P. literas primo VI. Cal. Decembr. Ann. MDXXIII. promulgavit.) pridie Cal. Junii ejusdem anni, in hunc modum dedit:

Ha-

# Hadrianus Epiſcopus,
## Servus ſervorum DEI.
### *Ad perpetuam rei memoriam.*

*Excelſus Dominus militantem Eccleſiam pretioſorum lapidum vivorum, ipſi ſummo angulari lapidi Chriſto JEſu unitorum ornatiſſima varietate decoratam, ſtructura mirabili fundare diſpoſuit &c. &c. Et ſicut Altiſſimus ab initio vineam ſuam, talibus piis cultoribus juxta ſanctam promiſſionem ſuam viſitavit, firmavit, & auxit, ſic ſemper ad illam ſuæ protectionis auxilium multipliciter impartitur, & eandem vineam more ſolito viſitans, virum fortem ad hujusmodi vineæ culturam adduxit, glorioſum ſcilicet confeſſorem* B. Bennonem *ſuperno cœtui merito ſociandum, imo verius ſociatum, qui inter cæteros Chriſti Athletas ſuis meritis, & exemplis ipſam ſanctam Eccleſiam divina cooperante gratia multipliciter decoravit, præſentisque temporis caliginem ſuæ lampadis fulgore mirabiliter illuſtravit. Ipſe enim adverſus mundum, carnem & dæmonem fortiter dimicavit, & in odorem Altiſſimi currens copioſam utriusque ſexus Chriſti fidelium multitudinem ſalubriter poſt ſe traxit, ac velut effuſam ſuper faciem terræ religioſam profeſſionis ſuæ generationem dereliquit, ut ad illuminationem gentium celebri memoria tamquam rutilum ſidus in Eccleſiæ firmamento ſervaretur.* **Bulla Canonizat. S. Bennonis.**

*De cujus quidem origine, vita, moribus & fama, nec non mirabilibus, quæ in præmium ſanctitatis ejus,* DEUS *mundo multipliciter oſtendere dignatus eſt, ne de jam celebri viro etiam poſteritas maneat ignara, pauca ex multis duximus recenſenda: ſiquidem* Fridericus Bultenburgenſis *vir nobili loco natus, pater fuit* B. Bennonis, *quem ex* Bezela *ejus pia uxore ſuſceperat. Cumque in* B. Bennone *ab ineunte ætate bona indoles eluceret, ne illa æqualium ſtudiis, malis moribus, ac depravatis opinionibus (ceu illa ætas aſſolet) corrumperetur, magnopere ſibi providendum exiſtimavit, & eum, ut primum ex infantia exceſſit, divo* Bernwardo *Epiſcopo* Hildeſemenſi *commendavit, &* **Compendiaria vitæ ejus narratio.** **Hildesbemii,**



Digitized by Google

*tradidit. Qui cum negotium ſibi commiſſum attenderet, ut puer ad virtutem recte informaretur, illum primum ad amorem* DEI *optimi, maximique induxit, deinde vero cum vir prudens intelligeret, utile eſſe, ſi literæ cum virtute conjungerentur,* B. Bennonem à Bigario, *bono ſane viro, & docto inſtruendum curavit, ſub quo magnos ille progreſſus fecit, quam ob rem ineunte jam adoleſcentia, cum ad benè, beateque vivendum ſatis inſtructus eſſet, monaſticam vitæ rationem ſuſcepit. Monachus itaque cum eſſet, rejectis voluptatibus, omnem vitæ curſum in virtute confecit, quod cum fratres, cum quibus vivebat, probaſſent, tantumque in eo virtutis eſſe cognoviſſent, quantum Eccleſiaſticis honoribus erat mandandum, defuncto eorum Abbate, cunctis fere ſuffragiis Abbatiam illi detulerunt, ſed quia res in contentionem inciderat, cum eſſent, ſed non ita multi, qui* Sigiberto *religioſo viro ſuffragabantur,* B. Benno *ut erat ab omni ambitione alienus, honorem recuſavit, & pro* Sigiberto *ſummo ſtudio egit, rogavitque, ne ſe ab ea vivendi ratione, quæ in tranquillitate eſſet, diſtraherent, ſed quo ille vehementius rogabat, eo magis Monachorum ſtudia incendebantur. Urgentes igitur, & inſtantes,* B. Bennonem *vel invitum ad dignitatem rapiunt, quam ipſe tertio poſt menſe depoſuit, ſeque ad priſtinam vitam, & bene quidem inſtitutam retulit, cœpitque eum claræ memoriæ* Henricus III. *Imperator diligere primum, qui cum videret ſanctiſſimum hominem ad rempublicam bene gerendam natum eſſe, tantum virum in cœnobii angulis ætatem conſummare paſſus non eſt. Sed cum à fel. record.* Leone *Papa IX. prædeceſſore noſtro aſſenſum obtinuiſſet, illum magnopere repugnantem è Monaſterio eduxit, ac Præpoſituræ Eccleſiæ* Goslarien. *Hildeſemen. Diœceſis præfecit. In ea vero cum usque ad ingraveſcentem ætatem, integrè, caſteque converſaretur, Canonici Eccleſiæ* Miſn. *fama ejus inducti, venerandum ſenem, qui tunc quinquaginta ſex annos natus erat, Eccleſiæ ſuæ, præeſſe voluerunt. In qua cum omnia preclare, tum hoc præclariſſimè egit, quod* Vandalos *de religione Chriſtiana male ſentientes, ex pernicioſo errore eripuit, eoque traduxit, ut una cum Catholica Eccleſia pari ſtudio fidem Chriſtianam tuerentur. Quod factum & memorabile eſt,*

*Goslariæ,*

*Miſnæ in Epiſcopatu acta.*

Digitized by Google

*eſt, & plane divinum. Illis namque temporibus piæ mem.* Gregorius *Papa VII. etiam prædeceſſor noſter, & ſimilis memoriæ Henricus Quartus Imperator, magnas inter ſe inimicitias gerebant, & ita quidem, ut alter alterum de eo, in quo locatus erat, dignitatis gradu dejectum ſtuderet, qua de cauſa uterque ſuos in Concilium vocabat. Paruerunt Imperatori non ſolum Principes, ſed etiam univerſi, & Germani, & Galliarum Epiſcopi; ſolus* B. Benno *decreti Imperatoris auditor non fuit: quippe qui præclarum fore exiſtimabat, ſi Eccleſiæ dignitatem, quoad ejus fieri poſſet, tueretur. Atque ut ſuæ erga Eccleſiam devotionis documentum daret, Imperatorem, Marchionemque* Miſnenſem *hoſtes religionis judicatos excommunicavit, quinetiam Marchioni ingreſſum templi* Miſnen. *probibuit, ſeque ad Concilium Pontificis contulit. Ad hanc magnitudinem animi quid addi poteſt? Sed antequam profectionem ſuſciperet* B. Benno, *in* Albim *magnum, & celebre flumen præfluens, Eccleſiæ ſuæ* Miſn. *claves projecit, ut iis, qui ſe Imperatoris cauſæ adjunxiſſent, eamque ob rem excommunicati eſſent, ingreſſus Eccleſiæ non pateret. Ex quo facile concipi poteſt, quantas ille inimicitias pro Eccleſia Catholica ſuſceperit quantoque ſe obtulerit periculo. Nam cum Imperator ſe, ſuosque injuria affectos exiſtimaret, ac ſuas, & communes injurias proſequi intenderet,* B. Bennonem *à concilio reverſum, ut ſuum expleret animum, in vincula conjecit. Sed DEus omnipotens, qui bonos ſcelerate oppreſſos erigit, divinum hominem reſpexit. Fuit igitur* B. Benno *non ita multo poſt, & liberatus, & in priſtinum ſtatum reſtitutus. Cum autem eo tempore claves Eccleſiæ* Miſn. *de quibus præfati ſumus, deſiderarentur, in dicto* Albi *flumine capitur piſcis, in cujus viſceribus claves amiſſæ reperiuntur, magnum ſane, & haud obſcurum divinitatis ſpecimen. Nunc vero de iis, quibus Eccleſiam ſuam exornavit ſanctiſſimus homo. Et primo quidem cum videret egregium cantum rebus ſacris magno ornamento eſſe; optimam quidem ille canendi rationem inſtituit, quæ hodie in templo* Miſn. *magno cum decore viget, Eccleſiam præterea bonis multis, atque facultatibus locupletiorem fecit: quid quod in eo loco, in quem ſecedere ſolebat, ſi quando à cæteris curis ad contemplationem*

*S. Bennonis pro S. Gregorio VII. P.P. ſtudia:*

*fuga Romam ſuſcepta:*

*Quædam ejus miracula.*

*tionem* DEI *Optimi Maximi ſe convertere vellet, Eccleſiam collegiatam extruxit, inſtituitque. Sed quid pluribus de propenſo* B. Bennonis *in rem Eccleſiaſticam ſtudio?* Albim *flumen prædictum ſiccis pedibus tranſivit, cumque aliquando (ita ut facere ſolebat) agricolas inviſeret, videretque homines de labore feſſos vehementer ſitire, commiſeratione adductus, aquam in vinum convertit: Idemque* B. Benno *alio quodam tempore, cum in valle proxima civitati* Miſnen. *concionem ad populum haberet, animadvertit multos, ut ſit tempore æſtivo, ſiti penè exanimes, ut illis ſubveniret, terram percuſſit, è qua ſubito uberrimus, & perennis fons emanavit, qui adhuc hodiernis diebus* fons ſacer *appellatur. Campana vero ab ipſo divo* Bennone *conſecrata, omnem vim cœli ab agris finitimis avertit, tum ager ille, per quem iter facere ſolebat vir divinus, omnes, qui in ea vicinia ſunt, agros, ubertate facile ſuperat. Eſt præterea pagus quidam* Neumberch *nuncupatus, à* Miſna *longe diſtans, aliquando tamen divinitus accidit, ut uno eodemque tempore* B. Benno, *& illic rem ſacram faceret, &* Miſnæ *rebus ſacris intereſſe videretur. Marchio quidam* Miſnen. *ad rem avidior, cum per ſummum ſcelus in poſſeſſionem bonorum Eccleſiæ* Miſnen. *irruiſſet,* B. Benno, *hominem recte facturum affirmavit, ſi ea, quæ ipſi Eccleſiæ* Miſnenſi *eripuiſſet, reſtitueret; ſin minus,* DE*um aliquando pro tanta improbitate pœnas ab eo expetiturum. Quibus verbis homo furens concitatus, ſanctiſſimum virum alapâ percuſſit: tunc* B. Benno *divino ſpiritu afflatus hanc tantam injuriam, inquit, hoc eodem tempore ſequentis anni,* DE*us omnipotens ulciſcetur. Quem Marchio ille protervus atque ſuperbus irriſit, ac paulo poſt* B. Benno *ægrotare cœpit, & brevi futurum ſperans, ut ex hac vita ad ſuperos, quorum conſuetudo dulcis eſt atque æterna, migraret, paulo antequam moreretur, Canonicos ſuos adhortatus eſt, ut eam charitatem, quam nos docuit Chriſtus, ſtudioſe complecterentur, deinde Euchariſtiam, cibum illum divinum, magna cum pietate ſuſcepit, & cum orationes ad* DE*um Optimum, Maximumque habuiſſet, è vita exceſſit, id quidem quadrageſimo Pontificatus ſui anno, poſt Chriſtum autem natum milleſimo centeſimo ſexto. Hactenus*

*funeſtum Marchioni Vaticinium*

*de*

*de iis, quæ in vita non humano conſilio, ſed divinitus geſſit divinus homo.*

*Ad ea vero, quæ poſt mortem illius, ſumma cum admiratione acciderunt, nonnulla recitanda cenſuimus, ac primum, Marchio, de quo paulo ante fati ſumus, cum tempus illud eveniſſet, quo S. Vir ipſum Marchionem pœnas daturum prædixerat, in hanc vocem prorupit,* Benno *ſuperiori tempore, neſcio quod periculum nobis hodierno die eventurum minabatur, mortuus eſt ille, non igitur eſt, quod nobis timeamus. Vix ille hæc verba finierat, ſubito conſternitur, & auxilium eorum, qui aderant, implorans, miſerandum in modum, ac magno cum dolore, & gemitu moritur. Hinc facile concipi poteſt, divinam poteſtatem divino homini communicatam eſſe. Accedit huc alterum exemplum priori haud diſſimile.* Willelmus *alius Marchio antedictam* Miſnen. *Eccleſiam injurioſe tractabat, cumque Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ hominem magnis precibus à malo inſtituto abducere vellet, ipſe non ſolum recte monentibus parere noluit, ſed etiam multo magis, quam antea ipſam Eccleſiam vexavit, tum dictus Præpoſitus, cum aliunde auxilium petere non poſſet, ad divum* Bennonem *confugit, ab eoque precatus eſt, ut Eccleſiam ſervaret, quo factum eſt, ut* B. Benno *Marchionem per quietem admonuerit, ne quid gravius adverſus Eccleſiam moliretur, quod cum ille, ut inane ſomnium contemneret, quarto deinceps vehementer objurgatus, alterum oculum amiſit, periculo graviori propoſito, niſi ab improbo inſtituto deſiſteret.* Willelmus *Marchio, partim metu, partim pœnitentia ductus, Eccleſiæ reſtituit omnia, illiusque facultates, quantum potuit, auxit; quin etiam divum* Bennonem, *& plurimi fecit, & maxime coluit. Illud vero prætereundum non eſt, duos eſſe pagos, in quorum altero, Marchionem dum fugeret, ſe abdidit, in altero vero* Vandalos *à ſumma impietate ad fidem Chriſtianam convertit, in quibus veſtigia pedum ejus adhuc integra concernuntur, tum tugurium illud, in quo apud* Vandalos *fuit, etſi nulla ſtabiliori ſtructura firmetur, tectumqne habeat ſtramineum vetuſtate confectum, illud tamen nec unquam vitium fecit, nec igni eſt conſumptum, cum tamen ſæpenumero vici-* *Alia quædam his ſimilia.*

 *næ*

*næ ædes incendio flagrarint. Habitus quoque Epiſcopalis, quo corpus ſuum terræ commendatum extitit, una cum mitra Epiſcopali ultra ducentos annos ſub terra latuit, & absque aliqua alteratione ex ſepulchro effoſſus, hodie integer cernitur, & oſtenditur. Poſſent hic quam plurima alia miracula afferri. Multos enim Divini* Bennonis *meritis è mortuis excitatos conſtat, multos variis morbis curatos, denique qui votum fecerit, neminem illius beneficium non ſenſiſſe.*

**S. Bennonis Canonizationem Carolus V. Imp. Ferdinand. I. Archidux Auſtriæ, Duces Saxoniæ &c. urgent.**

*Propter quæ chariſſimus in Chriſto filius noſter* Carolus, *Romanorum, & Hiſpaniarum Rex Catholicus in Imperatorem electus, & dilecti filii noſtri* Albertus *S. Petri ad vincula presbyter, &* Matthæus *S. Angeli Diaconus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac venerabiles fratres noſtri* Riccardus Treveren. & Hermannus Colonien. *Archiepiſcopi per eorum patentes literas, necnon dilecti filii nobiles viri,* Ferdinandus Archidux Auſtriæ, *ac* Georgius, & Henricus *fratres Germani, Duces* Saxoniæ, *Lantgravii Thuringiæ, & Marchiones* Miſnæ, *per venerabilem fratrem noſtrum* Joannem *Epiſcopum* Miſnen. *Nuncium & Oratorem ad Nos ab eis deſtinatum, & dilectum filium* Willelmum de Enckenvort *electum Durtuſen. Datarium & Prælatum noſtrum Domeſticum, eorum apud Nos, & ſedem Apoſtolicam etiam oratorem, & negotiorum geſtorem humiliter ſupplicari fecerunt, ut præmiſſis diligenter inquiſitis, & exploratis, ad B. Viri Canonizationem procedere dignaremur.* Enarratio porro, quæ in hac cauſa ſolenni more acta ſunt, ſubjungit: *Ad laudem & honorem ſanctæ, & individuæ Trinitatis, & exaltationis fidei Catholicæ, & Chriſtianæ religionis augmentum, auctoritate Domini noſtri JEſu Chriſti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, & noſtra de fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ* Bennonem *olim Epiſcopum Miſnenſem ſanctum eſſe, & in ſanctorum catalogo adſcribendum, ipſumque in eodem ſanctorum confeſſorum catalogo deſcribimus. Statuentes, ut ab univerſali Eccleſia quolibet anno feſtum ipſius, & officium, ſicut pro uno confeſſore Pontifice, ſextadecima die menſis Junii, hoc eſt die depoſitionis ſuæ, devote & ſolemniter celebretur.* Cætera vide apud Che-

Cherubinum laudato loco. *Datum Romæ apud S. Petrum, An. Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio, pridie Kalend. Junii, Pontificatûs noſtri Anno ſexto.*

Literæ hæ, ubi in *Miſniam* perlatæ ſunt, *Georgius* Dux, pro ſua in Sanctum hunc pietate, nihil non egit, ut pompa, quanta poſſet, maxima, feſtos honores Sancto indigeti inſtrueret. Delecta dies ſexta decima menſis Junii Anni ſequentis, & anniverſaria *S. Bennonis* memoria hodiedum ejus nomini ſacra, refoſſæ Sacri corporis Reliquiæ, & tumbæ marmoreæ Ophitinæ (ut Fabricius ſcribit ad Ann. MDXXIV.) eadem die illatæ. " Præſentes adeo rant, *Johannes Miſnenſis*, & *Adolphus Mersburgius* Præ„ ſules: *Georgius*, & *Henricus* Duces Saxoniæ: *Georgii* filii „ *Johannes*, & *Fridericus*: *Henrici* filii, *Mauricius*, & *Se*„ *verinus*. E Comitibus *Manſueldius*, *Leiſnicius*, *Barben*„ *ſis*, cum plurima nobilitate. „ *Solennis pompa in Eccl. Miſn. S. Bennoni inſtructa:*

Sed ea Sancti *Bennonis* veneratio, in *Miſnia* ſua, haud diuturna fuit: defuncto enim XV. Cal. Maji An. MDXXXIX. *Georgio*, clariſſimo, & integerrimo Saxoniæ Duce, conſtantiſſimo in avita Majorum ſuorum religione Principe, *Henricus* frater, ejusque filii *Mauritius*, & *Auguſtus*, *Lutheri* erroribus jam imbuti, formam religionis continuo mutarunt. Tum vero, ut notat Fabricius, " tumba *Ben*„ *nonis* ante annos quindecim erecta deponitur. „ Oſſa ſacra, ne profanis miſcerentur, Miſnenſium Epiſcoporum cura ſervavit. Deportata primum *Stolpenam* in arcem, inde longo poſt tempore *Wurzenam* tranſlata, ac *Johannis Haugbizii*, Miſnenſis Epiſcopi manibus, in ſepulchro *Joannis VI.* Miſnenſis itidem quondam Antiſtitis recondita, ut alibi oſtendetur in *Joanne IX.* dum Anno demum MD- *Tumba marmorea everſa:* *S. Corpus Stolpenam primum, tum Wurzenam;*

MDLXXVI. ad preces *Alberti V.* Bavariæ Ducis Monachium mitterentur. " Monachium (*inquit Raderus apud* „ *Henſchenium*) anno MDLXXVI. Divus *Benno* intravit, „ & in palatio Principis per quadriennium, ut hoſpes cul- „ tus, Anno demum MDLXXX. magna ceremonia, feſta- „ que in ædem maximam Beatæ Virginis delatus, ibi pe- „ dem & ſedem æternam fixit. Conditum eſt illic ante „ ſummæ ædis chorum, in ipſo templo, nobiliſſimum „ ſeu ſacellum, ſeu Mauſoleum: ubi in altari ipſius nomi- „ ni inſcripto, & initiato, Sacræ illius Reliquiæ ſunt col- „ locatæ. „ Plura de his legi poſſunt in Actis Sanctorum menſis Junii ad diem XVI. Tom. III. Junii apud Bolland. unde iſta accepta ſunt.

*poſtremo Monachium deportatum.*

# XI. Herwigus.

*Hervvigus Epiſcop.*

S. *Bennoni* An. MCVI. ad ſempiterna laborum præmia in cœlum evocato, eodem adhuc anno ſuffectus *Hervvigus* eſt, quem *Hertvvicum*, vel *Herevvigum* alii appellant. Langius quidem in Chronico Citicenſi, & Fabricius in Miſnenſi mortem *S. Bennonis*, & *Hervvigi* electionem in An. MCVII. differunt: ſic enim prior ad eum annum: " *Benno*, Vir DEI, Epiſcopus Miſnenſis, „ obiit, & *Herdevvicus* ſucceſſit. „ Poſterior vero An. MCVII. " *Benno* Præſul obiit XVI. Cal. Julii. - - Eodem „ anno, qui fuit Henrici V. Imp. electi primus, eligitur „ Præſul *Heruigus*. „ Sed enim cum ex Chronico S. Michaëlis Hildesheimen. & Emſero in Vita S. Bennonis Cap. V. Num. 60. conſtet, S. hunc Epiſcopum XVI. Cal. Jul. An. MCVI. ante Henricum IV. obiiſſe: Chronicon etiam Magdeburgenſe apud Meibomium p. 323. ſcribat: *Hervvigum*

Miſ-

Digitized by Google

Miſnenſem ab Henrico X. Magdeburgenſi Archiepiſcopo (qui tamen jam XVII. Cal. Maji An. MCVII. & ipſe defunctus eſt) eſſe conſecratum; neceſſe eſt, mortem *S. Bennonis*, & *Hervvigi* electionem ad An. MCVI. affigere: alioquin *Hervvigus S. Bennonis* ſucceſſor ab *Henrico* Magdeburg. (integro menſe ante S. Bennonem mortuo) ſuperſtite adhuc deceſſore conſecrari debuiſſet. Magdeburgenſis porro Chronici verba de Henrico X. Archiepiſcop. ſunt p. 323. " An. igitur Dominicæ incarnationis MCVII. - - „ XVII. Cal. Maji eſt defunctus. - - Hic ordinaverat Miſn. „ Eccleſiæ *Herevvigum* Epiſcop. „ *Herevvigum* porro ab *Henrico* Magdeburgenſi inauguratum, Hieronymus Emſerus etiam in vita S. Bennonis Cap. V. N. 61. fatetur: " Defuncto *(inquit) Bennone* ſedem ipſius accepit Venerabilis „ *Hervvicus*, Wurtzenſis Eccleſiæ collegiatæ Fundator, „ quem conſecravit *Henricus X.* Magdeburgenſis Eccleſiæ „ Archiepiſcopus. „

Ad An. MCVIII. Codex MS. literarum Miſnenſis Eccleſiæ donationem eidem Eccleſiæ ab *Hugone de Wartha* factam, & ad preces *Herevvici* ab *Henrico V.* Rege confirmatam, recenſet his verbis: " Poſtquam *Hugo de Wartha* „ pagum integrum ſui juris *Zuitoba* dictum, & novem manſos complexum, Eccleſiæ Miſnenſi in uſus fratrum, ibi „ DEO ſervientium, tradidit; Henricus V. Rex Roman. „ ad petitionem *Herevvici*, Miſnenſis Epiſcopi, pagum „ hunc ab omni tributo, & exactionum onere immunem „ eſſe juſſit. Dat. Goslariæ V. Kal. Februarii. An. MCVIII. „ Neque dubito, quin eadem ſit cum illa, de qua Fabricius ad hunc annum: " Donatio facta ab Henrico V. templo Miſnenſi, quam confirmarunt Antiſtites *Fridericus* „ Colonienſis, *Bruno* Trevirenſis, *Adelgodus* Magdeburg.

*Pagum Zuitoba Eccleſiæ ſuæ acquirit.*

O „ Præ-

Digitized by Google

„ Præſules *Albinus* Mersburgius, *Otho* Bavenbergius, *Burchardus* Monaſterienſis. „ *Adelgotus*, cujus hic meminit Fabricius, is eſt, *Henrici* in Magdeburgenſi Metropoli ſucceſſor, qui An. MCX. ex Orientalis Saxoniæ Epiſcopis in cauſa gentilium Slavorum ſynodum coëgit, literasque inde ad *Fridericum*, Colonienſem Archiepiſcopum, aliosque dedit, quibus nomen ſuum *Albuinus* Mersburgenſis, *Waleranus* Naumburgenſis, *Herevvigus* Miſnenſis, *Hezilo* Havelbergenſis, Hartbrecht Brandenburgenſis Epiſcopi, Magdeburgenſis Eccleſiæ ſuffraganei, adſcripſere. Occaſionem hujus conventus Annaliſta Saxo innuit ad Ann. MCX. " Slavi *(inquit)* regionem Albianorum irrumpunt, „ multisque occiſis, & captis redeunt. Occiditur ibi „ *Godofridus* Comes de *Hammaburch*. Inde Dux *Luiderus*, „ ſive *Lotharius (qui poſt Imperator fuit)* permotus, terram „ Slavorum hoſtiliter invadit: regionem prædabundus perambulat, novem urbes munitiores cepit, obſidibusque „ ab ipſis acceptis, victor rediit. „ Sed enim barbarum Slavorum furorem, & plusquam hoſtilia in rem Chriſtianam odia ſynodales *Adelgoti*, & ceterorum Antiſtitum literæ luculentius ob oculos ponunt: eæ, ut videre eſt apud Marteneum in Collect. Vet. Monum. T. I. Col. 625. ſic habent:

*Slavi in Saxoniam Albi propinquam irrumpunt.*

*Litera Saxoniæ Orientalis Epiſcoporum de bello in Slavos gerendo.*

*ADELGORIUS DEI gratia MAGADABURGENSIS Archiepiſcopus, ALBUINUS MERSEBURGENSIS, WALERANNUS NUENBURGENSIS, HEREWIGUS MISNENSIS, HECIL HABELBERGENSIS, HARTBRATH BRANDEBURGENSIS, OTTO Comes, LUDOVICUS, & univerſi Orientalis Saxoniæ Majores, & minores, REGINHARDO venerabili Epiſcopo HALBERSTETENSI, ERKAMBERTO Corbeienſi Abbati, HEINRICO BADERBRUNNEN-*

*NENSI, N. Mindenſi, FRIDERICO Archiepiſcopo COLONIENSI, N. Aquenſi, O. Leodienſi, G. Lutaringorum Duci, RVOTBERTO glorioſiſſimo Flandringenſium Comiti, LAMBERTO Archidiacono, BVRICHOLDO circumſpectiſſimo Præpoſito, & TANCHRADO inſigni philoſopho, & omnibus Chriſti fidelibus, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Eremitis, recluſis, Præpoſitis, Canonicis, Clericis, Principibus, militibus, miniſterialibus, clientibus, omnibusque majoribus & minoribus, dilectionem, orationem, & in idipſum ſalutem.*

*Multimodis paganorum oppreſſionibus, & calamitatibus diutiſſime oppreſſi, ad veſtram ſuſpiramus miſericordiam, quatenus Eccleſiæ Matris veſtræ nobiſcum ſublevetis ruinam. Inſurrexerunt in nos, & prævaluerunt crudeliſſimi gentiles, viri abſque miſericordia, & de inhumanitatis ſuæ gloriantes malitia, Eccleſias Chriſti idololatria propbanaverunt, altaria demoliti ſunt, & quod humana mens refugit audire, ipſi non abhorrent in nos perpetrare. In noſtram regionem ſæpiſſime efferantur, nullique parcentes, rapiunt, cædunt, fundunt, & exquiſitis tormentis affligunt, quosdam decollant, & capita dæmoniis ſuis immolant. De quibusdam, viſceribus extractis, manus abſciſſas, & pedes alligant, ubi eſt, inquiunt, DEVS eorum? Quosdam in patibulo ſublatos permittunt ad majores cruciatus omni morte miſerabiliorem vitam pertrahere, cum vivi aſpiciant ſe per abſciſſionem ſingulorum membrorum mortificari, & ad ultimum cæſo ventre miſerabiliter eviſcerari. Quamplures vivos excoriant, & cute capitis abſtracta, hoc modo larvati in Chriſtianorum fines erumpunt, & ſe Chriſtianos mentientes, prædas impune abigunt. Phanatici autem illorum, quotiens comeſſationibus vacare libet, FERVS IN DICTIS, CAPITA, inquiunt, VVLT NOSTER*

*Slavorum in Chriſtianos immanitas.*

*Pripegala eorum deus*

PRIPEGALA. HUJUSMODI FIERI OPORTET SACRIFICIA. PRIPEGALA, ut ajunt, PRIAPUS eſt, & BEELPHEGOR impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis ſuæ aras Chriſtianis, & horrendis vocibus ululantes, AGAMUS, inquiunt, DIES LÆTITIÆ, VICTUS EST CHRISTUS, VICIT PRIPEGALA VICTORIOSISSIMUS. Hujusmodi afflictiones ſine intermiſſione vel toleramus, vel formidamus, quoniam eos ſemper progredi, & in omnibus ingemiſcimus bene proſperari. Itaque, Fratres Chariſſimi, totius Saxoniæ, Franciæ, Lutaringiæ, Flandriæ Epiſcopi, Clerici, & Monachi de bonis ſumite exemplum, & Gallorum imitatores in hoc etiam eſtote: clamate hoc in Eccleſiis: Sanctificate jejunium, vocate cœtum, congregate populum, annunciate hoc, & auditum facite in omnibus terminis prælationis veſtræ. Sanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos. Surgite Principes contra inimicos Chriſti, arripite clypeos, accingimini filii potentes, & venite omnes viri bellatores. Infirmus dicat, quia fortis ſum ego, quoniam Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſalvationum Chriſti ſui eſt. Erumpite, & venite omnes amatores Chriſti, & Eccleſiæ, & ſicut Galli ad liberationem Jeruſalem vos præparate. Hieruſalem noſtra ab initio libera, gentilium crudelitate facta eſt ancilla. Hujus muri propter peccata noſtra corruerunt. Sed ruina hæc ſub manu veſtra, quatenus lapides pretioſi omnes muri ejus, & turres Jeruſalem, gemmis ædificentur. Plateæ ejus ſternantur auro mundo, & pro horrendo ſonitu gentilium in conſpectu PRIPEGALÆ cantetur in ea canticum lætitiæ, & pro immolatione de Chriſtiani ſanguinis effuſione, carnem, & ſanguinem edant pauperes, & ſaturentur, ut laudetis Dominum, qui requiritis eum, vivantque in ſæculum ſæculi corda veſtra, ut non deficiat de ore veſtro Alleluja, Alleluja. Ad hoc bellum devotas offert manus cum populo ſuo Rex Dacorum, & alii Principes

*Exhortatio ad arma in eos capeſſenda.*

cipes

Digitized by Google

*cipes per circuitum. Ipſe etiam Rex noſter hujus belli auctor, cum omnibus, quos poterit adducere promptiſſimus erit adjutor. Sabbato in hebdomada rogationum erit conventus noſter MERSEBURCH, & ubicunque in Orientali Saxonia opportuna habemus loca. Sanctiſſimi patres, Monachi, Eremitæ, atque recluſi, optimam partem cum Maria elegiſtis, ſed quia nunc tempus ita exigit, de contemplationis quiete cum Martha ſurgendum eſt vobis, quoniam fratribus veſtris plurimum turbatis, cum Martha admodum neceſſaria eſt Maria. Vobis loquimur, imo in nobis Chriſtus loquitur vobis. Surge, propera amica, columba mea, & veni. Flores bonæ operationis apparuerunt in terra Principum noſtrorum, tempus putationis advenit idololatriæ, vox turturis audita eſt, quoniam caſta mater Eccleſia ingemiſcit de idololatriæ ſpurcitiis. Nemo accendit lucernam, & ponit ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. Surge itaque Sponſa Chriſti & veni. Sonet vox tua in auribus Chriſti fidelium, quatenus omnes ad Chriſti feſtinent bellum, Chriſti militibus veniant in adjutorium. Gentiles iſti peſſimi ſunt, ſed terra eorum optima, carne, melle, farina, avibus, & ſi excolatur, omnium de terræ ubertate proventuum, ita ut nulla ei poſſit comparari. Sic ajunt illi, quibus nota eſt. Quapropter ô Saxones, Franci, Lotharingi, Flandrigenæ famoſiſſimi, & domitores mundi, hic poteritis & animas veſtras ſatisfacere, & ſi ita placet, optimam terram ad inhabitandum acquirere. Qui Gallos ab extremo Occidente progreſſos in brachio virtutis ſuæ contra inimicos ſuos in remotiſſimo triumphavit* (forte: *triumphare fecit*) *Oriente, ipſe tribuat vobis voluntatem, & potentiam, hos affines, & inhumaniſſimos gentiles ſubjugare, & omnibus bene proſperari.*

Fx his literis colligi ſatis poteſt, incredibilem fuiſſe Slavicarum gentium in Chriſtianos rabiem: & præter alios Deos novum ſuperſtitionis monſtrum, *Pripegalam*, cruentis etiam ſacrificiis ab iis eſſe cultum. Demum quod *Godefridus* Comes de *Hammaburch*, ut ex Annaliſta Saxone vidimus, ab iis cæſus ſit; & *Lotharius* Dux arma armis oppoſuerit, facilis conjectura eſt, Slavos maxime Boreales, & tranſalbinos hujus tumultus fuiſſe authores.

*Hervvigus Wurzenæ Eccl. Collegiatam inſtituit.*

Hos inter terrores tantum in DEI pietate fiduciæ *Herevvigo* erat, ut de collegiata Eccleſia, ut eam appellat Hieronymus Emſerus in Vita S. Benn. C. V. *Wurcenæ* condenda cogitationem ſuſciperet. *Wurcena*, ut Monachus Pirnenſis in Excerptis Saxon. apud Mencken. T. II. Col. 1611. ſcribit, *Miſniæ* eſt civitas, tribus *Lipſia*, duobus *Oſchazio* milliaribus disjuncta, ad *Muldam* fluvium, & in ditione Miſnenſis Epiſcopi poſita. Arx ejus loci, haud ſcio, an non prius jam ſteterit: *Wurcenæ* enim non ſemel jam ante hoc tempus in *Miſniæ* annalibus fit mentio. Hoc loco, quod opportunum admodum augendis, fovendisque religionis, cui impenſe favebat, ſtudiis videret *Hervvigus*, collegium igitur Sacerdotum, ſeu ut ille loquitur, parvum monaſterium templo adjecit, idque annuis vectigalibus, ex *Pouchenſi* Burgvvardo, ex *Wurzenenſi* telonio, ex fundis, prædiisque aliunde conquiſitis dotavit. Quod cum anno demum MCXIV. ad ſummum faſtigium eductum eſſet, *Hervvigus* pridie Id. Sextiles, collata cum *Theoderico* Naumburgenſi Epiſcopo opera, dedicavit, literisque ſolennibus, quas Lunigius Spicileg. Eccl. Contin. I. p. 835. nobis exhibet, ad perpetuitatem ſtabilivit. Literarum porro hoc eſt exemplum:

*Cum*

Digitized by Google

*Lit. Fundat. Wurzen.*

*Cum omnis humanæ conditionis natura ſemper ſit labilis, atque caduca, aſpiratione, atque ſublevatione divina unusquisque pro poſſe, & modulo ſuo ſtudeat ad amplianda & melioranda Eccleſiaſtica ſervitia. Ego itaque HERWICVS DEI gratia MISNENSIS Epiſcopus conſiderans, quod nullum alium, niſi in ſede noſtra MISNENSI, fraternitatis locum, aut congregationis ſubſidium habuimus, monaſteriolum in territorio WVRTZENSI in honore Sanctæ Mariæ Genitricis conſtruximus, ibique pro parvitate noſtra fratribus DEO, & Sanctæ Mariæ ſervituris præbendam ſtatuimus de bonis Eccleſiæ beneficialibus nobis legitimo jure ſolutis, Wurvvardum (f. Burgvvardum) videlicet POVCH cum Eccleſia, & decimatione, & cum omni utilitate quæ ibi eſt, aut inde omni tempore provenire poteſt, & telonium WVRTZENSE, & ibidem duas villas MISTIVIZ, & TRIISKOW vocitatas, quod fuit beneficium cujusdam militis PISONIS nomine, & filii ejus FREDERICI, quibus abſque hæredibus defunctis, fratribus ſupra dictis in præbendam dedimus. Addidimus etiam Beneficium HERMANNI ſervientis, qui ſine hærede obiit, (intra fines) Eccleſiæ noſtræ ſitum WVRCZIM, & beneficium cujusdam JOHANNIS, quod concambio ſolvimus, & beneficium cujusdam EGENNONIS, quod pecunia ſolvimus, & in propria villa WVRTAW duos manſos. Dedimus etiam illuc novem manſos, ſex in villa, quæ dicitur TREBENE ſitas, & tres in villa, quæ dicitur THORWAN, quæ Henricus V. Roman. Rex Cyrographo ſuo Eccleſiæ contradidit noſtra interpretatione, & aliorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Comitum, & inventu (interventu), & teſtimonio. Quod monaſterium ego HERWICVS & THEODERICVS Sanctæ NVENBERGENSIS Eccleſiæ Venerabilis Epiſcopus proxima die poſt aſſumptionis S. Mariæ conſecravimus anno ab Incarnatione Domini MCXIV. Et bona ad hoc pertinen-*

*nentia, quæ tunc ſunt oblata, vel ab aliquo pro ſpe æternæ retribuitionis poſtmodum conferenda banno, ſicut eſt legitime, conſtruximus, & confirmavimus, ut, ſi quis monaſterii, ſeu bonorum ad hoc pertinentium invaſor, & violator, aut deſtructor extiterit, cum Juda traditore æterno ſupplicio deputetur. Si quis autem obſervator & auxiliator fuerit, B. Dei Genetricis Mariæ opitulatione in die judicii conſoletur, & ſublevetur. Et, ut hæc cunctis Chriſti fidelibus tam futuris, quam præſentibus ſint nota, & piæ memoriæ ſemper tradita, hanc chartam inde conſcripſimus, & ſigilli noſtri impreſſione confirmavimus.*

Abſoluta *Wurzenenſi* Eccleſia, ſeu, ut in MS. Matricula juriſdictionis Miſnenſis appellatur, *Præpoſitura*, vicam ad An. MCXVIII. vel ſequentem produxit *Hervvigus*. Cum enim defuncto, pridie Idus Junii An. MCXIIX. ut habet Chronicon Magdeburg. (vel ut Annaliſta Saxo, An. MCXIX.) *Adelgoto* Magdeburgenſi, *Rotherus*, ut eum Chronicon Montis ſereni appellat; ſeu ut Magdeburgicum, *Roccarus*; vel etiam ut Torquatus in ſerie Pontificum Magdeburgenſium apud Menckenium T. III. p. 380. *Bockardus* ſucceſſit, eundem *Hervvigus* adhuc Miſnenſis Epiſcopus conſecravit. " *Roccarus* duodecimus *(inquit Chronicon Magdeb. p. 324.)* - - Baculum à rege Henrico, „ tunc excommunicato, ex more non ſuſcepit, Ordinationem vero ab *Herevvigo* Miſnenſe Epiſcopo, pallium quoque à Papa *Calixto* percepit. „ Quod ſi igitur vera ſunt, quæ Fabricius de die obitus *Hervvigi* ſcribit: " An. „ MCXVIII. *Hervvigus* Præſul obit V. Calend. Julii. „ paucos admodum dies conſecrato à ſe *Roccaro* ſuperfuerit neceſſe eſt. Sed hoc Fabricii fidei relinquendum eſt. Annaliſta Saxo certe mortem *Adelgoti* Magd. Archiep. An. pri-

*Hervvigi Ep. Obitus.*

Digitized by Google

primum MCXIX. conſignat. “ Adelgotus *(inquit)* Maga-„ daburgenſis Archiepiſcopus, & *Hugo* Abbas item *Ma-„ gadaburgenſis* obierunt, quibus *Rockerus* in Epiſcopatu, „ *Arnoldus* in Abbatia ſucceſſerunt.„ Ex quo conjectura de obitu *Hervvigi*, qui *Rockerum* jam Archiepiſcopum conſecravit, ſumi poteſt. Serius adhuc mortem *Adelgoti* Saxo Chronographus notat, ad An. MCXX. “ *Adelgoz* „ Magadab. Archiepiſcopus obiit, cui ſucceſſit *Ruckerus.*„ Sed enim Annaliſtæ Saxoni conſentire videtur Author Chronici Montis ſereni, qui cum *Rotherum*, ſeu *Ruckerum*, annos ſediſſe VI. quemadmodum & Chronicon Magdeburgenſe; & obiiſſe An. MCXXV. XIV. Cal. Januarii ſcribat; annum ejus creationis affigere An. MCXIX. neceſſario debuit: à quo mors *Hervvigi*, qui *Ruckerum* conſecravit, longius abeſſe non potuit.

## XII. GRAMBERTUS, ſeu GRAMBORUS.

*Grambertus Epiſc.*

In *Hervvici* Succeſſore, quanquam nonnulla de anno electionis eſt controverſia; major tamen de nomine lis eſt. *Gramborum* Fabricius, & Albinus; *Scambonum* Chronicon Magdeburgenſe; *Grambertum* Notitia Epp. Germaniæ Bruxellis Gallice vulgata; *Grambodum* Monachus Pirnenſis in Excerpt. Saxon. Col. 1611. apud Menckenium appellat, quem Col. 1492. *Grambrechtum* nominavit.

Fabricius multa ſatis de *Gramboro*, & rebus ſub ejus Epiſcopatu in Miſnia geſtis affert: ſed eorum pleraque, nec annis ſuis ſunt reddita, nec ſub *Gramboro*, ſeu *Gramberto* contigere. Electionem *Grambori* Ad An. MCXVIII. affigit: ita enim ibi: “ *Hervvigus* Præſul obit V. Calend. Julii, cui

P „ *Gram-*

Digitized by Google

„ *Gramborus* ſuccedit. „ At enim cum ex fide Magdeburgenſis Chronici p. 325. *Gramborus*, ſeu *Scambonus*, ut ibi appellatur, à *Roccaro*, ſeu *Rutgero* Magdeb. Archiep. ſit conſecratus; is vero, ut ex Annaliſta ſupra oſtendimus *Adelgoto* An. MCXIX. defuncto ſucceſſerit; *Grambori* Electio, & conſecratio ante An. MCXIX. contigiſſe non videtur: nec enim veriſimile, ſuperſtite adhuc *Adelgoto* ſi electus eſſet, conſecrationem *Grambori* anno pene integro ad incerti temporis novi Metropolitæ ſucceſſionem eſſe dilatam.

Quæ ad An. MCXX. de tumultu Magdeburgi excitato, quo tempore Miſnenſis Epiſcopus in reſtituenda pace operam contulerit ſuam, narrat Fabricius, ea manifeſto alterius ſunt temporis, & ad S. Norbertum Magdeburg. & *Goldeboldum*, Miſnenſem Antiſtites pertinent, ut ſuo loco dicetur. Multa etiam permiſcet perperam, unumque in acervum ad An. MCXXIII. conjicit: ſic enim ibi: " Henricus V. Imper. morte *Dedonis* cognita, ejus ditionem Regis *Vratislai* genero, Comiti Oſterlandiæ *Viperto*, militiæ exactæ præmium, tradit poſſidendam, ſed „ eam ultra triennium non tenuit: *Henricus* enim *Henrici* Nepos, *Dedonis* filius, qui pro patre obſes erat, & è „ cuſtodia præfecti Imperatorii effugerat, auxilio Electoris „ Saxoniæ Lotharii, qui paulo poſt imperavit, expellit „ *Vipertum*, & paternam provinciam recipit. Hoſtes ejecti agrum *Miſnenſem* devaſtant, ut Coſmas tempora „ notat, ſole morante in XV. parte Sagittarii: ut nos loqui „ ſolemus, die XXIV. Novembris: ut Romanorum ratio „ habet, VIII. Calend. Decembr. „ Ita ille.

Sed enim *Dedo* Marchio Luſatiæ, ut ex Lamberto Schaffnaburgenſi p. 394. ſupra in rebus *S. Bennonis* oſtendimus,

dimus, An. MLXXV. jam mortuus erat, & Marchia] Miſnenſis Boemico Duci in præmium exactæ militiæ data: quam tamen *Egbertus* Marchio, adjutus Saxonum auxilio, anno mox ſequenti vindicavit. Ab ejus morte, quam continuator Lamberti Schaffnaburgenſis ad An. MLXXXIV. conſignat, accepit eandem Marchiam *Henricus de Ileburch*, is ipſe fortaſſe, quem poſt inflictam S. Bennoi alapam, repentina morte An. MCVI. vel ſequente extinctum, Hieronymus Emſerus in Vita *S. Bennonis* Cap. V. ſenſiſſe videtur. Hujus nunc filius *Henrici* de *Ileburch*, itidem *Henricus*, patri in regenda *Miſnia* ſucceſſit, tametſi non verum, ſed ſuppoſitum tantum *Henrico* Seniori filium quidam exiſtimarent, ut ad An. MCIII. notat idem Annaliſta Saxo. Sed cum iſte An. MCXXIII. veneficio interiiſſet, Henricus V. Imp. Marchiam Miſnenſem in *Vipertum* ſeu *Wicbertum*, Comitem *Groizenſem* tranſtulit, ſed paulo poſt ab ejus poſſeſſione per *Conradum Thiemonis* Wettinenſis Comitis filium, dejiciendum.

*Henricus de Ileburg Senior.*

*Henricus de Ileburg jun.*

*Vipertus Com. Groizenſis.*

Atque hoc modo intelligendus eſt, quem hoc loco Fabricius laudat, Coſmas Pragenſis: is enim ad Ann. MCXXIII. ſolum hæc habet: " Jamque eodemque urgen-„ te anno, Marchionis *Deda* extrema ſtirpe fato extirpata „ Imp. Henricus IV. *( inter Germaniæ Reges V.)* prædi-„ cti *Deda* Marchionatum putans hærede deſolatum, de-„ derat *Wigberti* ſub potentiam. Sed erat in Saxonia qui-„ dam, nomine *Conradus*, ex tribu ejusdem *Deda* natus, „ ad cujus manus jure pertinebat ille Marchionatus. Un-„ de Dux *Ludera*, & alii Saxones valde indignantes con-„ tra Imperatorem ſuſceperunt bellum adverſus *Wigber*-„ *tum*.„ Nec diſſentit Annaliſta Saxo ad hunc An. MCXXIII. " Imperator Marchiam in *Miſne Wicberto* tradit. Dux *Lui*-

*Conradus Witin. Com.* „ *derus* cum aliis Principibus ſuper hoc indignantibus, ſuſ-
„ cipit bellum, & in eandem Marchiam *Conradum Witin*
„ ducit, & collocat. „ Pergit deinde in proſequendis his turbis: “ Iisdem diebus *Wladizlaus* Dux Boemiæ, & *Otto*
„ juſſu Imperatoris tam Boemiæ, quam Moraviæ coadu-
„ nato exercitu tranſeuntes ſilvam, metati ſunt caſtra ultra
*Bellum in Miſnia.* „ oppidum *Guozdec* ex adverſo *Luderi* Ducis: Præſul au-
„ tem Moguntinus, & Comes *Wicbertus* citra fluvium *Mil-*
„ *dam* ſtabant cum multitudine armata. Saxones autem
„ in medio poſiti dirimebant eos, nec ſinebant invicem
„ coire adverſarios ſuos. At *Wicbertus* quaſi fugiens rediit.
„ Dux autem Boemiæ multis amiſſis in terram ſuam abiit. „
Eadem eſt Coſmæ Pragenſis narratio ad hunc annum, niſi quod addit: “ Boemi depopulata regione, quæ eſt circa
„ urbem *Miſſen*, reverſi ſunt ad propria, ſole morante in
„ XV. Sagittarii parte. „ Quibus ex verbis ſatis apparet,
„ Miſnenſis Eccleſiæ fundos, qui urbi viciniores, ab injuria
„ belli non fuiſſe immunes.

*Viperti March. mors.* Ceterum *Wicbertus*, cui Marchia Miſnenſis hoc modo erepta eſt, Anno mox ſequente, è vivis exceſſit: ſic enim poſt Coſmam Pragenſem Col. 2123. Chronicon Montis ſereni in calce operis ad An. MCXXIV. “ *Wipertus* Marchio,
„*Pigavienſis* Eccleſiæ Fundator, cujus filiam *Dedo* Comes
„duxerat, An. MCXXIV. XI. Cal. Junii moritur. „ Quod & Siffridus in Epit. Lib. I. confirmat: “ An. *(inquit)* MCXXIIII.
„*Vipertus* Fundator Monaſterii *Pegavienſis* Monachus factus,
„in eodem quievit in pace. „ Et Necrologium Pegavienſe ad menſem Majum: “ XI. KL. *(Junii) Wicpertus* Marchio,
„& mo. n. c. An. MCXXIIII. „

*Gramberti Ep. obitus.* Fabricius mortem *Grambori*, Miſnenſis Epiſcopi ad An. MCXXIX. differt. Sic enim ibi: “ *Gramborus* Præ-
„ſul

Digitized by Google

„ſul obit prid. Calend Junii. „ Sed enim ſi Chronicon Magdeburgenſe audiamus, mortem ejusdem aliquot annis citius conſignemus, neceſſe eſt. Cum enim *Roccarus*, ſeu *Rutgerus* Magdeb. & *Gramborum*, ſeu *Scambonum*, & *Godeboldum* Miſnenſem conſecrârit, & tamen ipſe jam An. MCXXV. (ut præter Chronicon Magdeburgenſe, & Lauterbergenſe, Saxo & Chronographus, & Annaliſta fatentur) ſit defunctus; ſequitur neceſſario, *Gramborum*, ſeu *Grambertum* ante *Rutgerum* eſſe mortuum. Chronici Magdeburgenſis p. 325. hæc verba ſunt: *Roccerus* " deceſſit in „Magdeburg civitate XIII. Cal. Januarii An. Domin. incar„nat. MCXXV. - - Hic ordinaverat Havelbergenſi Eccleſiæ „*Gumbertum*, - - *Miſnenſi Scambonum*, & *Godeboldum*. „ Chronicon Montis Sereni, ſeu Lauterbergenſe mortem *Roccari*, ſeu *Rotheri* ſic notat ad An. MCXXV: " *Rotherus* „XII. Magdeburgenſis Epiſcopus obiit XIV. Kal. Januarii. „Sedit annis VI. „ Itaque quæ ab hoc anno ad An. MCXXIX. pertinent, ad res *Godeboldi* adſcribemus.

## XIII. GODEBOLDUS.

Ex his, quæ de *Rotheri*, ſeu *Roccari* Magdeburg. obitu diximus, manifeſtum jam eſt, *Godeboldum* An. MCXXV. fuiſſe Miſnenſem Epiſcopum. In nomine rurſus variant Authores: Chronicon Magdeburgenſe eundem *Godeboldum*; Sarctorius *Gotboldum*; Monachus Pirnenſis *Goſvvaldum* Col. 1475. & Col. 1502. *Gotthardum*, alii *Godevvaldum*, vel *Godebaldum* ſcribunt. Sed hæc leviora. *Godeboldus Ep.*

An. MCXXVI. inquit Annaliſta Saxo: *Lotharius* " Rex „Sacro ſanctum Dominicæ Reſurrectionis feſtum *Maga*„*daburch* celebrans, cum Majoribus Eccleſiæ, & Regni, de „pro-

„proviſione ejusdem ſedis, quæ tunc vacabat, tractavit. „Ubi cum magna in electione difficultas facta fuiſſet, juxta „voluntatem, & conſilium Regis, majores Magdeburgen„ſis Eccleſiæ apud *Spiram* unanimiter conveniunt, ac com„muni Regis, & Eccleſiæ conſilio Dominum *Norbertum*, „virum Religioſum, & omnibus Eccleſiis verbi DEI pro„nunciatorem exuberantiſſimum, in Epiſcopum, DEO „proſequente, unanimi pace, & concordia conſtituerunt. „ Electus novus Archiepiſcopus Magdeburgum non niſi X. Cal. Auguſti venit, & biduo in Feſto S. Jacobi ſolenni more conſecratus eſt, ut narrat Chronicon Magdeburg.

*S. Norberto Magdeb. Archiep.*

Magnum *S. Norberto* fuiſſe uſum amicitiæ cum *Godeboldo* noſtro, non uno ex loco pateſcit. An. certe MCXXIX. quo magna civilis tumultus procella S. capiti incubuit, *Godeboldus* illi præſto fuit. Rem præter Annaliſtam, & Chronographum Saxonem, Conradus Lauterbergicus, Author Chronici Montis Sereni, ad hunc annum ita narrat: “ In „commemoratione S. Pauli facta eſt commotio civium „Magdeburgenſium contra *Norbertum* Archiep. eo quod „majorem Eccleſiam, quam pollutam audierat, nocturno „tempore purificavit. Creſcente itaque tumultu, aſcendit „in ſuperiora antiquioris Monaſterii cum *Miſnenſi*, & *Ha„velbergenſi* Epiſcopis, & Præpoſito majoris Eccleſiæ, ibi„que diu obſeſſus eſt, ſævientibus atque objurgantibus eum „civibus, quod Altaria fregerit, & Reliquias Sanctorum „furto abſtulerit. Sed hunc Divina gratia (*interventu nem„pe HENRICI urbis Præfecti ex itinere propere advolantis*) „mirabiliter eripuit, & eos poſtmodum per cenſuram Ec„cleſiaſticam coactos ſibi ſubjecit. „ Fuſius iſta Chronicon Magdeburgenſe p. 327. & Biographus S. Norberti Cap. XVII. proſequitur.

*peramicus, cum eodem à civibus Magdeb. obſidetur.*

Anno

Anno deinde MCXXX. *Godeboldus* ipſe Diœceſanam Synodum celebravit. Cauſam Fabricius, incertum, an ex documento veteri, an ex ingenio ſuo, hanc affert: "In ea „*(inquit)* congregatione diſciplinam laxatam reſtituere, & „licentiam ſacerdotum coërcere voluit: ſed ita ab omnibus ei „repugnatum eſt, ut deſiſtere à propoſito cogeretur.„ Synodi hujus Miſnenſis diſerte mentionem facit charta donationis Miſnenſi Eccleſiæ à *Conrado* Marchione (quem à Lothario, adhuc Duce, in Miſnia collocatum, & regia poſt id tempus authoritate confirmatum vidimus) de conſenſu filiorum facta. Ea in codice noſtro MS. ſic compendio refertur. " *Conradus* Marchio Miſnenſis de conſenſu „filiorum ſuorum, ex hæreditate ſua pagum *Schremſniz* „*(in margine SCHIRNIZ)* in territorio *Belgora*, in Burg„vvardo *Treſcovve* ſitum, cum omnibus fructibus ex agris, „pratis, molendinis, curtibus, ſilvis, piſcatu & venatu &c. „Canonicis Miſnenſibus tradidit, ſic, ut nemo, ac ne Epi„ſcopus quidem poteſtatem habeat, quidquam ex hac do„natione alienandi, aut in alios, quam fratrum uſus con„vertendi. Actum in Eccleſia Miſnenſi, in generali Syno„do, præſidente *Godebaldo* Epiſcopo An. MCXXX.„

*Conradus Marchio Miſnenſis donat pagum Canonicis Miſnenſibus.*

Sub idem tempus *Godeboldus* Ep. ab *Innocentio II.* Rom. Pontifice confirmari Eccleſiæ ſuæ fundos, poſſeſſionesque poſtulavit: id quod ille An. MCXXXI. Pontificatûs ſui Anno II. Cal. April. ex recepta Romanæ ſedis formula præſtitit. Extat earum literarum ſumma in MS. codice noſtro, confirmanturque non acquiſita modo, ſed quovis etiam tempore legitime acquirenda, non ſine cœleſtium irarum comminatione, ſi quis Eccleſiæ ejus jura violare deinceps auderet. Singillatim tamen jam exprimuntur pagus *Cozebude* (Fabricius ad An. MCXXIX. *Cotisbrodem* vino nobilem appel-

*Godeboldus Ep. confirmationem bonorum Eccl. ſuæ ab Innocent. II. P.P. impetrat.*

appellare videtur) & quæ *Bor* Slavus, homo liber de conſenſu filiorum *Wichardi*, & *Lutberi*, in præſentia quondam Henrici IIII. Regis, Eccleſiæ Miſnenſi contulit. Dat. X. Col. April. Pontificatûs ſui Anno II. Is à XV. Februarii An. MCXXXI. in curſu erat, ut adeo in Annum MCXXXIX. quod vult Fabricius, differri non poſſint.

*S. Norberti obitus.*

Anno MCXXXIV. VIII. Id. Junii, quæ feria IV. poſt Pentecoſten erat, *S. Norbertus* Magdeburgenſis Archiepiſcopus, *Godeboldo* in amicitia conjunctus, obiit, ut Saxo Annaliſta, & Chronographus cum Montis Sereni Chronico notant. " Cujus corpus *(adjungit Chronicon Magdeburgenſe p. 328.)* ut moris eſt, per omnes congregrationes „honeſtiſſime à Clero, & populo deportatum, ſexto demum obitus ſui die, aſtantibus Principibus, ipſumque „bajulantibus, & trium, qui aderant, Epiſcoporum, *Godeboldi* Miſn. *Ludolphi* Brandenburg. *Anſelmi* Havelberg. „flebili commendatione in Monaſterio S. Mariæ eſt tumulatum An. Domini MCXXXIV. „

*Godeboldus inter Magdeburg. Archiep. Suffraganeos recenſetur.*

Succeſſit *S. Norberto* eodem adhuc menſe *Conradus*, præſente *Lothario* Imp. ad III. Cal. Julii Magdeburgi electus, ut narrat Annaliſta Saxo. Hic, cum anno mox ſequente Cœnobium Præmonſtratenſe, cui à *gratia DEI* nomen, ſuis literis confirmaret, *Godeboldum* quoque Miſnenſem Epiſcopum inter teſtes adhibuit. " Hujus autem noſtræ „ſanctionis *(inquit his in literis, quas Menckenius T. III. in* „*Mantiſſa Diplom. Leiſnic. Comit. exhibet)* hic ſunt idonei te- „ſtes, *noſtræ Eccleſiæ Suffraganei*, videlicet *Udo*, Cizenſis „Ep. *Meyngotus*, Merſeburg. Ep. *Anſelmus* Havelberg. Ep. „*Godeboldus*, *Miſn.* Ep. *Ludolfus*, Brandenburg. Ep. &c. „Anno Dominicæ incarnationis M. C. XXXV. Ind. XIII.

„Præ-

Digitized by Google

„ Præſidente ſanctæ univerſali Romanæ Eccleſiæ *Innocentio* „ ſecundo Papa, Regnante *Luthario* tertio. „

Nullam deinceps reperio *Godeboldi* noſtri mentionem: cujus mortem Fabricius in An. MCXL. recte confert: eo enim anno & Saxo Chronographus (Annaliſta enim Saxo Chronicon ſuum anno præcedente finit) & Chronicon Montis Sereni *Godeboldum* obiiſſe memorant. " *Godebol-* „ *dus (tradit hoc)* Epiſcopus Miſnenſis obiit. „ Diem mortis Necrologium Kemnizenſe adjicit: " II. Kal. Septembr. „ *Gotheboldus* Eps. Miſn. „ *Godeboldi obitus.*

# XIV. REINWARDUS.

Nonnihil in nomine iterum variatur: *Reinvardum* Fabricius; *Reinvvaldum*, vel *Reinbertum* Albinus; *Rembertum* Chronicon Lauterbergenſe; *Reinvvardum* Saxo Chronographus; alii etiam teſte Menckenio in Notis ad Chronicon Montis ſereni, *Reinhardum* appellant, *Godeboldi* in Eccleſia Miſnenſi Succeſſorem: de re inter omnes convenit. Ac Chronicon quidem Montis ſereni ad An. MCXL. " *Godeboldus (inquit)* Epiſcopus Miſnenſis obiit, „ cui ſucceſſit *Rembertus*, ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus. „ Saxo vero Chronographus ad eundem annum: " Obie- „ runt - - *Sivvardus*, Mindenſis Ep. *Godeboldus* Miſnenſis „ Ep. - - pro *Sivvardo* electus eſt *Heinricus* Abbas de eo- „ dem loco, & pro *Godeboldo* conſtitutus eſt *Reinvvar-* „ *dus*, ejusdem Eccleſiæ Præpoſitus. „ *Reinvvardus Epiſc.*

Fabricius ad Ann. MCXLIV. litem inter *Reinvvardum*, & *Conradum*, Marchionem Miſnenſem extitiſſe memorat, à *Conrado* tamen Rege compoſitam: " Inter *Rein-* *Cum Marchione Miſnenſi colliſus.*



Digitized by Google

„ *vvardum* Præſulem *(inquit)* & *Conradum* Marchionem Miſ-„ nenſem, ob villas aliquot in diœceſi *Niſana*, circa ur-„ bem *Budiſſinam* ſitas, contentio oritur: quam *Conradus II.* „ Imp. *(Regum III.)* æquis conditionibus dirimit, jure „ partibus ambabus præſcripto. Cum Marchio eſſet alie-„ niore erga Præſulem animo, *Eugenius III.* Romanus „ Pontifex, literis eum Principi commendat, & reconci-„ liat, ut eſt in Annalibus Lauterbergi. „ Verum quæ de commendatione Eugenii III. P.P. hic adjunxit, vereor, ut ad *Reinvvardum* pertineant. Creatus eſt Pontifex *Eugenius III.* XXVI. Febr. anni ſequentis MCXLV. *Reinvvardus* Ep. ut idem Fabricius tradit, mortuus eſt An. MCXLVI. Literæ *Eugenii III.* quas Chronicon Lauterberg. & Tylichii Chronicon Miſnenſe apud Schannatum in Vindem. Liter. p. 77. recitant datæ ſunt ex Tuſculano V. Non. Maji. An. MCL. quo *Reinvvardus* jam dudum mortuus erat: in iis etiam non Epiſcopum ſed *A. Miſnenſem Præpoſitum*, & *Canonicos ſuos* commendat. De aliis Eugenii III. ad Marchionem Conradum literis, ante hunc annum datis, nihil meminere, quos laudat, Annales Lauterbergici: igitur non eſt, cur fidem ea in re Fabricio adhibeamus.

Ad An. denique MCXLVI. ſcribit Fabricius: "*Reinvvardus* Præſul obit IX. Cal. Aug. „ Id, an ita ſit, pro certo non affirmem, tacentibus deinceps de Miſnenſibus Epiſcopis usque ad Ann. MCLXX. Chronographo Saxone, Montis Sereni, & Magdeburgico Chronicis.

## XV. Bertholdus.

*Bertholdus Ep. de quo veteres non meminere.*

Aſſequi non ſatis poſſum, qui factum ſit, ut ab electione *Reinvvardi*, usque ad obitum *Gerungi* veteres chro-

chronographi omnes velut uno conſenſu, de rebus Miſnenſium Epiſcoporum, quorum alias, ut vidimus, in Annaliſta, & Chronographo Saxone, in Chronico Magdeburgico, Hildesheimenſi, Lauterbergenſi, in Necrologiis item Hildesheimenſi, & Chemnizenſi frequentior mentio, per annos admodum triginta conticeſcerent: & pene jam animus inclinarat, ut *Reinvvardo* ſucceſſorem, in ſerie Miſnenſium Epiſcoporum *Gerungum* conſtituerem, quorum veteres meminere: Nec enim XXX. annorum intervallum, tantum videri poteſt, ut non commode duorum Epiſcoporum ſucceſſione expleretur. Sed quod Monachus Pirnenſis Col. 1457. Fabricius, Albinus, Leuberus *Reinvvardo Bertholdum*, aliosque ante *Gerungum* adjungant in Epp. Miſnenſium Catalogo, veritus ſum ab eorum ſententia penitus diſcedere: tametſi id non ſine exemplo facturus fuiſſem. Sic enim Author Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ German. Epp. Bruxellis An. MDCCXXIV. Gallice editæ faciendum ſibi ſine dubio putavit, & Tom. II. p. 301. *Remberto* ſucceſſorem continuo *Gerungum* dedit. Movit me cum Luneburgici Chronici, tum maxime *Ottonis* Friſingenſis fides, qui *Albertum* Miſnenſem Ep. inter *Reinvvardum*, & *Gerungum* interponunt; & literarum exemplum, quod infra allaturus ſum de *Alberto* Ep. inter cetera MS. Codicis noſtri documenta contentum; fierique facile potuiſſe putabam, ſimilia ut plura de *Bertholdo*, *Alberto*, *Brunone*, qui *Reinvvardum* inter, & *Gerungum* à Fabricio, & Albino collocantur, in eorum manibus fuerint, quorum indicio hanc Epiſcoporum ſeriem contexuere. Movit Citizenſis Chronici teſtimonium, quod *Gerungi* in Miſnenſi Epiſcopatu initia, eodem, quo Fabricius, an. MCLIV. collocat: quem inter, & *Reinvvardi* ultimum MCXLVI.

nempe ſat magnus hiatus eſt, aliorum Epiſcoporum interpoſitu explendus.

Horum igitur primus *Bertholdus* eſt, de quo Fabricius ad An. MCXLVI. "*Reinvvardus* Præſul obit - - in „cujus locum *Bertholdus* ſuccedit, de quo nihil invenimus, „præter obitus diem, XIV. Cal. Septembr.„ Brevius adhuc Albinus, & Leuberus, & Pirnenſis Monachus, qui præter nudum *Bertholdi*, Miſnenſis Epiſcopi, nomen, nihil de eo meminere.

## XVI. ALBERTUS.

*Albertus Epiſcop.*

Hunc quoque, tacentibus antiquis, quibus eatenus uſi ſumus, Chronicis, ab ipſo etiam Pirnenſi Monacho prætermiſſum, nobis exhibent Fabricius, Albinus, & qui horum tantum ſeriem deſcribit, Leuberus. Et Fabricius quidem hæc de illo ad An. MCLII. refert. "*Albertus* Præ„ſul à *Conrado* Imperatore evocatus *Aldeburgum* ad *Plei„ſam* amnem, à quo propter eruditionem, & pruden„tiam legatus in Græciam mittitur, ad Immanuelem Imp. „Conſtantinopolitanum. Hujus Præſulis nomen in cata„logis communibus ideo fortaſſe omiſſum, quia procul à „patria in itinere periit. In Chronico Saxonum nomina„tum inveni, quod deſinit circa An MCCL.„

Quod iſtud eſſet Chronicon Saxonum, ignorabam hactenus: Annaliſta enim, & Chronographus Saxo ad Sæculum XIII. non pertingunt: Chronica Boſovienſe, Lauterbergenſe, Magdeburgicum de *Alberto* Miſnenſi, ejusque in Græciam legatione nihil habent. Sed tandem in Chronicon

nicon Luneburgicum apud Eccardum Corp. Hiſt. T. I. incidi: ubi Col. 1383. lingua patria hæc leguntur ſub An. MCLII. " Do ſtarf Biſchop *Albrecht* van *Miſne*, deme „ hadde geſand Koning *Conrad* an *Bodeſcap* to deme Ko- „ ninge van *Criecken*. Na ime vvard Biſchop Abbet *Ge-* „ *rung*. „ quæ latine ſic reddas: Per id tempus obierat *Albertus*, Epiſcopus Miſnenſis, quem *Conradus* Rex legatum miſerat ad Regem Græcorum. Poſt illum factus eſt Epiſcopus, *Gerungus* Abbas. Nec aliud videtur fuiſſe Chronicon Saxonum cujus teſtimonio Fabricius hic uſus eſt: nam hoc in *Wilhelmi* Hollandi, Germaniæ Regis, electione circa An. MCCL. deſinit. *ex Chronico Luneburgico,*

Albinus in Chronico Miſn. non tantum in ſerie Epiſcoporum Tit. XXII. p. 279. ſed etiam inter doctos, & eloquentes viros Tit. XXV. p. 335. *Alberti*, Miſnenſis Epiſcopi meminit, eumque ex Sorabica nobilitate, bonis literis à puero inſtitutum, ſapientia, eloquentia, ac doctrina inter ætatis ſuæ Præſules claruiſſe cenſet; ac propterea, & maxime Slavonicæ linguæ cauſa, à *Conrado III.* Rege cum legati dignitate ad *Manuelem Comnenum*, Orientis Imp. in Græciam eſſe miſſum. Sed enim aliud, & longe certius ex *Ottone* Friſingenſi docemur, qui cum de geſt. Frid. I. Imp. Lib. I. Cap. 62. ſcriberet, ſe à *Conrado III.* Rege in cauſa *Colonienſis*, & *Trajectenſis* Eccleſiæ evocatum, comitem ſibi adjunctum, *Albertum Miſnenſem* Epiſcopum, refert, ut alias in Annalibus Auſtriacis à me dictum ad An. MCLI. Sic enim *Otto*, laudato loco: " *Con-* „ *radus* Rex tam de ſubrogatione *Colonienſis*, quam ſuper „ determinatione illius controverſiæ, quæ in *Trajectenſi* „ Eccleſia agitabatur, examen laturus, inferiores Rheni „ partes adiit, habens ſecum ex Baiovaria *Ottonem* Fri- *& Othone Friſingenſi cognitus.* *A Conrado III. ad Rhenum evocatur.*

 „ ſin-

Digitized by Google

*unde ad Imp. Orientis miſſus* „ ſingenſem; ex Saxonia *Albertum Miſnenſem*, Epiſcopos.„ Neque tamen inficiari velim, eundem *Albertum* inde in Græciam ad *Manuelem* Comnenum Imp. eſſe miſſum.

His nunc teſtimoniis firmata *Alberti*, Miſnenſis Epiſcopi, fide, non incredibile videbitur documentum, quod MS. Codex noſter affert ad An. MCL. in hanc ſententiam: "An. MCL. conſecrata eſt ab *Alberto* Epiſcopo Capella S. Ægidii in *Schöſſershofe Miſnæ*, & *Conradus* Marchio Miſnenſis de conſenſu *Conradi* Regis, & ad preces *Hermanni*, tum Burggravii, Fundatoris, dedit in uſum luminarium duo Curtilia, ſita in urbe verſus arcem, quæ IV. denarios pendere ſolebant, & ſi qua alia inde exiſtere utilitas poſſet, in uſum, & commodum Sacerdotis, divina ibi facturi, attribuit: nec non pagum *Zelovvitz*, ſitum in Burgvvardo *Gana* cum omni jure, excepta *Advocatia*, cum ædificiis, agris &c. Domunculam item ante urbem ad rivum *Meiſa* dictum, una cum adjuncto illi horto. Actum Cal. Septembr. An. MCL.„ Hæc ibi: ex quo conſequitur, hoc anno *Albertum*, jam Epiſcopum Miſnenſem fuiſſe, & paulo poſt cum *Trajecti*, ac *Coloniæ* nihil jam agendum eſſet, Legatione in Græcia functum, *obiit.* ubi in itinere diem obiit.

## XVII. BRUNO I.

*Bruno I. Epiſcop.* Ignotum hunc antiquioribus ſcriptoribus Miſnenſem Epiſcopum primus, ni fallor, nobis prodidit Pirnenſis Monachus in Excerpt. Saxon. Col. 1457. in eo tamen falſus quod XVI. Epiſcopum interque *Bertholdum*, & *Gerungum*, omiſſo *Alberto* (quem ex *Ottone* Friſingenſi, & Chronico Lu-

Digitized by Google

Luneburgico certiſſime conſtat, ex Miſn. Epp. ſerie non eſſe delendum ) *Brunonem* collocat. Albinus, qui *Brunonem I.* contra fidem antiquiorum, inter *Craftonem*, & *S. Bennonem* interjicit, *Brunonem* hunc II. jam appellat. Fabricius denique, quanquam ipſe fateatur, *Alberto*, de quo paulo ante ex mente Chronographi Luneburgici, quem laudat, ſine medio ſucceſſiſſe *Gerungum*; fide tamen Catalogi, ut loquitur, Miſnenſis *Brunonem* in Epiſcoporum ſerie, *Alberto* Miſnenſi ſubjungit. Sic enim ad An. MCLIV. " *Bruno I.* Præſul obiit IV. Idus Junii, nec ultra biennium „ ſedit. Ei ſuccedit *Gerungus*, Abbas *Boſanus* decimus „ ordine, qui à *Friderico* Imperat. in demortui Alberti „ (*ut Chronicon Saxonum*) vel (*ut catalogus Miſnenſis*) in „ *Brunonis* locum miſſus eſt, vir opinione integritatis cla- „ rus. „ His refragari pertinaciter non libet, eo maxime, quod, quantæ ætatis ille catalogus Miſnenſis ſit, quantæque fidei, haud perinde mihi exploratum ſit; conſterque ex Privilegio *Dobrilucenſibus* dato An. MCCXXVIII. apud Ludevvig. Reliq. MS. T. I. p. 42. *Brunonem Miſn.* Ep. qui id contulit, *Secundum* à ſe ipſo appellari: ſic ut dubium jam relinquatur nullum, *Brunonem I.* Ep. ſub hoc tempus præceſſiſſe.

*ex Brunonis II. teſtimonio notus.*

# XVIII. Gerungus.

De *Gerungi* Miſnenſi Epiſcopatu dubium nullum eſſe poteſt, tametſi, an *Alberto*, an *Brunoni* ſucceſſerit, non ita certum ſit. Chronicon Luneburgicum, ſupra laudatum de eo ſic habet: " Poſt hunc (*Albertum*) factus eſt „ Epiſcopus *Gerungus* Abbas. „ Paulus Langius in Chronico Citizenſi, eodem, quo *Bertholdum* Naumburgenſem, etiam

*Gerungus Epiſcopus.*

Digitized by Google

etiam *Gerungum* Miſnenſem Epiſcopum creatum eſſe ſcribit anno MCLIV. Sic enim ad eum annum breviter: " Anno „ itaque Domini iſto *( MLCIV.)* quo *Bertholdus* Epiſcopus „ noſter cepit, *Gerungus* Abbas monaſterii noſtri, vir ve- „ nerabilis, & religioſiſſimus factus eſt Epiſcopus *Miſnen-* „ *ſis.*„ Et alio in loco apud Piſtorium T. I. p. 1130. ubi *Gerungum* Benedictinis vendicat, hæc de illo ſubjungit: " Beatæ memoriæ *Gerungum*, ejusdem *(Miſnenſis)* Eccle- „ ſiæ Epiſcopum, virum converſatione, & doctrina clariſ- „ ſimum, Monachum fuiſſe, certe negare nequeunt. Hic „ etenim ex Abbate noſtri cœnobii *Putzauigenſis (Boſau)* „ cum votivo totius cleri aſſenſu, dictæ Eccleſiæ conſecra- „ tus eſt in Antiſtitem. „

*ex Abbate Boſovienſi.*

Fabricius, poſtquam *Gerungum*, Abbatem *Boſanum*, eodem An. MCLIV. ſcripſiſſet creatum eſſe Epiſcopum, ſubjungit: " Anno ſuæ ſeſſionis primo X. Cal. Decembr. exu- „ libus *Flandrenſibus Coronam* villam, prope *Wurcinam*, ha- „ bitandam conceſſit. „ Quinam hi fuerint *Flandrenſes* exules, aut qua occaſione extorres patria facti, non liquet: quanquam *Flandrenſes* Brugenſes, etiam Viennæ in Auſtria, ſed aliquanto ſerius, & fortaſſe non ante cladem *Ottonis IV.* ad *Bovinas* acceptam, conſediſſe legantur. Conjecturam in re incerta præbet author magni Chronici Belgici apud Piſtorium T. III. p. 189. qui ubi narrat turbas in electione novi Præſulis An. MCL. Trajecti exortas, & *Hermannum de Hœrn* ab Hollandiæ, Geldriæ, & Cliviæ comitibus adverſus æmulum *Fridericum* de *Huenel* à civibus, agreſtibusque obtruſum, ad infulam Trajectenſem promotum, addit: " Sed violenta pars nobilium partem ſuppreſſit civium, „ & *Theodericus* Hollandiæ Comes, armata manu *Her-* „ *mannum* duxit in poſſeſſionem Epiſcopii, ſubjiciens ei

*Flandrenſes exules Wurcenæ collocat.*

„ po-

Digitized by Google

„ poteſtatem in adverſantem populum. - - Iſte *Herman-*
„ *nus (qui conſentiente Legato Cardinali, & CONRADO*
„ *Rege, poſtea Epiſcopus manſit)* fuit homo levis animi, in
„ cujus præſentia contingebat ſæpe ſtrages homicidii. Nec
„ enim Burgenſes potuit ab inteſtinis bellis prohibere,
„ nec miniſteriales à conſueta rebellione refrænare. „

Ad An. MCLV. ſcribit Fabricius: “ *Conradus* Marchio
„ Miſnenſis - - ſuaſu *Wigmani* Antiſtitis Magdeburgii, &
„ *Gerungi* Præſulis, dedicat templum *Lauterbergianum*, ſi-
„ tum non procul ab *Hali* Saxonica, in Monte. „ Quod
miror, ſi hoc anno factum, ab authore Chronici Lauter-
bergici ſilentio eſſe præteritum. An. MCLVI. pergit idem
Fabricius de *Conrado* Marchione Miſnenſi, cujus poſteritas,
ut idem alibi notat, rerum adhuc in *Miſnia* potitur: “ Idem
„ Marchio, præſente *Wigmano* ſuæ ſororis filio Antiſtite
„ Magdeburgio - - plurimis item nobilibus, arma eque-
„ ſtria ultra exuit, & in Baſilica *Miſnenſe* ſuſpendit. Inde
„ pridie Kal. Decembr. in *Lauterbergum* concedit, habi-
„ tumque religioſi aſſumit, poſt duos menſes, ac dies quin-
„ que obit ibidem. „ Fuſe eam vitæ commutationem exe-
quitur Chronicon Montis ſereni, ex quo iſta brevitatis ſtudio
breviter excerpimus. “ Anno MCLVI. *Conradus* Miſnenſis, **Conradus Marchio Miſnenſis poſita perſona Principis**
„ & Orientalis Marchio, gratia divina ſe præveniente Mo-
„ naſterium petere ſtabili ſecum propoſito definivit. Vo-
„ lens autem Eccleſiæ, ad quam anhelabat, ſcilicet *Sereni-*
„ *montis*, quam jam ſufficienter, prout opportunum ei
„ fuerat, locupletaverat, in futurum proſpicere, *Wicman-*
„ *no* Archiepiſcopo, & *Alberto* Marchioni de *Brandenburg*,
„ filiis etiam ſuis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus viris nobili-
„ bus, & miniſterialibus accerſitis, ad locum venit, ut in
„ eorum præſentia, quod intenderet, conſummaret. „

Narrat deinde, quæ poſſeſſiones vel à ſe, vel à conjuge per manus filiorum ſuorum *Ottonis* Miſnenſis, *Friderici* Orientalis Marchionum, *Henrici de Wittin*, *Dedonis de Rochelez*, *Friderici de Brene* Comitum cœnobio jam fuerint oblatæ: de Advocatiæ jure in feudum non concedendo, nec ſervitiis inde exigendis; de ſepultura filiorum ibi delecta, & ſubjungit: " His ita diſpoſitis, coram Altari B. Petri, veteris hominis veſtibus exutus, & regularis vitæ habitu per manus Archiepiſcopi *Wichmanni* veſtitus, voluntariam paupertatem pro amore Chriſti amplexus eſt, cum magno favore Principum, quibus etiam uberrimas devotio lacrymas extorquebat. - - Hæc acta ſunt ſic B. Andreæ Apoſtoli. - - Vixit autem poſt converſionem menſibus duobus, & diebus quinque. - - Mortuusque eſt Non. Febr. anno vitæ ſuæ LIX. ſepultusque eſt à *Wichmanno* Archiepiſcopo in medio Eccleſiæ. - - Qui quoniam tulerat crucem ſuam, & Chriſtum ſecutus fuerat, diſcipulum Domini fuiſſe, nulli dubium eſt." Hæc ibi: plane ex Catholicorum ſenſu, qui hanc partem Evangelii pulcherrimam de voluntaria paupertate, ignotam hodie *Miſniæ*, uni agnoſcunt, & ſequuntur.

*monaſticam amplectitur Lauterberga*

*poſt duos menſes moritur.*

Copioſior hoc loco Fabricius, Anno ſtatim ſequente hæc adjungit: " An. MCLVII. *Vladislaus* Rex Boemiæ II. *Miſniam* regionem armis & rapinis invadit: ſed mox ductus facti violenti pœnitentia pro damnis illatis, Præſuli *Gerungo* ſatisfacit: " Quæ iſta vis, tam ſubito revocata, nemo vel Boemorum, vel Saxonum Scriptorum explicat: Credibile eſt, *Vladislaum*, ſtrenuum alioquin Principem, finium cauſa, qui Miſnenſem Diœceſim propius attingunt, quædam ſibi, regnoque aſſerere voluiſſe, quæ in Miſnenſis jus Antiſtitis dudum tranſiiſſent: ſed de his

*Vladislaus II. R. Bohem. in Miſniam irrumpit.*

infra

infra recurret mentio. " Eodem anno *(proſequitur Fabri-
„ cius narrationem)* naulum, quod de trajectu *Albis*, pon-
„ te ſublicio nondum facto, peculiariter pendebatur Fami-
„ liæ Præſulis, *Gerungus* reditibus templi aſſignat. „ Verum de hoc etiam ad An. MCLX. dicetur.

An. MCLIX. refert codex noſter MS. controverſiam inter Miſnenſes & rectorem Eccleſiæ in *Zmulnen* exortam duorum prædiorum cauſa in provincia *Dalminzæ*, & pago *Zvvittich* ſitorum: ſeptem præterea manſorum, qui *Hugonis* cujusdam ante eum diem erant; & in quos *Zmulnenſis* Eccleſia jus ſibi arrogabat. Conſtituto litis arbitro, *Bertholdo Naumburgenſi* Epiſcopo, lis ea ſic dirempta eſt, ut perſolutis *Zmulnenſi* Eccleſiæ III. argenti marcis, prædia deinceps in jus plenum Canonicis accederent: Id quod *Otto* Marchio Miſnenſis, *Conradi* filius, qui curtes eas à *Bertholdo* Ep. interea in feudum habuit, ratum eſſe voluit, & confirmavit. *Cizæ* VI. Cal. Novembr. An. MCLIX. ***Zmulnenſis Parochia lis compoſita.***

An. MCLX. cum *Erphordiæ* conventus Principum in cauſa Mediolanenſium celebraretur, *Gerungus* quoque, Miſnenſis Epiſcopus aſſedit. " Epiſcopi & principes, *(ſcri-
„ bit Monachus Erphesfordenſis in addit. ad Lambertum
„ Schaffn.)* ſuper regni negotiis conventum *Erphordiæ* ce-
„ lebrant: Trevirenſis Archiep. & *Renoldus* Colonienſis
„ electus, *Wichmannus* Magdeburg. Archiep. *Gerhardus*
„ Babenberg. Ep. Merſeburg. Citicenſis, *Miſnenſis* Epiſcopi.
„ *Henricus* Dux Saxonum - - aliique plures: ubi expedi-
„ tionem in auxilium Imperatoris contra Mediolanenſes
„ conjuraverunt. „ Fabricius in Supplemento Chronici Miſnenſis p. 343. addit: " MCLX. *Venceslaus* Rex Bohemiæ
„ *(leg. WLADISLAVS: is enim tum Rex erat Boemiæ)* quod ***Conventus Erfordiæ.*** ***Vladeslaus II.***

 „ Dioe-

*Rex Bohem. Miſn. Eccleſiæ damna reſarcit.*

„ Diœceſi Miſnenſi incendiis vaſtationem intulerat, pro ſe, „ fratribusque ſuis *Henrico*, & *Debaldo*, & pro filio ſuo „ *Friderico* iterum ſatisfacit, & damna recompenſat Præſuli „ *Gerungo*. Literæ ſcriptæ à *Gervaſio* Præpoſito Vniſegra- „ denſe, Regni Cancellario. „

*Feſtum S. Joannis ante portam Lat. Miſnæ celebrat.*

Codex vero MS. noſter duo de Miſnenſi Eccleſia hoc anno commemorat: prius iſtud: " *Gerungus*, Miſn. Ep. „ ad celebrandum feſtum S. Joannis ante portam Latinam, „ & alia plura donavit Eccleſiæ Miſnenſi IV. marcas ex nau- „ lo in Trajectu *Albis* ad Miſnam pendi ſolito. Actum XV. „ Cal. Novembr. An. MCLX. „ Poſterius ſic refertur: " *An- „ ſelmus* Cantor, & Cuſtos Miſnenſis, de conſenſu *Gerungi* „ Ep. & fratrum ſuorum novale quoddam *Puckovviz* di- „ ctum, & in Burgvvardo *Gilburg* ſitum, jurisque Collegii, „ ſeu Capituli Miſnenſis, colendis aliquot agricolis tribuit „ ea ratione, ut coloni ii per decennium, ſine cenſu, & „ tributo id poſſideant: poſtea vero quotannis binos de- „ narios ex agris ſingulis dependant Canonicis, uno tamen „ ex ſeptem, quot erant, agris ab hoc onere immuni „ ſemper relicto. Quare ad confirmandam ſibi poſſeſſio- „ nis perpetuitatem, coloni ſinguli VI. denarios dederunt „ An. MCLX. „

*Contractus de agro in Puckoviz.*

*Magdeburgenſis & Miſnenſis Ep. decimas permutant.*

Anno ſubinde MCLXIII. XI. Cal. Februarii (Fabricius ſcribit: An. MCLXV. prid. Cal. Febr.) ut habet MS. Codex noſter, " *Wichmannus*, Magdeburg. Archiep. cum Miſnenſi „ Ep. *Gerungo* commutavit decimas, quas Miſnenſis Eccle- „ ſia in *Bretinenſi* territorio habuerat; illique decimas in „ territorio *Lubaniz*, quæ antea ad Magdeburg. Eccleſiam „ pertinuerant, tranſcripſit. „ Paulo aliter tradit Fabricius in ſupplem. ad An. MCLXV. " *Wigmanus (inquit)* Antiſtes

„ Mag-

Digitized by Google

„ Magdeburgicus oppidum *Lubnitium* permutavit, & pro „ eo accepit *Pretinum*, quod Diœceſis *Miſnenſis* tum erat. „ Factum Magdeburgi pridie Cal. Febr. præſentibus quinque „ Præſulibus, inter quos *Gerungus* Miſnenſis fuit, ad quem „ actio pertinuit præcipue. „

Octobri deinde menſe ejuſdem anni, Eccleſiam *Gratia DEI*, propter *Calbam* oppidum ad *Salam* fluvium, à *S. Norberto* nuper fundatam, *Gerungus* cum *Wichmanno* Archiepiſcopo conſecravit. "Anno MCLXIII. VII. Id. „ Octobris (*ut habent Acta Præſulum Nuenbergenſium apud* „ *Paulinum in ſyntagmate Antiquit. German. p. 136.*) Eccle„ ſia *DEI gratia* dicta, dedicata eſt in honorem B. Virgi„ nis, S. Victoris, & S. Pontiani Martyrum, à *Wigmanno* „ Metropolitano, adſtantibus, & cooperantibus *Miſnenſi*, „ Merſeborgenſi, & Cizenſi noſtro. „ Eadem refert Chronicon ſereni Montis, additque de S. Pontiano " quem eo„ dem die præfatus Archiepiſcopus ipſi Eccleſiæ dedit. „ Anno demum MCLXV. Fridericus I. Imp. villam *Prezez*, in pago *Milzane* ſitam, quam Wladislaus, Rex Boemiæ, in compenſationem damni, nupera excurſione Eccleſiæ Miſnenſi illati, tradidit, ſolennibus his literis donavit & confirmavit, quas ex Illuſtriſſimi Comitis de Bünau Append. Diplom. ad Hiſtoriam Friderici I. Imp. p. 427. huc tranſcribimus.

*Conſecratur Eccleſia Gratiæ Dei prope Calbam.*

*In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis, Fredericus Divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Divinis, & ſalutaribus ſanctarum ſcripturarum erudimur documentis, & prædeceſſorum noſtrorum Regum, & Imperatorum frequenter admonemur exemplis, ut eccleſias Dei ſumma devotione, ac benignitate ditemus, easque modis, quibus*

*Diploma Frider. I. Imp. de villa Prezez.*

poſſumus, munere gratiæ noſtræ, ampliare, & ſublimare non ceſſemus. Omnibus igitur imperii noſtri fidelibus tam futuris, quam præſentibus notum eſſe volumus, quod nos divinæ remunerationis intuitu, & pro remedio animæ noſtræ ex imperiali clementia villam quandam PREZEZ nuncupatam in pago MILZANA ſitam, Eccleſiæ MISINENSI, quæ in honore beati Johannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, & beati Donati conſecrata eſt, cum omnibus pertinentiis ejus conceſſimus, tam in agris, quam in ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, molis, & molendinis, piſcationibus, & venationibus, terris cultis, & incultis, exitibus & reditibus, & eam omni jure, & ſervitio, & utilitate, quæ nunc eidem villæ ineſt, vel in poſterum poterit provenire. Noverit & omnium tam futurorum quam præſentium fidelitas, qualiter dilectus noſter WLADIZLAUS Boemorum Rex præfatam villam, quam in beneficium à nobis habebat, pro præda, & incendio, quod MISINENSI Eccleſiæ intulerat, in reſtauratione dampni in manus noſtras reſignavit, ea conditione, quod de manu noſtra prædictæ Eccleſiæ concederemus, & auctoritate privilegii hujus ei confirmaremus, quod & factum eſt, ſicut præſens pagina teſtatur. Statuentes itaque imperiali auctoritate præcipimus, ut nulla perſona, parva vel magna, de eadem villa, vel de pertinentiis ejus ipſam MISINENSEM Eccleſiam inquietare audeat, vel in aliquo præſumat moleſtare. Si quis enim aliquo auſu temerario hanc noſtræ donationis, & confirmationis exhibitionem infringere attemptaverit, XX. libras auri puri pro pœna componat, medietatem fiſco noſtro, & reliquam medietatem Eccleſiæ MISINENSI. Hujus rei teſtes ſunt: WLADIZLAUS Rex, & fratres ejus TIPOLDUS, & HEINRICUS. WICMANNUS Magdeburgenſis Archiepiſcopus. EVERARDUS Bambergenſis Epiſcopus. H. Verdenſis Epiſcopus. DANIEL Pragenſis Epiſcopus.

*pus. GERVNGVS MISINENSIS Epiſcopus. JOHANNES Merſeburgenſis Epiſcopus. Marchio ALBERTVS. Marchio OTTO. Marchio THEODORICVS. Landgravius LODOVICVS. Comes DEDO. Comes HEINRICVS. Comes FREDERICVS. Præfectus Miſinenſis HERIMANNVS, & alii quam plures.*

*Acta ſunt hæc Anno dominicæ Incarnationis MCLXV. Indictione XIII. Regnante Domino Frederico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo. Anno regni ejus XIII. Imperii vero X. feliciter, Amen. Dat. apud ALTENCVRG. III. Kal. Martii.*

Aliquanto poſt tempore, cum *Wichmannus* ex transmarina peregrinatione reverſus circa An. MCLXVIII. donationes, ac privilegia eidem cœnobio, *Gratia DEI* dicto confirmaret, *Gerungus* iterum primo loco inter teſtes laudatus eſt. Extant ea de re literæ *Wichmanni* Archiepiſcop. apud Ludevvig. in Reliq. MS. T. XI. p. 556. ubi ſic legitur: " Hujus autem ſanctionis hi ſunt idonei teſtes: *Ge-* „ *rungus* Miſnenſis Epiſcopus. *Otto* ſummus Præpoſitus „ de Magdeburg. &c. „

Hactenus ea, quæ certos ad annos referri poterant: quæ ſequuntur, incerti temporis ſunt, ſed ab idoneis ſcriptoribus de *Gerungo* prodita: Ac Monachus quidem Pirnenſis in Excerpt. Saxon. apud Mencken. T. II. Col. 1583. hæc de illo memorat: " Der XVII. Biſchoff *Geryngus* hat das „ Slos *Mogiln* gebavvt, und *Libental* gekauft -- Biſchof „ *Geringus* hat eingefurt *S. Donati* tumba, mit ſampt den „ Heiligtum. „ Col. vero 1475. " *Geryngus* -- hat *S. Veits* „ *Kirche* bey *Weyda*, auf anligend bith Biſchoffs czu *Czeicz*

*Gerungi Ep. reliqua:*

*Mogelenſe caſtrum extruit. Liebenthalam emit.*

Digitized by Google

„ *Czeicz* (di czeit logerhaftig) gevveiet, vvas czum dritten „ mal verbrant. „ Fabricius de condita *Mogelenſi* arce, de empto *Libenthal*, de tumba *S. Donati*, cum reliquiis introducta tacet: de templo *S. Viti* ad An. MCLIV. ſic narrat: " Ad inſtaurandum Montis divi *Viti* Templum in Votlandia, ter igne injecto abſumptum, Olſnicenſibus im„ penſas miſit. „ Addit deinde: " Primus bibliothecam „ inſtituit, quam poſtea ſub *Johanne VII.* auxit libris, & „ ædificio ornavit *Melchior Meca* Cardinalis, Præſul *Brixi*„ *nenſis*, & *Miſnenſis* Præpoſitus. Inter viros laudatos „ celebratur *Gerungus* in Annalibus Lauterbergi. „ Paulus Langius in Chronico Citizenſi p. 1130 apud Piſtorium T. I. dum in eos invehitur, qui ereptos ſuo ordini complures Epiſcopos volunt, iſtu de *Gerungo* ſubjungit: " In„ ter alia (*Gerungi*) geſta memoria digna, Reliquias „ S. Donati, cum pretioſis earum thecis, attulit Eccleſiæ: „ Clenodia inſuper, & alia complura, multoſque libros „ pro Eccleſiæ ornamento, & ſtudentium utilitate diſpo„ ſuit. Et in tali, tantoque eorum paſtore, quod con„ ſpicuum, & ſanctiſſimum fuerat, religioſitatem videli„ cet ejus, mundique abrenunciationem ſive contemptum „ occulere, & reticere voluere ex invidentia, quam pro „ ejus DEI que manifeſtare gloria. „

*S. Donati Reliquias attulit. & ornavit.*

Obiit vir de Eccleſia ſua optime meritus XII. Cal. Decembr. quam diem Necrologium Kemnizenſe ſignat his verbis: " XII. Kal. (*Decembr.*) † pie memorie *Gerungus* „ eps Miſn. „ Annum mortis & Saxo Chronographus, & Boſovienſe, & Montis ſereni Chronicon notant: quorum iſtud, cum ejus adventûs cauſam non explicet, hæc tantum de illo memorat: " Anno MCLXX. *Gerungus* Miſnen„ ſis Epiſcopus, obiit in infirmitorio fratrum in *Sereno*„ *Mon-*

*Ejus obitus.*

Digitized by Google

„*Monte*. Hic etiam Eccleſiam *Sereni-montis* magno ſem-„per affectu coluit, multisque eam ſuæ largitatis benefi-„ciis affecit. Sepultus eſt autem in Eccleſia *Miſnenſi*.„

# XIX. MARTINUS.

Quæ mortem nobis *Gerungi*, eadem *Martini* electionem indicant Chronographi Saxonis, Boſovienſe, & Montis Sereni Chronica: " *Gerungus* Miſnenſis Epiſco-„pus obiit (*inquit Saxo Chronogr. ad An.* MCLXX.) cui „ſucceſſit *Martinus*, ejusdem Canonicus Eccleſiæ.„ Et vero jam An. MCLXXI. V. Cal. Decembr. inter teſtes Privilegii à Friderico I. Imperat. in *Nuenberg dati* legitur *Martinus*, *Miſnenſis Epiſcopus*, apud Ludevvigium Reliqu. MS. T. I. p. 12. Fabricius ad An. MCLXX. eundem, à candore, & modeſtia ſic laudat: " *Martinus* (*inquit*) qui „cum Principibus, & Sacerdotibus ſumma vixit concor-„dia, vir moderatus, & ſimplex.„ Albinus Tit. XXV. Chron. ſui Miſn. *Martinum* inter literatos ætatis ejus viros commemorat: "*Martinus* (*inquit*) XX. Miſnenſis Epiſco-„pus, in vicinia *Montis Sereni* natus eſſe creditur, & in „eo primum cœnobio Canonicis primum Regularibus, „tum vero majori Miſnenſium Collegio adſcriptus. Hi-„ſtoricus imprimis bonus fuit, ſuique res temporis ſtudio-„ſe notavit: unde & in more habuit, ut ſuis in literis ſub „finem ſemper res ejus anni, quo datæ ſunt, præcipue „geſtas adjiceret: unde patet, morem hunc multorum ho-„diedum doctorum hominum quasdam temporis epochas „memoratu dignas in calce literarum adſcribendi jam tum „in uſu fuiſſe.„

*Martinus Ep.*

*Suis, externisque charus.*

*Ex Canonicis Regular. Montis Sereni aſſumptus.*

*De Vetero-Cell. Ciſtercienſium Cœnobio.*

Quæ Fabricius de *Vetero-Cellenſi* Ciſtercienſis inſtituti Cœnobio, ab *Othone* Miſnenſi Marchione in ſilvoſis vallibus ad *Muldam* fluvium An. MCLXXV. refert; ea Chronicon quidem Vetero-Cellenſe minus his verbis confirmat apud Menken. T. II. Col. 438. "MCLXXV. Inicium „*Celle Sancte Marie* VI. Kal. Julii.„ Sed in Annalibus Vetero-Cellenſibus Struvianis, & fuſioribus apud eundem Menken. T. II. Col. 389. legitur: "Eccleſiam Cellenſem „fundatam eſſe ferunt Anno Domini Milleſimo Centeſimo „Sexageſimo Sexto Kalend. Junii, quæ antecedenter, per „glorioſiſſimum Imperatorem *Fridericum* primum ad quar„tum Kalendarum Martii dicti anni confirmata fuit, quem„admodum literæ confirmationis ejus lucidius declarant.„ Refert eas integras Illuſtriſſimus Comes Henricus de Bünau in Append. Diplom. Hiſtoriæ Friderici I. Imp. p. 426. & ſunt ſequentes.

*Diploma Frider. I. Imp. de Erectione Abbatiæ Vetero-Cellenſis.*

*In Nomine Sancte, & Individue Trinitatis Fridericus Divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus. Apud noſtram majeſtatem bona fides, & ſincera devocio ſemper locum habuit, & fideles illi augmentum honoris, & gratiæ jure apud nos debent invenire, quorum merita, & præclara ſervicia circa honorem noſtrum, & Imperii ſepius clareſcere cognovimus. Ea propter cognoſcant omnes imperii noſtri fideles, tam futuri, quam præſentes. Qualiter dilectiſſimus princeps noſter OTTO, Marchio MISNENSIS noſtram imperialem magnificentiam adierit, & noſtram clementiam pia, & ſedula peticione exoraverit, ut abbatiam illam, quam ipſe prædictus Marchio in marchia ſua ſub regula BEATI BENEDICTI ad honorem BEATE MARIE VIRGINIS inſtituit, & conſtruxit, auctoritate noſtra liberam redderemus, & ut octingentos manſos, qui FRANKONICA lin-*

*lingua LEHEN appellantur, in provincia, que dicitur DALMINZE, in epiſcopatu MISSINENSI, quos idem Marchio a nobis, & ab imperio in beneficium habeat! quos etiam ipſe ſuis ſumptibus exſtirpari fecit, & in culturam redegit, videlicet in nemore illo, quod eſt inter prædictam provinciam, & BOEMIAM, ad Meridionalem plagam orientalis MILDE in Burchvvardo MOCHOWE predicte Abbatie conferremus, & noſtro privilegio ei confirmaremus. Nos itaque ſinceram devotionem prefati Marchionis, & ejus fideliſſima obſequia in memoria, & pre oculis habentes, ac bonum zelum ipſius circa cultum divinum ex hoc propoſito propenſius intuentes, dignum duximus preces ejus admittendas, & quia res iſta abſque noſtra conceſſione, & donatione ad effectum perduci non poterat, illos predictos octingentos manſos, quos dilectus noſter Marchio à nobis in beneficium habebat, Deo libere donavimus ad laudem, & gloriam nominis ejus ut inde ſervicium Dei ordinetur. Ipſas quoque poſſeſſiones cum omni utilitate in longum, & in latum videlicet cum ſilvis, & campis cultis, & incultis, paſcuis, pratis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, viis, & inviis, & ſimilibus, quecunque ad uſum humane vite coaptari poſſunt, ſupra memorate abbatie, pro noſtra, omniumque anteceſſorum noſtrorum ſalute in perpetuum confirmavimus. Quia vero eadem abbatia per ipſum Marchionem fundata, & de beneficio imperiali dotata eſſe dignoſcitur, ſtatuimus & noſtro Imperiali edicto præcipimus, ut in predictis bonis abbatie nullus aliquam habeat poteſtatem præter ipſum abbatem ſpiritalem patrem ejusdem loci, quem fratres ibidem Deo famulantes libera electione elegerint, SALVO IVRE MISSINENSIS EPISCOPI DE SPIRITALIBVS, quæ ad eum pertinent. Marchio autem, & ſui Succeſſores, quicunque Marchiam eandem habuerint, ſint tantummodo advocati, & defenſores*

*ejusdem loci. Ut autem hæc noſtra donatio, & confirmatio rata ſemper, & inconvulſa omni tempore permaneat, preſentem noſtram paginam conſcribi, & Sigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. Adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt. REINALDVS Colonienſis Archiepiſcopus. EBERHARDVS Babenbergenſis Epiſcopus. HEINRICVS Wirzeburgenſis Epiſcopus. HEINRICVS Leodienſis Epiſcopus. ORTLIEBVS Baſilienſis Epiſcopus. GARSENDONIVS Mantuanus Epiſcopus. ALBERICVS Laudenſis Epiſcopus. ANSHELMVS Aſtenſis Epiſcopus. CVNRADVS Palatinus Comes de Rheno. TEOBALDVS Dux Boemiæ. TEODORICVS Marchio, Frater Marchionis OTTONIS. Comes ALBERTVS. Comes VDALRICVS de LENZEBVRC. WILLELMVS, Marchio Montisferrati. GVIDO Comes Blandratenſis.*

*Ego Udalricus Cancellarius vice Reinaldi Colonienſis Archiepiſcopi, & Archicancellarii recognovi. Anno Dominicæ Incarnationis MCLXII. Indict. X. Regnante Domino Friderico Romanorum Imperatore glorioſiſſimo, anno Regni ejus X. Imperii vero VII. Dat. Laude. IIII. Kal. Marcii feliciter. Amen.*

Et vero (ſi monumentis Vetero-Cellenſibus apud eundem Menken. T. II. Col. 453. credimus) jam "Anno ab Incarn. Dom. MCLXXV. Ind. VIII. ad aquilonarem „plagam principalis Altaris juxta veſtiarium dedicata eſt „Capella cum Altari à Venerabili *Martino* Miſnenſis Eccleſiæ Epiſcopo, qui obiit in expeditione Ieroſolimitana, „quæ facta eſt ſub Imperatore *Friderico*. Patronum in „hoc Altari habemus S. *Johannem* Apoſtolum, & Evangel. „& S. *Donatum* Epiſcopum, & Martyrem. Dedicata eſt „hæc

,,hæc Capella III. Non. Novembr.,, Eadem die, ſed An. MCLXXVII. dedicata à *Martino* Miſn. Ep. pariter eſt Capella altera pone Altare ſummum, in Septentrionali latere, ſub honore SS. Petri, & Pauli, ut eadem ibi Monumenta narrant. Ex quibus apparet *Veterem-Cellam* jam aliquanto prius, quam An. MCLXXV. condi cœptam.

Cum An. MCLXXVII. *Fridericus I.* Imperator, cum Eccleſia, & *Alexandro III.* Rom. Pontifice, in gratiam rediiſſet, Concilium Generale Romam indictum eſt, quod An. demum MCLXXIX. in Baſilica Conſtantiniana, ſeu Laterano menſe Martio celebrari cœptum eſt ab Alexandro III. Pontif. Max. cui CCCII. Epiſcopi (ut habet Præfatio Concilii auctior Spicilegii Dacheriani, T. XII. p. 638.) & hos inter Patriarchæ tres, complures Archiepiſcopi, Abbates DCC, ut numerat Chronicon Lauterbergenſe, interfuêre. In hoc Concilio cum primum ſancitum eſſet, ne quis Rom. Pontifex legitimus haberetur, niſi qui à duabus Cardinalium partibus electus eſſet; irritæ deinde declaratæ ordinationes omnes, quæ ab *Octaviano*, *Guidone*, & *Joanne* Antipapis ſuſceptæ ſunt; damnati hæretici *Albigenſes*, *Cathari*, *Patereni*; Epiſcopi, qui nupero in Schismate ab Alexandri partibus ſe abruperant, novo jurejurando Romanæ ſe Eccleſiæ aggregarunt. Tam numeroſa igitur in Synodo inter Patres, ex Magdeburgenſi provincia *Udo* Citizenſis, *Sifridus* Brandenburgenſis, *Martinus* Miſnenſis Epiſcopi conſederunt, ut videre eſt apud Labbeum Concil. T. XIII. Col. 416.

*Martinus Ep. Synodo Romanæ An. 1179. intereſt.*

Roma reverſus, Epiſcopalibus ſe muniis continuo reddidit. *Vetero-Cellenſe* templum interea jam iterum duobus Sacellis auctum erat, eorum nam alterum ſub ho-

nore, ac nomine SS. Benedicti, Gregorii, Ambroſii & Silveſtri XIII. Cal. Junii; alterum ſub patrocinio SS. Martini, & Nicolai eadem die conſecravit, ut referunt ejus Eccleſiæ monumenta laudato ſupra loco. An. MCLXXXI. Idibus Novembris *Aldenburgi* fuit, ubi *Friderici I.* Imp. literas, quibus excitatas inter *Eckelinum*, *Pegavienſem* Abbatem, & *Fridericum de Groits* miniſterialem Imp. controverſias compoſuit, ſuo teſtimonio roboravit: Sic enim Cæſareis iis in literis apud Mencken. T. III. Col. 1027. & apud Illuſtriſſimum Com. de Bünau in Append. Diplomat. ad Hiſtoriam Friderici I. Imp. p. 432. legimus: " Hujus rei teſtes ſunt *Wichmannus*, Magdeburgenſis Archiep. „*Hermannus* Monaſterienſis Epiſcopus, *Martinus* Miſnenſis &c. „ Eandem operam *Wichmanno* ipſi, Magdeburgenſi Archiep. *Hallis* An. MCLXXXII. præſtitit, plura cœnobio *S. Mariæ Novi Operis* (*Neuenvverck*) privilegia conferenti, & confirmanti: id quod ex literis *Wichmanni* patet, quas Ludevvigius Reliq. MS. T. V. p. 3. repræſentat.

*Res Lubanizenſ. ſubditorum ordinat.*

Neque tamen ſic alienis affuit, ut ſuæ rebus Eccleſiæ deeſſet. Anno MCLXXXV. ut quod de jure poſſet, à volentibus impetraret, contractum cum *Lubanizenſibus* iniit, quorum decimas *Wichmannus* Magdeburg. Archiep. Miſnenſi Eccleſiæ tranſcripſerat, quid in foro judiciali, quid in paſcuis, quid in decimis ſuæ Eccleſiæ pendendum eſſet: id quod amice tranſactum hoc anno MS. Codex noſter teſtatur. Haud perinde conſtat, quem ad annum pertineat Eccleſiaſticæ ſeveritatis exemplum, quod in uſurpatorem injuſtum Eccleſiaſtici boni à *Martino* proditum, recenſet idem Miſnenſium Chartarum breviarium. Is erat *Burckardus de Kittliz*, qui cum fundos aliquot, ac nominatim montem in *Zagert*, Eccleſiæ Miſnenſi ereptum, reſtitue-

*Contumacem Violatorem jurium excommunicat.*

ſtituere contumaciter cunctaretur, à *Martino* Ep. Sacrorum communione motus eſt.

Hoc ſevere; benigne illud ab eodem Antiſtite actum, quod cœnobio *Gratia DEI*, decimas omnes, quæ Miſnenſis Eccleſiæ erant, circa *Alſteram* fluvium, ſtabili in perpetuum donatione contulerit, ut ejus, ac *Theoderici*, Marchionis Orientalis literæ, quæ extant apud Ludevvigium Reliq. MS. T.XI. p. 543. & 565. teſtantur. Priores earum ſic habent.

*Cœnobio Gratiæ Dei decimas donat.*

*In Nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. MARTINUS Miſnenſis Epiſcopus, tam præſentibus, quam futuris in perpetuum notum facio omnibus Chriſti fidelibus, quod GUNTERUS venerabilis Præpoſitus, in GRATIA DEI, & fratres ſui, datis XC. marcis LX. manſos ad menſuram FLANDRICAM, in Epiſcopatu noſtro ſuper ALSTERAM ſitos, à Comite FRIDERICO, in poſſeſſionem propriam emerit, quos idem Comes præſente Domino noſtro venerabili Magdeburgenſi Archiepiſcopo WICHMANNO in MONTE S. PETRI poſt celebratas exequias Comitis CONRADI, fratribusque ſuis, coram poſitis, & voluntarium aſſenſum præbentibus præfato Præpoſito GUNTERO, & fratribus ſuis libere dimiſit, & in poſſeſſionem perpetuam legitimo jure contradidit, cum omnimoda utilitate, quam prædicti fratres in eisdem manſis elaborare poterunt, in agris, cultis, & incultis, paſcuis, pratis, molendinis, piſcationibus, aquis, aquarumve decurſibus, & lignorum deductionibus, inſuper, & littus ad compoſitionem lignorum addidit, ubi fratribus commodum viſum fuerit. Hanc itaque legitimam donationem Comitis FRIDERICI, Marchio THEODERICUS, authoritate judiciaria, legitime firmavit, & ſtabilivit. Nos quoque pri-*

*Literæ ea ſuper re.*

Digitized by Google

*primum quidem ob animæ noſtræ ſalutem, tum & propter Comitis FRIDERICI petitionem, ſimulque dilectionem Præpoſiti GUNTERI, omnem decimam quæ noſtri juris erat in eisdem manſis, Præpoſito GUNTERO, & Eccleſiæ in GRATIA DEI, in poſſeſſionem ſempiternam, libere contulimus, & ſub Anathematis comminatione firmavimus. Quod ne cuiquam poſtmodum dubium exiſtere poſſit, præſenti pagine ſigilli noſtri impreſſionem affigi præcepimus, adhibitis idoneis, quorum nomina ſunt hæc, teſtibus, HERBORTO Præpoſitus de WURZIN, VOLCMARUS Magdeburgenſis Canonicus, SIFRIDUS Miſnenſis Canonicus; Laici SUIDEGERUS. HENRICUS de PLISNA, JOHANNES, ODELRICUS, PEREGRINUS, & alii quam plures.*

*Dobrilugenſis Cœnobii Ciſtercienſis inſtituti exordia in Luſatia.*

Sub idem tempus magnum Eccleſiæ Miſnenſi ornamentum acceſſit, *Dobrilugenſe* in *Luſatia* Ciſtercienſis inſtituti Cœnobium, à *Theoderico* potiſſimum, *Luſatiæ* Marchione, ſymbolam tamen conferente *Othone* fratre, Miſniæ Marchione, conditum. Fabricius ad An. MCLXXXIV. trium ſimul Monaſteriorum ſub id tempus à *Miſniæ* Marchionibus conditorum meminit: "Iisdem „temporibus *(inquit)* à Marchionibus Miſnenſibus funda„ta *Dobralucha*, ad *Eliſtrum* nigrum, in *Luſatia* à *Dite„rico*; *Bucha* ad *Zſcopæ* fluminis oſtium in *Oſterlandia*, „à *Friderico*: *Brene* prope *Halin* Saxonicam, à *Friderici* „filiis *Othone*, & altero Patri cognomini, qui in locis trans„marinis cum *Barbaroſſa* Imp. periit in urbe *Ptolemaide*. „ Quartum his adjungit *Cillenenſe* ad *Muldam*, à *Dedone*, Comite *Rochlicio*, educandis nobilium liberis extructum; ſed juvenili petulantia, mutato brevi inſtituto, *Hardemanno* Comiti *Heldrungio*, ordinis Teutonici Magiſtro traditum. Chriſtophorus Manlius de Luſat. Marchionibus in

Digitized by Google

in Epit. Cap. XV. ſcribit, *Ditericum* Luſatiæ Marchionem circa An. MCXC. Peucero teſte, condidiſſe *Dobriluchам* ad *Eliſtrum* nigrum. Libro vero IV. Comment. Luſat. cap. XI. *Dietericum* hunc *Eilebergenſem* appellat. Privilegium *Dobrilucenſe* à *Theoderico*, Miſnenſi, & Orientali Marchione poſtea An. MCC. datum, quod recitat Hoffmannus Tom. IV. Luſat. Script. in append. Diplomat. p. 168. tres *Dobrilucenſis* Cœnobii fundatores nominat. "Ecclesiæ *(inquit)* in *Dobriluch*, quæ à prædeceſſoribus no„ſtris Marchionibus, ſcilicet pie memorie patruo noſtro „*Theoderico*, & patre noſtro *Ottone*, itemque Patruo no„ſtro *Thedone* fundata, ſuſtentata, atque defenſa eſt &c.„ Quæ Eccleſia, cum in Diœceſi Miſnenſi fuerit, de ea ſæpius recurret mentio.

Anno MCLXXXVIII. quo conventus Imperii Moguntiæ eſt habitus, & expeditio ſacra in Palæſtinam decreta, *Martinus* Miſnenſis non tantum affuit, ſed comitandi quoque eodem *Fridericum* Cæſarem, conſilium cepit "An. MCLXXXVIII. *(ſcribit Erfordianus Monachus in „addit. ad Lambert. Schaffna.) Fridericus* primus Imp. habi„ta *Moguntiæ* curia, in media Quadrageſima Crucem ac„cepit ab *Heinrico* Albanenſi Epiſcopo, ſedis Apoſtolicæ „legato. Signati ſunt Dominica cruce *Gotefridus*, Wurtz„burgenſis Epiſcopus, *Hermannus* Monaſterienſis, *Mar„tinus Miſnenſis* &c. Ab hoc anno expeditio Dominica, „protelata eſt usque in futurum annum, & diem S. Geor„gii Mart. apud civitatem *Ratisponam*.„ Ex hoc jam intelligi poteſt, quod ſupra de morte *Martini*, Miſn. Ep. in expeditione Jeroſolymita ex Monumentis Vetero-Cellenſibus notavimus. Fabricius, qui ejus mortem An. MCXC. conſignat, tacet, ubi locorum *Martinus* ſit mortuus,

*Conventui Imperii Mogunt. intereſt,*

*& ad expeditionem ſacram Cruce ſignatur.*

*Obiit.*



Digitized by Google

tuus, & ſepultus, tametſi diem obitus, quem Necrologus Kemnizenſis ignoraſſe videtur, non prætermittat: Sic enim ad eum annum ſcribit Fabricius: "*Martinus* Præſul „vitam finit Id. Julii, qui in conventu Moguntino con„ſenſerat in expeditionem, & bellum ſacrum in Palæſti„nam.„ Quo ipſo anno, ut notat Chronicon Vetero-Cellenſe minus, "obiit *Otto*, Marchio Miſnenſis „ ab *Alberto* filio, ſuperiore anno, in cuſtodiam datus: quod etiam Chronicon Montis ſereni confirmat.

# XX. THEODORICUS. II.

*Theodoricus II. Ep.*

*Theodoricum*, eodem adhuc anno, *Martino* ſuffectum, dubium non eſſet, ſi literæ *Theodorici* Comitis de *Sommerſenburch*, An. MCXC. Lipſiæ datæ eſſent: ſed quod ibi ad Annum MCXC. Ind. XIII. adjecta eſſe legatur, quæ ad An. MDCXCV. pertinet; & *Theodericus* ipſe ſuis in literis de compoſita inter *Noſcinium* dynaſtam, & Cœnobium *Cellenſe* controverſia, infra recenſendis, An. MCXCVII. Præſulatus ſui ſextum eſſe ſcrlbat; primus in An. MCXCII. vel ſummum MCXCI. cadat neceſſe eſt; de *Ranſtede* villa Cellenſi Eccleſiæ vendita, quas affert Ludevvigius Reliq. MS. T. IX. p. 666. ubi *Theodoricus* Miſnenſis Epiſcopus jam inter teſtes nominatur. Fabricius eum ex Præpoſito Miſnenſi electum Epiſcopum tradit: "Eidem „(*MARTINO Ep. inquit ad hunc annum*) ſufficitur Præpo„ſitus Miſnenſis, *Ditericus II.* Hic Cœnobii Afrani redi„tus, & libertatem auxit: Canonicis deligendi Præpoſiti, „quod jus penes Præſulem fuerat, poteſtatem concedit, „ita tamen, ut electus auctoritate ipſius confirmaretur.„

*quando electus.*

Ar-

Digitized by Google

Arduam obtigiſſe *Theodorico* provinciam, turbæ, quæ *Miſniam* per id tempus miſcuere, facile perſuadent. *Ottoni*, *Albertus* Marchio, violenti Princeps ingenii, in *Miſnia* ſucceſſerat: is cum ſupra capti nuper patris odium, & direptum, quem pater moriens in *Cellenſi* Cœnobio depoſuerat, Theſaurum, *Theodoricum* Com. Wiſſinfelſium, fratrem, magnis incommodis afficeret, Cæſaremque & *Hermannum* Thuringiæ Landgravium infenſos ſibi haberet, à Boemis etiam, Miſniam populantibus terrorem ſibi geminatum ſenſit. Fabricius, qui Boemicam hanc incurſionem memorat ad An. MCXCIII. fallitur, quod Sobieslaum Boemum, principem hujus populationis velit. Sic enim ille: "An. MCXCIII. in agrum Miſnenſem Boemus *Sobis-* „*laus* facit incurſiones, & ex eo, locisque vicinis prædam „agit.„ At enim *Sobieslaus* Boemus, à *Friderico*, *Wladislai II.* Regis filio, victus ad *Pragam*, ſub An. MCLXXX. obierat, ut refert Balbinus Miſcell. Lib. VII. Sect. I. Cap. XXVII. p. 95. & colligi ex Dubravio, lib. XIII. in fine poteſt. Neque tamen negârim, *Miſnenſem* agrum à latrocinantibus quibusdam Bohemis infeſtum eſſe redditum: narrat enim idem Balbinus in Epit. lib. III. cap. XII. p. 247. de *Przmislao*, Bohemo principe, "qui amotus à republica, „& in exilium actus, latrocinando cum comitibus, qui „ejus fortunam ſequebantur, vitam ſuſtentare coactus „eſt; Anno 1193. cum *Alberto de Bogen*, ut narrat Ste- „ro, vetuſtiſſimus Scriptor, Bavariam omnem vaſtavit.„

*Turbæ inter Cognatos Miſniæ Principes,*

*& à Bohemis.*

Verum etſi hæc incommoda abfuiſſent à *Miſnia*, ſatis turbarum adhuc habuiſſet ſub *Alberto* Marchione, qui Anno MCXCIV. ab *Hermanno*, Thuringiæ Landgravio cum clade rejectus, cum ab irato Cæſare nulla ſpes eſſet, jam in eo erat, ut "municiones ſuas alias, præter *Lipz-*

*Albertus Marchio moritur.*

„*ke*, & *Chamburg*, & *Miſnam*, (*ut ſcribit Chronographus* „*Montis Sereni*) deſtrueret, has autem viris, & victuali-„bus bello præpararet. „ Sed enim An. MCXCV. veneno, ut quidam volunt, VIII. Cal. Julii extinctus, Marchiam una, vitamque amiſit, quam Henricus VI. Imp. (ut idem Chronograghus obſervat ad An. MCXCVI.) "ſuis „reſervans uſibus, fidelibus ſuis commiſerat procurandam, „quæ etiam usque ad mortem Imperatoris (*An. MCXCVII.*) „per eosdem adminiſtrata eſt. „ Sed illo extincto " *Fri-* „*dericus* Comes, (frater *Alberti*) ad patriam reverſus, „omnem hæreditatem paternam obtinuit, & Marchiam „Miſnenſem, „ quam per decem, & octo deinceps annos quieta in pace usque ad An. MCCXV. tenuit: quemadmodum Chronicon Cellenſe Col. 400. plenius tradit.

*Frater ejus Fridericus extincto Henrico VI. Imp. Miſniam recuperat.*

Tot inter *Miſniæ* provinciæ vices, *Theodorici* quoque Epiſcopi dignitas in ancipiti fuit. Rem Fabricii fide, ex ejus Supplem. p. 343. ad An. MCXCVI. recenſeo. "*Ditericus* Præſul (*ſcribit*) qui erat ad *Cœleſtinum* (*III.*) „Pontificem graviter accuſatus à ſuis Canonicis, etiam à „*Wurcinenſe* Prǽpoſito defertur, tanquam non juſtis ſuf-„fragiis dignitatem accepiſſet. Pontifex ad cauſam digno-„ſcendam conſtituens certos homines, eum propter in-„nocentiam abſolvit, & ejus adverſariis mandat, ut ſint „ſui Præſulis exemplo modeſtiores. „ An. MCXCVII. Idem *Theodericus* compoſitionem litis, quæ Monaſterio *Cellenſe*, limitum cauſa, cum Nuſſeniis dynaſtis fuerat, ſuis literis confirmavit. Datæ eæ leguntur in *Cella S. Mariæ*, III. Cal. Maji, anno Præſulatus ſui VI. extantque apud Mencken. T. II. p. 450.

*Theodericus Ep. accuſatus Romæ à malevolis, abſolvitur.*



Digitized by Google

*In Nomine Sancte Trinitatis, & Individue Unitatis. THEODORICVS DEI Gratia Miſnenſis Epiſcopus. Notum ſit omnibus tam præſentibus, quam futuris, quod multis jam retroactis diebus de terminis Eccleſiæ BEATE MARIE IN CELLA litigioſa contencione inter ipſos inibi DEO ſervientes & PETRVM DE NOSCIN, & fratrem ejus JOHANNEM decertatum eſt. Sed tandem aliquando nobis coram poſitis, & ad hoc ipſum accitis, cum nonnullis aliis tam liberis, quam miniſterialibus, poſt longas ſimultates ad reformandam pacem ſe partes utreque conſilio commiſere. Electis igitur quatuor hinc inde arbitris, quorum iſta ſunt nomina: in parte ſcilicet Eccleſiæ, REINHARDO DE REGENSBERG. BERNHARDO DE TREHECIN. HEINRICO DE SASSENBERG. HERMANNO DE GLVCH. in parte vero altera HEINRICO DE STRELE. RODVLFO DE MOCHOWE. BORIS DE ZBOR. JOHANNE DE BLOTIS, inſuper & aliis duobus ſequeſtribus ordinatis, HEINRICO Camerario Imperatoris, qui compoſitionis modum diſcernerent; Nos ſuper hoc Conſiliariorum treugis acceptis, quatinus ſecundum juſtitiam ſeu indulgentiam ſuper negotio ſibi delegato pro poſſe ſuo normam equitatis ſequerentur; in perſona noſtra ſub officii Sacramento confirmavimus, ut quicquid dictarent, hoc ipſum, his, ad quos cauſa ſpectabat, annuentibus, per nos ratum eſſe conſtaret. Igitur Conſilio dictante ad hoc usque perventum eſt, ut PETRVS DE NOSCIN, & frater ejus IOHANNES pro ſe filiisque ſuis, bonis Eccleſiæ, que hactenus impetierant, ultronei renunciarent, ita duntaxat, ut Abbas cum fratribus ſuis in parte campi cederet; PETRVS vero, & IOHANNIS in parte nemoris, & ſic lites dirimerent, & limites ſuos diſterminarent. Situs autem terminorum eſt, ubi BETSCOWA torrens verſus Orientem decurrit in MILDE fluvium, & ultra BETSCOWAM, quantum*

*Literæ Theodorici Ep. in cauſa litis inter Noſcinios, & Cœnobium Cellenſe compoſitæ.*



Digitized by Google

*ad uſus piſcine ſufficit, tendens ſupra, ubi jactus eſt cumulus juxta cujusdam fontis rivulum in BETSCOWAM labentis. Inde tendit à cumulo in cumulum usque in vallem SMOLIDOL, que Teutonice dicitur HARZDAL, per quam rivulus tenuis labitur usque in predictum MILDE fluvium. Verum ne quis in poſterum de ſopita controverſia redivivam litem ſuſcitet, adhibitis teſtibus ſubſcriptis cum appenſione noſtri ſigilli preſentem manuſcriptionem ſub anathemate roboramus. Hujus rei teſtes ſunt. REINHARDVS DE REGENSBERG. HEINRICVS DE STRELE, & filius ejus HEINRICVS. MATTHEVS DE MISNA. RODVLFVS DE MOCHOWE. HEINRICVS Camerarius Imperatoris. BERNHARDVS DE TREHECIN. BORIS DE ZBOR. HERMANNVS DE GLVCH. FRIDERICVS DE RITHMIZ. GVNZELINVS DE GREVZC. HEINRICVS DE SASSENBERCH. GERARDVS LEO DE GREVZC. OTTO DE KACIZ, & filius ejus SIGFRIDVS. FAMMO DE WALDESERE. RICOLFVS DE ALTENBVRG. ISENHARDVS DE DOBELIN. WALTERVS DE DOBELIN. ALBERTVS - - - Acta ſunt autem hæc in CELLA SANCTE MARIE. Anno ab incarnatione Domini MCLXXXXVII. Indictione XV. III. K. Maji. Anno præſulatus ſui VI. Regnante illuſtriſſimo Imperatore HEINRICO FRIDERICI Imperatoris filio. Amen.*

***Conſecratio Oratorii Vetero-Cellenſis.***

"Anno MCXCVIII. Ind. II. *(cœpta à Sept. menſe)* de„dicatum eſt hoc oratorium *(memorant monumenta Vete„ro-Cellenſia Col. 4. 53.)* in *Cella Sancte Marie* - Kalendas „Novembris in Dominica die. Dedicatum eſt autem à „tribus Epiſcopis, *Theodorico* Miſnenſe, *Everhardo* Merſ„burgenſe, *Bertholdo* Nuenbergenſe anno fundationis Cœ„nobii noſtri XXIII. - - In eisdem Kalendis Novembr.

„in

Digitized by Google

„in preſcripto die, à Venerabili *Theodorico*, Miſnenſis Ec-„cleſiæ Epiſcopo, dedicatum eſt principale Altare Oratorii noſtri. „ Anno demum MCC. Indict. III. VI. Kalend. Maji, cum in Placito, ſeu conventu provinciali in *Colmiz* celebrato literas dediſſet *Theodoricus*, Miſnenſis Marchio, quibus bona quædam Cœnobio *Vetero-Cellenſi* confirmat; *Theodoricus* iterum, *Miſnenſis* Epiſcopus, cum *Theodorico Wurzinenſi* Præpoſito, inter teſtes primo loco numerantur.

*Burggravius de Donyn jus Eccleſiæ Miſnenſis violat,*

Per idem tempus *Doninenſis* Burggravius, Henricus II. in jura *Miſnenſis* Eccleſiæ involavit, caſtrumque in ejus Eccleſiæ fundo extruere tentavit. Eo à conſilio cum absterreri non poſſet Burggravius, *Theodoricus* Ep. ad Rom. Pontificem, *Innocentium* III. recurrendum ſibi putavit. Pontifex literas continuo ad *Ludolfum*, *Magdeburgenſem*, & Præpoſitum *Seeburgenſem* cum mandatis dat, ut arbitrio ejus cauſæ ſuſcepto, ſententiam pronuntient; & ſi injuſte egiſſe Burggravium compererint, intentata anathematis pœna, ſine interpellatione incurrenda, ut Miſnenſis res Eccleſiæ in integrum reſtituat, Pontificio nomine compellant. Datæ ſunt eæ literæ, ut Codex noſter MS. fidem facit, IV. Non. Junii, Anno Pontificatus ſui IV. qui ab An. MCXCVIII. quo Febr. menſe Innocentius III. electus eſt Pontifex, An. MCCI. menſe Junio adhuc in curſu erat. Fabricius in Supplem. refert hanc cauſam ad *Innocentium* IV. Pont. Max. & annum MCCXLIX. Sed tum nec IV. Pontificatus ejus annus erat; nec *Theodoricus*, ſed *Conradus*, Miſnenſis Epiſcopus.

*cujus rei cauſa arbitri à Pontifice conſtituuntur.*

Neſcio, an, & quo loco reponendum ſit, quod MS. Codex noſter de *Theodorico* II. Miſnenſi Ep. memorat in

hunc

Digitized by Google

hunc modum: "*Albertus* Magdeb. Archiep. (*ſedit is ab* „*An. circa MCCIX. usque ad An. MCCXXXIII.*) fidelibus „ſuis in *Lauſiz*, (*al. LVSITZ*) mandavit, ut decimas, „quas *Conradus*, Marchio *Landsbergenſis* in terris ſuis ſibi „retinuit, & idcirco à *Theodorico II.* Miſnenſi Epiſcopo „excommunicatus eſt, eo quod ad jus *Miſnenſis* Eccle-„ſiæ, pertinerent, deinceps Miſnenſi Epiſcopo pendant, „& perſolvant.„ Neque enim inter *Landsbergenſes* Marchiones, quos Leuberus apud Mencken. T. III. Col. 1847. enumerat, Theodorici II. Ep. Miſn. tempore, *Conradus Marchio Landſpergenſis* ullus occurrit: niſi quis hoc nomine *Landſpergenſis* Marchio eo tempore præfectus fuiſſet, quo *Miſnia*, defuncto *Alberto* Marchione, à fidelibus Henrici VI. Imp. ut ſcribitur in Chronico Montis Sereni ad An. MCXCVI. pro Cæſare adminiſtrata eſt.

*Theodoricus Ep. Conradum Landsberg. excommunicat ob decimas retentas.*

An. deinde MCCVI. cum Cellenſis Monachus, ut refert MS. noſtrum, Libros *S. Auguſtini de civitate DEI*, à ſe deſcriptos *Miſnenſi* Eccleſiæ obtuliſſet, oràſſetque, ut Sancti ejus Doctoris natalis, feſta quotannis memoria ageretur, *Theodoricus* Ep. feſtam eam diem quotannis Miſnenſi Eccleſiæ eſſe juſſit. Actum Non. Decembr. Fabricius duo hoc anno commemorat. "*Ditericus* Præſul „(*ſcribit*) puerorum duodecim ludum inſtituit in Cœnobio „Afrano, qui ipſius eleemoſynis viverent, & in literis, & „muſicis erudirentur. Litem, quæ inter Præſulem, & „Burggravium Donenſem interceſſerat (*haud ſcio, an ab* „*An. MCCI. quo ſupra de ea mentionem fecimus, hucus-*„*que extractam*) Ditericus Marchio Miſnenſis eodem an-„no componit.„

*Idem feſtum S. Auguſtini quotannis celebrari jubet.*

*XII. pueros in Cœnobio Afrano educat.*

Anno

Anno demum MCCVII. mortem *Theodorici* Ep. conſignat Fabricius. "*Ditericus* Præſul *(inquit)* cum ſediſſet „annos ſeptendecim, III. Cal. Sept. obit, fautor modeſtiæ, „& ſtudiorum. - - Hoc anno de cœlo tacta Baſilica *Miſ-* „*nenſis*: ſed Magdeburgiâ divi Mauricii tacta eſt, & crema- „ta.„ Quæ de annis ſeptendecim hic ſcribit Fabricius, recte conveniunt, ſi An. MCXCI. poſt III. Cal. Maji, ut ſupra obſervavimus, creatus eſt Epiſcopus: diem mortis ita ſignat Necrologium Kemnizenſe: IIII. KL. Sept. † *Theodericus* Eps. Miſn. *Obit.*

## XXI. Bruno II.

Fabricio ſi credimus, Miſnenſes Canonici à morte *Theoderici*, in novi Præſulis electione usque adeo diſſidebant, ut ſchiſma ſupra anni ſpacium duraret, antequam alius eligeretur. Unde demum An. primum MCCIX, ut ait Fabricius, "tribus competitoribus remotis, *Bruno II.* „antea Præpoſitus Miſnenſis, pronunciatur Præſul.„ Et certe ad annum MCCIX. jam refert MS. Codex noſter *Innocentii III.* Rom. Pontificis mandatum ad Abbatem Priorem, & Cantorem Cellenſem in cauſa decimarum, quas nobiles quidam, & inter hos nominatim P. de *Nozon* eques, & Z. ejus frater, *Magnus* item, & ejus fratres de *Zobor*, H. de *Kribitz*, & P. de *Cimsbach* Canonicis Miſnenſibus pendere cunctarentur, ut jura utriusque partis cognoſcerent, ac ſententiam ex æquo bonoque pronunciarent. Dat. Prid. Non. Junii, Pontificatus ſui anno XI. Nec dubium relinquit de anno ſuſcepti Epiſcopatus Donatio Brunonis II. An. MCCXXVIII. facta Dobirlucenſi Cœnobio, quem viceſimum Epiſcopatus ſui ipſe numerat.

*Bruno II. Ep.*

*Lis Collegii Canon. Miſn. cum nobilibus in cauſa decimarum.*

An. MCCX. Indict. XIV. IV. Januarii *Bruno* Miſnenſis Epiſcopus, ut habent monumenta Vetero-Cellenſia apud Mencken. T. II. Col. 456. dedicavit ibidem Capellam SS. Catharinæ, Urſulæ, & ſociarum. An. MCCXI. narrat Fabricius de *Adela*, *Ottonis* Miſnenſis Marchionis filia, à *Primislao* Bohemo repudiata: cujus cauſa à Pontifice *Innocentio III.* demandata eſt arbitris *Alberto* Magdeburgenſi Antiſtiti, & Præpoſito *Seburgenſi*, nunquam tamen tranſacta, ſic ut *Adela*, ad mortem usque ſejuncta à marito manſerit. Addit deinde: "Frater *(Adelæ)* Marchio, de ejus ſententia, „ex ipſius dote cœnobium condidit in *Waſſerburgio*, quod „poſt paucos annos ex urbe tranſlatum ad ripam *Albis* eſt, „in qua vitam tranſegit vidua.„ Ad An. MCCXIII. Fabricius ſcribit: "*Bruno II.* Præſul templum divæ Mariæ in „oppido Monachis Afranis regendum tradit. Idem templum *Budiſſinenſe* ad *Suevum* fluvium fundavit, & cum „*Premislao* Rege Boemiæ negotium de finibus inter *Budiſſinam*, & *Zagoſtam* tranſigit.„ Eadem de *Budiſſenenſi* Eccleſia narrat Manlius lib. III. cap. 38. de rebus Luſatiæ apud Hofman. T. I. p. 225. & utroque antiquior Monachus Pirnenſis in Excerpt. Saxon. apud Menken. T. II. Col. 1583. & Col. 1583. *Budiſſinenſi* Eccleſiæ ſubinde Præpoſitus datus eſt, cujus jurisdictio, ut ſuo loco dicetur, latiſſime patebat.

*Cœnobium in Waſſerburg ab Adela Otton. Marcb. Miſn. filia conditum.*

*Bruno II. templum Budiſſin. condit in Luſat.*

Anno MCCXIV. ortam *Arnoldi* de *Miltenſtein* cum Miſnenſi Eccleſia litem enarrat MS. Codex noſter, quæ poſtea magnas turbas dedit. "Poſtquam inter Eccleſiam „Miſnenſem, & *Arnoldum* de *Miltenſtein*, ratione decimarum ex fundis Eccleſiæ in *Hirsfeld* in Burgvvardo *Gözne*, „orta lis eſt, ejus cognitio, mandato Pontificis, ad Epi„ſcopum, Decanum, & Archidiaconum Merſeburgenſem „de-

*Lis Eccleſiæ Miſn. cum Miltenſteiniis.*

Digitized by Google

„delata eſt. Aliud tamen expedire viſum: & pars utraque „litigantium in Epiſcopum Mersburgenſem *(Theodericum)* „*Theodericum* item Miſniæ Marchionem, & *Albertum* de „*Dreyzen*, cauſæ arbitros, compromiſit. Cumque varia „ea in re tentata eſſent, *Arnoldus* tandem *de Miltenſtein* „tres articulos propoſuit, inter quos unus erat: quod ſi „*Theodericus* Præpoſitus Miſnenſis, qui cognatus ipſius „erat, jurejurando teſtaretur, decimas has omnes, de qui-„bus erat quæſtio, ad jus Miſnenſis Eccleſiæ pertinere, „ceſſurus lite eſſet. In hanc conditionem cum omnes de-„ſcenderent, & Præpoſitus ſacramentum dixiſſet, quod „decimæ omnes *Hirsfeldenſis* Eccleſiæ, quæ in Burgvvardo „*Gözne*, & *Franckenberg* eſſent, ad Altare B. Pauli, & ad „præbendas Canonicorum pertinerent; delecti cauſæ arbi-„tri *Arnoldo de Miltenſtein* ſilentium deinceps indixerunt, „& decimas Miſnenſi Canonicorum collegio perſolvi juſſe-„runt. Actum IX. Cal. Maji. An. MCCXIV.„ *utcumque compoſita.*

Fervebat fortaſſe adhuc ea controverſia, cum Miſnenſes Canonici apud Innocentium III. Pontificem Max. inſtitére, ut decimas, quas Epiſcopus loci in beneficium aliis conceſſerat, redimere liceret. Id impetratum facile ab Innocentio, qui ea de re privilegium iis IV. Non. Aprilis An. MCCXV. contulit, cujus ſumma in MS. Codice noſtro continetur. *Bruno* vero, Miſnenſis Epiſcopus, cum pridie Cal. Junii, ut habent Miſnenſium literarum Breviaria, ante habuiſſet ea, quæ *Gunzelinus* Decanus, & *Petrus* Canonicus Miſnenſis ex collatis Eccleſiæ ſuæ prædiis in pago *Lubecziz*, ad agendam annuam ſui, ſuorumque memoriam ſibi reſervarent; *Eckardum* Merſeburgenſem Epiſcopum, cum *Balderamo* Brandenburgenſi, & *Alberto* ipſo, Magdeburgenſi Archiepiſcopo, paucis poſt diebus in octava Pen-



Digitized by Google

tecoſtes conſecravit: ut ea de re fidem facit Chronicon Sereni Montis ad An. MCCXVI.

Sunt, qui *Theodericum* Miſnenſem Marchionem ſub An. MCCXVI. mortuum eſſe velint, ut Chronicon quoddam Cellenſe, relatum à Menckenio in Notis ad Chronicon Montis Sereni T. II. Col. 213. ſed ii manifeſto revincuntur ex Privilegio Eccleſiæ *Dobirlucenſi* in Luſatia, à *Theodorico* Miſnenſi Marchione in villa *Bichin* An. MCCXVII. dato, in quo *Bruno* quoque Miſnenſis Epiſcopus, cum *Ulrico* Wurczinenſi Præpoſito inter teſtes leguntur. Ad An. MCCXVIII. Fabricius ſcribit, *Stolpenenſem* præfecturam per *Brunonem* Epiſcopum Miſnenſem eſſe emptam. „Erat *Mocco* quidam (*ſcribit ille*) primæ inter Vandalos „(*Slavos dicere volebat*) nobilitatis, à quo oppidum *Jocherinum*, & arx *Stolpena* poſſidebantur: qui cum ſuorum „animos injuriis alienaſſet, inclinare ad Præſulem Miſnen-„ſem cœperunt, qui primum præfecturam *Stolpenenſem* à „*Moccone* redemit, poſtea totam ejus ditionem compara-„vit.„ Sed de hoc infra ad An. MCCXXII. rurſus agetur. Pirnenſis Monachus annum non exprimit, à *Brunone* tamen Epiſcopo emptum eſſe caſtrum *Stolpen*, & quæ eo pertinent, atque Epiſcopatui conjunctum confirmat Col. 1457.

*Bruno II. Ep. Stolpenam arcem comparat.*

An. MCCXX. quo teſtimonio Chronici Montis Sereni, & Annalium Vetero-Cellenſium, *Theodericus*, Marchio Miſnenſis & Orientalis XIII. Cal. Martii obiit, vel ſequente contigere ea, quæ Fabricius jam An. MCCIX. annotavit: Codex noſter MS. hic refert: "Poſt obitum *Theoderici*, „Marchionis Miſnenſis, quo tempore *Ludovicus*, Land-„gravius Thuringiæ, tutor filii ſororis ſuæ, & admini-

*Theoderici March. Miſn. obitus.*

„ſtra-

Digitized by Google

„ſtrator erat in *Miſnia*, cum inter Canonicos Miſnenſes, & „fratres de *Mildenſtein* gravis orta eſt contentio de decimis „in præfectura *Franckenberg*, & in Burgvvardo *Göze*, & „locis finitimis, quas *Mildenſteinii* occuparant, & *Bruno-* „*nem*, Miſnenſem Epiſcopum ceperant, uno ex ejus Ca- „pellanis graviter ſauciato, bonisque Eccleſiæ Miſnenſis ra- „pina, ac incendiis non leviter vexatis. Quare agente „*Ludovico*, Landgravio Thuringiæ, & *Meinhardo*, Miſnen- „ſi Burggravio, aliisque, cauſa ita transacta eſt, ut *Arnol-* „*dus*, *Heinricus*, & *Reinhardus*, *Mildenſteinii* fratres, omni „ſe jure in controverſas decimas abdicare, in pœnam & „ſatisfactionem detento nuper violenter Epiſcopo præſtan- „dam, ex bonis ſuis, ſeu hæreditariis, ſeu feudalibus, X. „quotannis marcas ærario Epiſcopi ſolvere; & bona ſua, im- „petrata ad hoc Imperii facultate, tanquam feuda à Miſnenſi „Epiſcopo recognoſcere juberentur. Aliam in foro ſacro „adjunctam eſſe pœnam memorat quidem Codex noſter, „nominatim tamen non exprimit: non dubitem, quin il- „lam, quam Fabricius ad An. MCCIX. ad hunc modum „refert: Fratres *Mildenſteinii*, *Arnoldus*, *Heinricus*, *Ri-* „*chardus*, à quibus (*BRVNO Ep. Miſn.*) decimas exigebat, „in Diœceſi *Francobergia Tſcopam* fluvium, ditionem Præ- „ſulis ferro, & igne violant, & tempore, locoque capta- „to, Præſulem capiunt, & comitem ejus ſacerdotem mu- „tilant. Quod factum, cum inſtigante *Honorio* Ponti- „fice (*is non ante XVIII. diem Julii An. MCCXVI. Pe-* „*tri Cathedram conſcendit*) animo iniquiſſimo ferret *Ludo-* „*vvicus* Turingiæ Landgravius, *Heinrici*, Marchionis Miſ- „nenſis, ſororis ſuæ filii, tutor; nobiles cogit, ut Præſu- „ſulem incolumem dimittant, eumque ſibi, quaſi ſacro „parricidio commiſſo, reconcilient. Illi ad ſatisfactionem „compulſi, primum cenſura Eccleſiaſtica, ut univerſi cum

*Mildenſteinii turbas renovant.*

*Epiſcopum Miſn. capiunt:*

*ad ſatisfact. condemnantur.*

*pœnisque Eccleſiaſticis plectuntur.*

„triginta aliis nobilibus, habitu ſupplicantium, faſcesque „virgarum manibus omnes tenentes, à Præſule Merſeburgio veniam delicti in publico conventu peterent: *Arnoldus* deinde, qui ſacerdotem vulneraverat, cum aliis quinquaginta nobilibus templum Miſnenſe ſupplex, ac ſordidatus, nudis pedibus intraret, & ſe Præſulis judicio ſubmitteret. Placata ſacerdotum ira, juſſi ſunt à Tutore „Principe decimas dare Præſuli de ſuis bonis omnibus, & „tria pondo argenti annue numerare: tum ſolum patrium „vertere ad biennium. Terrore adverſariis tanto exemplo „incuſſo, adminiſtrationem *(Epiſcopatus)* minime turbulentam in poſterum habuit.„ Ita ille. In Codice noſtro ea reorum pœna ſtatuta, ac literis conſignata XII. Cal. Febr. (Anni, ut ego reor, MCCXXI.) promulgata vero V. Cal. Febr. in campo pagi *Heidenſis* ſcribitur, in præſentia Merſeburgenſis Epiſcopi, & aliquot nobilium.

Ad An. MCCXXII. "Capitulum, ſeu collegium Canonicorum Miſnenſium *(ut rurſum Codex noſter)* à *Mozkone* de *Stolpe*, præfecturam in pagis *Coboliz*, *Dobranovviz*, & *Chanovviz*, in territorio *Budiſſinenſi* ſitis XXVII. „marcarum pretio emit: quam *Bruno II.* Ep. eidem collegio una cum jure ſervitiorum contulit. Actum V. Cal. „Martii.„ Hæc qualiscunque acceſſio magnis hoc anno damnis corrupta eſt: " Civitas *(enim) Miſna (ut narrat* „*Chronicon Montis Sereni)* incendio deleta eſt in vigilia B. „Bartholomæi.„ Anno vero ſequenti, Honorius III. Pontifex Max. Hoſpitali Miſnenſi omnia ſua bona confirmavit, ſuamque in protectionem ſuſcepit XIV. Cal. April. ut habetur in MS. Codice noſtro.

*Miſna urbs incendio depaſta.*

Ad An. MCCXXIV. refert MS. Codex noſter controverſiam, quæ *Cellenſi* cœnobio cum *Miſnenſi* Canonicorum

rum

Digitized by Google

rum collegio fuit. Ea ſic habuit: poſtquam lis, quæ collegium cum cœnobio commiſerat, per certos à Rom. Pontifice deſignatos cauſæ arbitros ita transacta eſſet, ut Miſnenſe capitulum omni prætenſione ad decimas *Vliz*, & *Chotenevviz*, *Uſtravv*, & *Begervviz*, omni item prætenſo in ſaltum, & id genus alia jure ſe abdicaſſet; Cœnobium Cellenſe ad compenſationem damni, & dedecoris ex amiſſis decimis, duos & dimidium manſum *(Huf)* in pago *Domizlavviz* dedit, & ſuper XV. marcarum annuos reditus opportuno in loco, Miſnenſi Capitulo aſſignaturum ſe promiſit; interea, dum id fieret, tantundem ex ærario proprio Kal. Sept. daturum ſe recepit. Cum autem cunctarentur *Cellenſes* in aſſignatione fundi, unde annui hi fructus peterentur, & Miſnenſes Canonici querimoniam renovarent; Abbas & Conventus Cellenſis *Engelhardo* Naumburgenſi, *Brunoni* Miſnenſi, & *Conrado* Hildesheimenſi Epiſcopis, nec non *Ludovico* Landgravio, & Burggravio Miſnenſi fidem dederunt, intra anni unius ſpatium fundum ſe certum aſſignaturos, unde promiſſa ſumma quotannis penderetur. Ita contentio tandem conquievit.

*Lis Canonic. Miſn. cum Monaſterio Cellenſi compoſita.*

Piget afferre, quæ Pirnenſis Monachus in Excerpt. Saxon. Col. 1452. in An. MCCXXV. conjicit: " Albertus *(ſcribit)* Magdeburgenſis Archiep. *Theodericum* Marchionem Miſnenſem, & Comitem in *Weiſſenfels* cenſura Eccleſiaſtica dignum pronunciavit ob violata Miſnenſis, & Merſeburgenſis Eccleſiæ jura." Atqui *Theodericus* Marchio Miſnenſis An. MCCXXV. nullus erat: is enim, ut ſupra oſtenſum, & Eccleſiaſticis ſemper amicus erat, & An. MCCXX. jam defunctus: *Heinricus* filius, & in Marchionatu ſucceſſor, puer erat, & ſub tutela religioſiſſimi *Ludovici* Thuringiæ Landgravii conſtitutus: ut adeo nec res, nec tempus narrationi conſentiat.

Cer-

Digitized by Google

*Lis alia cum Nobili ſuſcepta.*

Certius illud, quod Codex noſter iterum affert an An. MCCXXVII. „*Matthæus de Chanevviz*, eques, à colle-„legio Miſnenſium Canonicorum graviter diſſidebat, cum-„que jus ſibi in duo prædia, & molendinum in *Chanevviz* „pertinacius arrogaret, anathematis vinculo obſtrictus eſt. „Eo tamen abſolvi à *Brunone* Epiſcopo promeruit, cum ſe „eidem humiliter ſubjiceret, & jure perperam prætenſo ſe „abdicaret. Actum *Biſchoffsvverthæ* VII. Cal. April. An. „MCCXXVII. „

*Luzevviz, & Repeniz Capitulo Miſnenſ. tranſcribuntur.*

" Eodem anno *(pergit Codex noſter)* cum *Bruno II.* „Miſn. Ep. à Capitulo Miſnenſi ad emendum caſtrum *Stol-„pen (non additur, quo anno)* argenti marcas CLXVIII. acce-„piſſet; pagum *Luzevviz* in territorio *Niſen*, & pagum „*Repeniz*, ſitum ad arcem *Scharffenberg*, cum omni jure, „uſuque juris, eidem Capitulo in perpetuum tradidit, ad-„jecta hac una conditione, ut pro talento uno, quod ei-„dem in dictis pagis ſuperadditum, annuam ſuæ mortis „memoriam deinceps peragant. Actum XV. Cal. No-„vembr. „

Sub Anni MCCXXVIII. primordium *Bruno* Miſnenſis in Luſatia egit. " Paulo ante id tempus *(de anno enim non „liquet ex MS. Cod. noſtro) Primislaus* Ottocarus ejus no-„minis I. Rex Bohemiæ Brunoni II. Miſn. Ep. reſtituit bo-„na quædam, videlicet *Goldbach*, *Juckersdorff*, *Geiſſel-„brechtsdorff*, & alia, quæ *Henricus Godobe*, Vaſallus Re-„gius ab Eccleſia Miſnenſi in feudum accepit: Conceſſit „præterea, ut Epiſcopo Miſnenſi decimæ ex navalibus in „provincia *Budiſſinenſi*; imo etiam ex melle Regio, quem-„admodum deceſſores ejus habuerunt, penderentur. Hoc „vero anno, cum *Primislaus Ottocarus*, ejusque filius

*Primislaus R. Bohem. in Eccleſiam Miſnenſ. beneficus.*

*Wen-*

Digitized by Google

„*Wenceslaus*, Bohemiæ Reges, in recognitione limitum „in provincia *Budiſſinenſi* inter Regnum Bohemiæ, & Epi„ſcopatum Miſniæ controverſorum, provincialium quo„rumdam inſtinctu, novas difficultates moviſſent; *Sifri„dus*, Moguntinus Archiep. apud eosdem Reges precibus „obtinuit, non modo, ut deſignati limites rati haberen„tur; ſed ut vades etiam, quos pro CC. marcis *Bruno II.* „Ep. dedit, liberi abire permitterentur. Qua de re *Sifri„dus* Archiep. Moguntinus teſtimonium ſcriptum reliquit „III. Id. Febr. An. MCCXXVIII.„ Confectis his rebus *Bruno II.* Miſnenſis Ep. *Dobirlucenſi* Luſatiæ Cœnobio amplam donationem ex decimis in villis *Keminitz*, *Windiſchmarke*, *Valckenberg*, & novalibus à *Theoderico*, Marchione Luſatiæ, *Dobirlucenſis* Cœnobii fundatore collatis, fecit *Dobirluci* V. Non. Maji. An. MCCXXVIII. Literarum ea de re exemplum ex Ludevvig. MS. Reliqu. T. I. p. 42. hoc eſt.

*Bruno II. amplam donat. facit Monaſterio Dobirlucenſi.*

*In nomine Sancte, & individue Trinitatis. BRVNO II. DEI gratia Miſnenſis Epiſcopus. Cum inter cetera virtutum opera elemoſina ſic premineat, ut in ſinu pauperis abſcondita, pro erogatore ſuo ad Dominum cœli oret, & ad ſuſtentationem eorum, qui ut Chriſti diſcipuli eſſe poſſint, propria relinquentes in monaſteriis Domini ſe mancipant ſervituti, liberaliter erogata orationum pariter, & laborum conſortia mereatur: noverint univerſi tam noſtri temporis, quam futuri cultores nominis Chriſtiani, quod nos ad preces honorabilis viri Domini ALBERTI de DOBIRLVG Abbatis de conſilio, & conſenſu fratrum noſtrorum Miſnenſium, PETRI Decani CONRADI, Wurcinenſis Præpoſiti, EVERHARDI Archidiaconi Luſicenſis, LAMBERTI Miſnenſis & Budiſſinenſis Canonici ob anime noſtre remedium & ſalutem, & noſtri ad Deum memoriam jugiter in DOBIRLVG obtinendam, decimas*

*Litera Brunon. II. ea ſuper re.*

*cimas omnes de villis KEMENITZ, WINDISCHEMARCKE, VALKENBERG, cum fructibus & utilitatibus univerſis fratribus, & conventui eiusdem cœnobii dedimus in perpetuum poſſidendas. De novalibus etiam, que per Illuſtrem Principem THEOD. Orientalem Marchionem, proprium fundatorem, locus idem noſcitur aſſecutus, que vel fratres, vel coloni eorundem ſuis expenſis hactenus coluerunt, aut excolent in futurum, damus, & dedimus decimas provenientes, aut in antea proventuras cum integritate, & plenitudine juris omnis. Unde nequis noſtrorum impoſterum ſucceſſorum eandem noſtram donationem tam piam poſt tempora mutet aliquatenus, aut infirmet, authoritate DEI omnipotentis, & noſtra pacem firmamus in eisdem decimis Eccleſie ſupradicte, preſentis eam ſcripti, & ſigilli noſtri teſtimonio munientes. Actum DOBIRLUG V. Non. Maji. An. Domini MCCXXVIII. Pontificatus noſtri XX. Teſtes hujus rei ſunt, JOHANNES Scholaſticus Budiſſinus, ULRICUS plebanus de CHISTELITZ, WALTFOGIL de SLIWNE, WALTERUS de LUGE, ARNOLDUS de LYNDENOWE, WASMUDUS de ORAWELITZ Sacerdotes, VOLCMARUS Camerarius, LAMBERTUS frater ejus, LUTEGERUS CHRISTIANUS de GUMPITZ, & frater ejus PEREGRINUS, ARNOLDUS de ZUKERADE, Laici, & alii quam plures. In Sigillo porro ceræ viridis legitur: Bruno II. DEI gratia Miſnenſis Eccleſie Epiſcopus.*

*Bruno II. tanquam ætate jam inhabilis defertur ad Rom. Pontificem.*

Sed enim cum Eccleſiæ ſuæ utilitates tam naviter curaret, inventi ſunt, quod mirere, ex ſuis aliqui, qui decrepitæ ætatis obtentu, jam ad obeundas Epiſcopi partes inhabilem dicerent, novique electionem Antiſtitis à Gregorio IX. Pontifice Max. flagitarent. Pontifex ut Eccleſiæ Miſnenſis commodo proſpiceret, literas continuo prid. Cal. Julii,

Julii, Anno MCCXXVIII. ad *Albertum* Magdeburgenſem Archiep. & Brandenburgenſem Antiſtitem dedit, mandavitque, "ut *Brunoni* Miſnenſi Epiſcopo, quem per ætatem „jam ad munus ſuum inhabilem inaudiiſſet, reſignationem „perſuaderent, vel ſi id non poſſent, coadjutorem illi ad- „derent. Quod ſi vero paſtorale onus *Bruno* deponeret, „temporis certos limites, quos inter electio novi Præſulis fieret, Miſnenſi Canonicorum Collegio definirent. „ ut refert MS. Codex noſter. Qua occaſione credibile eſt, factum, ut, quod Fabricius in Supplem. ad An. MCCXXIX. narrat, arbitri ipſi Antiſtites pro *Brunone* niterentur. Ceterum quod ab his impetrari non poterat, mors *Brunonis* non multo poſt conſecuta præſtitit, ut ad novi electionem Epiſcopi procederetur: *Bruno* enim, ut refert Fabricius ad An. MCCXXIX. " Auctis Eccleſiæ bonis, & di- „tione propagata, prid. Non. Decembr. obiit„ anno ab Epiſcopatûs aditu non vigeſimo, ut vult Fabricius, ſed ut ex *Brunonis* Privilegio *Dobirlucenſi* Cœnobio dato, paulo ante vidimus, vigeſimo primo. *Sed à conſtitutis ea in re quæſtoribus defenditur.*

## XXII. Henricus.

*Henricum Brunoni* An. MCCXXX. ſucceſſorem datum, & è publicis literis conſtat, & Fabricius affirmat ad hunc annum: " *Henricus (inquit)* declaratur Præſul. „ Anno ſequenti *Dobirlucenſi* Cœnobio, quas nuper donaverat *Bruno*, decimas confirmavit: extantque adhuc ejus literæ, quas recenſet Ludevvig, Reliq. MS. T. I. p. 44. hoc initio fineque: " Elemoſina viri quaſi ſacculus eſt cum „eo &c. Actum *Dobirlug* anno gratie MCCXXXII. Idus „Novembris, Pontificatus noſtri anno ſecundo. *Henricus Ep.*

Eximium plane privilegium eſt, quod An. MCCXXXII. à *Friderico II.* Imp. impetravit Miſnenſi Eccleſiæ ſuæ, ut quidquid auri, argenti, vel cujuslibet metalli, aut è fodinis, in ejus Eccleſiæ fundis, erueretur, aut in aquarum decurſibus, intra ejus fines, reperiretur, inter fructus ac proventus Miſnenſis Eccleſiæ numeraretur. Cæſarei Privilegii, Caroli IV. Imp. literis inſertum, exemplum hoc eſt, quod Lunigius Spicileg. P. II. in Append. p. 98. exhibet.

*Ampliſſimo Privilegio à Frid. II. Imp. donatur auri, argentique fodinas habendi, & ex utroque monetam cudendi.*

*Fridericus, DEI gratia Romrnorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hieruſalem, & Siciliæ Rex per præſens ſcriptum notum facimus univerſis Imperii Fidelibus tam præſentibus quam futuris, quod nos attendentes grata, & accepta ſervitia venerabilis HENRICI, Miſnenſis Epiſcopi dilecti Principis noſtri, quæ nobis, & Imperio dudum fideliter ipſe exhibuit, & quæ in antea melius poterit exhibere, de ſpeciali gratia noſtra concedimus, & donamus ei, & Eccleſiæ ſuæ, quidquid auro vel argento, ſive cujuslibet metalli genere in fundo proprietatis Eccleſiæ ſuæ ab hac die in antea de novo contigerit reperiri, ſive ſint aurifodinæ, ſive argentifodinæ, ſeu metalli cujuslibet ſpeciei, aquarum etiam decurſus, in quibus aurum repertum fuerit, eodem jure, & eadem ſpeciali gratia ſuis proventibus indulgemus, ſtatuentes pariter, & mandantes, quatenus nulla omnino perſona, alta vel humilis, Eccleſiaſtica, vel ſæcularis, eundem venerabilem Epiſcopum, Eccleſiam ſuam, & ſucceſſores ſuos circa hanc conceſſionem, & donationem noſtram ſuper prædictis impedire, ſeu moleſtare præſumat, quod, qui præſumpſerit, indignationem noſtram ſe noverit incurſurum: Adjicientes de Majeſtate noſtra Cæſarea, quod, ſi fortuna ſibi, Eccleſiæ, & ſucceſſoribus ſuis arridente, montana auri, & argenti, vel cujuslibet alterius metalli contigerit ſuſcitari, monetam auri, vel argenti ipſe,*

*ſui-*

Digitized by Google

*ſuique ſucceſſores cudi facere valeant, & fabricari. Ad hujus itaque conceſſionis memoriam, & ſtabilem firmitatem præſens ſcriptum fieri juſſimus Majeſtatis noſtræ Sigillo munitum. Hujus rei teſtes ſunt B. Patriarcha AQILEGIENS. (E.) SALZBURGENS. Epiſcopus B. BAMBERGENSIS, S. RATISBONENSIS Imperialis Aulæ Cancellarius, HERBIPOLENSIS, & S. WORMACIENSIS Ep. B. DUX CARINTHIÆ (F.) DUX AUSTRIÆ, & STYRIÆ, GEBEHARDUS de HARNENSTEIN, Sacri Imperii in Italia Legatus, RICHARDUS, Camerarius, & alii complures. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXII. Menſe Majo, quintæ indictionis, Imperante Domino noſtro FRIDERICO II. invictiſſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Jeruſalem, & Siciliæ Rege, An. Rom. Imp. ejus XII. Regni Jeruſalem VII. & Regni Siciliæ XXXIIII. feliciter Amen. Datum apud PORTUM NAONIS, Anno, Menſe, Indictione præſcriptis.*

Obſervatu dignum inprimis his in literis eſt: quod *Fridericus II.* Imp. *Henricum* Miſnenſem Epiſcopum, *Dilectum Principem* appellet: eique, ac ſucceſſoribus, poteſtatem faciat, monetam tam auro, quam argento, ſi fodinæ id largiantur, cudendi. Magnum beneficio huic cumulum adjecit *Wenceslaus* Rex Bohemiæ, qui donationem pagi *Wolframsdorff*, quam *Otto* Burggravius de *Donin* cum omnibus juribus, ædificiis, agris, pratis, & judiciis, quemadmodum in feudum à Rege habuit, Epiſcopo, & Eccleſiæ *Miſnenſi* fecit, ratam habuit, & confirmavit; XXX. etiam marcarum auri indicta mulcta, ſiquis ea in re contravenire temerarius auderet. "Actum, ſignatumque „à Rege *Pragæ* Cal. Aug. An. MCCXXXII. „

*Princeps in his literis appellatur.*

*Wolframſdorff Miſn. Eccleſiæ donatur ab Ottone de Donin.*



Digitized by Google

Henricus Ep. Coſſebud. pagum emit.

An. MCCXXXIII. referente MS. Codice noſtro, „*Henricus* Ep. pagum *Coſſebude*, quem *Heidenricus* Præpo-„ſitus Miſnenſis CCXCV. marcis à *Bertholdo de Schönau (qui „illum à Comite LUZNICK; hic autem ab Epiſcopo Miſnenſi „in feudum habuit)* additis XXX. marcis emit, eidem Præ-„poſito ad dies vitæ conceſſit, cum onere tamen, ut VIII. „marcas Capitulo; XLVIII. denarios ſucceſſori inde ſol-„veret in compenſationem eorum, quæ *Heidenricus* de „Præpoſitura *Ottoni de Ilburg* vendidit. Actum XI. Cal. „April. Eodem anno Epiſcopus *Henricus* molendinum „Hoſpitali Miſnenſi *(cui eodem anno THIMO de REDE-„BURG prædium GRöBERN donavit)* XL. marcis vendidit. „XIII. Kal. Julii An. MCCXXXIII. „ Hæc ibi.

An. MCCXXXIIII. in Luſatia ſuperiore, inter *Gorlicium*, & *Zittaviam*, ad *Niſſam* fluvium, fundatum eſt Cœnobium pro Virginibus Ciſtercienſis inſtituti à *Kunigunga* Bohemiæ Regina, cui nomen *Vallis S. Mariæ*. Fundationis hujus literas Pragæ, pridie Id. Octobr. Anno MCCXXXIV. datas recitat Carpzovius in Luſat. Sup. P. I. Cap. XX. p. 342. quibus & *Wacislai (ſive WENCESLAI)* Regis, ac conjugis confirmationem, VIII. Cal. Martii An. MCCXXXVIII. factam ſubjungit ex Sartorii Ciſtertio Tit. XXVIII. Quod quia intra fines *Miſnenſis* Diœceſis eſt ad pagum *Seiffersdorff*, præterire non debui.

Quid cauſæ fuerit, cur An. MCCXXXVII. quo *Fridericus II.* Imp. *Brixiam* obſedit, *Henricus*, Miſnenſis etiam Epiſcopus, eò profectus ſit, me latet: niſi forte ad ferendum auxilium, aut pacem inter partes ſanciendam, cum Epiſcopis ceteris, ac Germaniæ Principibus iter illud ſuſceperit. In literis certe, quas ſub ipſa obſidione *Brixiæ*,

*xiæ*,

Digitized by Google

*xiæ*, menſe Auguſto, Fridericus II. Imp. pro *Godefrido de Hohenlohe* dedit, inter teſtes *Henricus*, Miſnenſis Epiſcopus, ſubſcriptus legitur: ut videre eſt apud Ludevvigium Reliqu. MS. T. II. p. 220. ubi tamen pro An. 1237. An. 1238. reponendus videtur, quod teſte Monacho Paduano in Chron. Lib. I. "Eodem anno *(MCCXXXVIII.)* Imperator „obſedit *Brixiam*, à medio Julio usque ad Feſtum S. Michaëlis.„ *Brixiam ad Frideric. II. Imp. proficiſcitur.*

Sub id tempus *Freybergæ* (quæ urbs eſt *Miſniæ* non procul *Mulda* fluvio, medio fere inter *Dresdam*, & *Chemnicium* itinere) prope arcem ſurrexit Cœnobium Ordinis Prædicatorum, An. MCCXXXVI. cœptum. Prior loco datus *Henricus* claræ ſanctimonia fama nobilis, cujus imperio aves etiam, feræque obſecundaſſe feruntur, ut author eſt Monachus Pirnenſis ad hunc An. MCCXXXVIII. idem, ut videtur, inſtitutum poſtea profeſſus; apud Mencken. T. II. Col. 1480, & Col. 1558. *Cœnobium Ord. Præd. Freybergæ captum.*

Haud ſcio, quem ad annum referenda ſit donatio decimarum ex novalibus ad *Elſtram* nigrum fluvium, *Sereni Montis* Cœnobio ab *Henrico* Miſnenſi Ep. facta, cujus meminit *Conradus*, ejus ſucceſſor, ut infra dicetur Anno MCCXXXIX. Codex noſter MS. notat: "IV. manſos in „pago *Piſcopiz*, quos *Henricus Nozzin*, eques in beneficium prius habuerat, emptos ab *Eberhardo* Miſnenſi Canonico XL. marcis, eosque ab *Henrico* Ep. eidem tranſcriptos: Sed *Eberhardus* IV. inde talenta *(floreni fere „apud nos hoc nomine intelliguntur)* annui fructus pro vicaria S. Nicolai *(ſic beneficia ſimplicia ſacerdotum ad rem Divinam certis in aris faciendam deſignatorum appellabantur)* „dedit. Literæ ea de re confectæ ſunt V. Cal. Octobris

An.

„An. MCCXXXIX. „ Ex quo jam certum ſit, *Henricum* Miſnenſem Epiſcopum ante An. MCCXL. non eſſe defunctum. Fallitur proinde Fabricius, qui ad An. MCCXXXIX. ſcribit. " Obit *Henricus* Præſul V. Cal. Junii „ Cum igitur V. Cal. Octobr. anni hujus literas has, de quibus modo, expedierit, neceſſe eſt, obitum ejus in An. MCCXL. differamus. Obiit autem (ut Necrologium Kemnizenſe diem ſignat) " VIII. Cal. Junii *Hynricus* Eps. Miſn. „

*Henrici Ep. obitus.*

# XXIII. CONRADUS I.

*Conradus Ep.*

*Conradum* anno non niſi MCCXL. Miſnenſem Cathedram conſcendiſſe ex iis, quæ modo diſputavimus, certum videri poteſt: unde merito dubites, an in tanta factionum dimicatione, ut vult Fabricius, Præſul proclamatus ſit, qui deceſſori *Henrico* tam cito ſuffectus eſt. Ceterum ejus Epiſcopatûs initia, dedicato *Lipſiæ* S. Pauli Cœnobio, quod teſte Pirnenſi Monacho Col. 1574. An. MCCXXIX. à Religioſiſſimo Prædicatorum Ordine inchoatum, Viris exinde doctiſſimis (quorum plures ibi enumerat) & religioſiſſimis abundavit, auſpicata fuêre, quibus ſolenniis cum *Wilibrando* Magdeburgenſi Archiep. *Rudolpho* Merſeburgico, & *Engelhardo* Naumburgenſi, *Conradus* quoque *Miſnenſis* interfuiſſe ſcribitur à Fabricio. Sed, quod idem in Supplem. ad An. MCCXLI. adjungit, de limitibus terræ *Zagoſtæ* & *Budiſſenſis*, (ut ibi loquitur) à Rege *Wenceslao*, & *Brunone* Præſule conſtitutis, vereor, ne ex Anno MCCXXVIII. ubi hanc cauſam in *Brunone II.* Miſnenſi Ep. attigimus, in hunc annum perperam ſit trajectum. Quid enim *Brunoni* Præſuli cum *Wenceslao* negotii eſſe potuit hoc anno, quem Fabricius ipſe jam ante annos XII. defun-

*Cœnobium S. Pauli Ord. Prædicat. Lipſiæ conſecratur.*

Digitized by Google

functum eſſe ſcribit? Verum quod *Albertus* Dux Soxoniæ, & *Theodericus* Comes *Brenenſis*, & quidem Non. Maji. ſubſcripſiſſe, ab illo ferantur; & illa, quam nos ſupra ad An. MCCXXVIII. memoravimus, limitum controverſia præſente *Sifrido* Moguntino Archiep. & quidem menſe Februario ſit compoſita; dubitari poteſt, an non, extincto jam *Brunone* Ep. lis etiam rurſum ſuſcitata ſit, & *Conrado* jam Præſule, *Alberti* Ducis, ac *Theoderici* Comitis opera Non. Maji hoc demum anno ſit dirempta. *Nova de limitibus Zagoſtæ & Budiſſ. controverſia compoſita.*

Graviorem diſceptationem præbere poteſt, quod MS. Codex noſter ad An. MCCXLIII. ſuggerit. "XV. Cal. Martii (*Anno, ut ibi adjungitur, MCCXLIV.*) *Henricus*, Marchio Miſnenſis, talenta VI. ex *Freybergenſi* officina monetaria, ad aram S. Pauli in *Miſnenſi* Baſilica dedit, ut vicarius ibi, à choro abſolutus, hebdomadis ſingulis ſacrum faciat pro *Theoderici* Marchionis, & *Jutæ* parentum, nec non pro *Conſtantiæ* conjugis æterna felicitate." Quæ forma loquendi defunctis fere adhibetur: quales erant *Theodericus*, & *Juta* parentes. Unde conſequi videtur, *Conſtantiam* quoque conjugem, quæ *Leopoldi* Glorioſi, *Auſtriæ Styriæque Ducis* erat filia, An. MCCXLIV. jam non amplius in vivis fuiſſe: quod ipſum Chronicon Vetero-Cellenſe utrumque apud Menkenium T. II. Col. 405, & Col. 440. confirmat, ubi ad An. MCCXLIII. ſic legitur: "*Conſtancia* Marchioniſſa obit, Mater Landgravii (*Thuringiæ, ALBERTI*), & Marchionis *Theoderici*." Sed his non modo Auſtriaci ſcriptores, ut in Annalibus Auſtriæ à me indicatum eſt; ſed Fabricius etiam in Chronico Miſnenſi, & Reyheri Monumenta Landgraviorum Thuringiæ, & Marchionum Miſniæ apud Mencken. T. II. p. 842. qui eam An. MCCLXII. primum obiiſſe ſentiunt, *Conſtantia Auſtriaca Henrici March. Miſn. Conjux quando defuncta.*

Y ad-

adverſantur. Verum *Cellenſibus*, quorum in Cœnobio ſepulta eſt, magna haud dubie fides eſt adhibenda: neque Auſtriaca documenta diſſentire nos cogunt.

*Donatio Miſn. Eccleſiæ facta à Cunegunde, Bohemiæ Regina.*

"An. MCCXLV. (*quemadmodum MISNENSIUM literarum regeſta iterum narrant) Cunegundis*, Bohemiæ Regis conjux, de conſenſu *Wenceslai* mariti, & *Uladislai* „filii, nec non *Beniſii*, Budiſſinenſis Burggravii, ex pecu„nia, & frumento, quod ex provincia *Budiſſinenſi*, & pagis „*Dobranovviz*, *Canevviz*, & *Lobliz*, pro cuſtodia *Luſatiæ* pendi ſolebat, donationem fecit Miſnenſi Eccleſiæ, „pro ſe, ſuiſque liberis, & *Hermanno* de *Liznick*, Miſnenſi „Canonico, qui à ſacris Reginæ obſequiis erat. Quod ra„tum habuit *Wenceslaus* Rex in *Caſtello novo* Non. Octobr. „& Burggravius VII. Id. Novembr. An. MCCXLV. ſuis lite„ris corroboravit.„ Eodem anno, ut refert Carpzovius in hiſtoria Superior. Luſatiæ p. 266. *Conradus* I. Miſn. Ep. Cal. Septembr. Templum Minorum S. Franciſci Gorlicii, ſub nomine, & honore B. Mariæ Virginis conſecravit.

*Templum FF. Min. Gorlicii conſecratur.*

" Anno MCCXLVI. (*pergit idem Codex MS.) Conradus* Epiſcopus Miſnenſis decimas quasdam ex pagis *Maſvviz*, *Belen*, *Scokovve*, *Dobirſvviz*, *Sitin*, *Hertelſdorff*, Vicariæ (*beneficio*) à *Gunzelino* quondam Decano „inſtitutæ, attribuit VIII. Id. Januarii. Eodem anno VIII. „Cal. Julii à Conrado Ep. & Canonicorum collegio ſanci„tum eſt, ut deinceps Canonicorum quilibet ex iis, qui „minores appellabantur, binas ex iis marcas, quas poſt „*annum gratiæ* acquirit, in ornatum templi impendant. „Eodem denique anno, cum decimas, quas *Henricus*, „Miſnenſis Ep. Lauterbergenſi Canonicorum collegio ad „*Eliſtram* nigrum donaverat, confirmaſſet ſucceſſor *Con*-

*Statutum Miſn. Canon. de Canonicis minoribus.*

„*ra*-

Digitized by Google

„*radus*, Præpoſitus, fratresque ejus collegii, ut beneficii „referrent gratiam, vigilias, ſacra, pſalmodiæ certum nu„merum, cum jejuniis, ac eleemoſynis Miſnenſi Canoni„corum collegio obtulerunt.„

Novi in Eccleſiam Miſnenſem beneficii à Wenceslao Bohemiæ Rege collati meminit Fabricius ad An. MCCXLVII. in Supplem. "Caſtrum *Leſnam (inquit) Wenceslaus* Rex „dedicat Eccleſiæ Miſnenſi, nomine *Othogari* patris, *Wa„dizlai* filii, & Agnetis ſororis X. Cal. Octobr.„ *Wenceslaus R. Bohem. Caſtrum Leſna donat. Miſnenſi Eccleſiæ.*

*Miſnenſis* Baſilica, ut alias dictum, *DEO* Optimo Maximo ſub honore *S. Joannis* Apoſtoli, & Evangeliſtæ, ac S. *Donati Martyris* dedicata erat. Huc cum recurrente annua utriusque memoria magni fierent hominum piorum concurſus; *Innocentius IV.* Pont. Max. haud dubium, quin rogatu *Conradi* Ep. IV. Non. Martii An. MCCXLVIII. contulit XL. dierum indulgentiam, templum Cathedrale in feſto *S. Joannis Evangeliſtæ* pie viſitantibus: id quod X. Cal. April. eodem anno ad feſtum *S. Donati M.* & anno ſequenti XII. Cal. Julii, ad feſtam pariter memoriam *S. Joannis ante portam latinam* extendit: ut narrat MS. Codex noſter. *Indulgentiæ Miſn. Eccleſiæ conceſſæ.*

Emerat per id tempus *Conradus* Miſn. Ep. à Viſegradenſi Præpoſito pagos *Mislevviz*, & *Cupſchiz* in provincia *Budiſſinenſi*: eam nunc emptionem *Wenceslaus* Rex Bohemiæ Pontificiis jam partibus addictus, non modo confirmavit, ſed novo etiam beneficio auxit. "Cum enim „*Conradus* Ep. Regis honorem (*ut MS. noſtrum notat*) „egregie eſſet tuitus; *Wenceslaus* & regia ex clementia, & „mutui teſtandi officii cauſa, *Conrado*, ejusque ſucceſſo- *Mislevviz & Cupſchiz emuntur à Conrado Ep.* *Conradus Ep. Wen-*

*ceslaum R. Bohem. ſibi conciliat.*

„ribus Epiſcopis jurisdictionem eam omnem, quam prius „judices ſæculares per *Budiſſinenſem* provinciam in hæc bo„na habuere; cenſum præterea frumenti omnem, quæ li„mitaneæ cuſtodiæ cauſa ad arcem *Budiſſinenſem* alias ſolvi „debebat, in perpetuum conceſſit. Actum & ſignatum „à Rege IV. Non. Junii An. MCCXLIX.„ Quod illud *Conradi* Miſn. Ep. in defendendo honore Regio fuerit meritum, obſcurum fortaſſe eſſet; niſi Innocentii IV. Pontificis Rom. ad *Conradum* literæ indicium nobis facerent, quæ *Ottocarum* (II. poſtea Regem) *Wenceslai* Regis filium, ſed in patrem tunc contumaciter impium, anathemate percellendum jubent: ſunt vero ſequentes ex Spicil. Eccl. Cont. I. apud Lunigium. p. 836.

*Innocentii IV. PP. litera ad Conradum Ep. ut Ottocarum Wenceslai R. filium, aut à contumacia in Patrem abducat,*

*Paternæ benedictionis Auctoritas devotum filium erigit in ſublime, ac ejus contrarium erectum ſubito crudeliter eradicat. Unde Joſeph accreſcens filius nuncupatus, & Chanaan cum ſua progenie ſubjicitur ſervituti. Abſalon quoque in quercu ſuſpenditur, & Salamon paterni culminis recipit diadema. Hæc, & quod in ſacra pagina legitur: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, ſi nobilis vir natus Clariſſimi in Chriſto Filii noſtri Illuſtris Regis Bohemiæ, prout convenit, diligenter attenderet, ipſum Regem, Patrem ſuum, tanquam Filius benedictionis paternam hæreditatem cupiens honoraret, & ab ejus offenſa penitus abſtineret. Sed idem quorundam Baronum Regni Bohemiæ, qui bona pacis oderunt, & in malis diſcordiarum exultant, ductus iniquis perſuaſionibus, & ſeductus, una cum ipſis, ſicut accepimus, crudeliter prædictum Regem perſequitur, & hoſtili perſecutione impugnat in detrimentum perſonæ, & ſtatûs ipſius Regni cum CONRADO noto Fr. quondam Imperatoris, Duce Bavariæ, & aliis Eccleſiæ perſecutoribus fœdus ami-*

Digitized by Google

*amicitiæ, ac ſocietatis damnabiliter iniendo, in quibus omnibus Epiſcopi PRAGENSIS, & quarumdam aliarum perſonarum Eccleſiaſticarum ejusdem Regni dicitur eſſe manus. Ne igitur tantum malum, ſi ei obviatum non fuerit, invaleſcat, mandamus, quatenus natum, & Barones eosdem, ut ab iniquitate hujusmodi penitus deſiſtentes ad devotionem præfati Regis, à qua ſine nota infamiæ, ac animarum periculis non poſſunt recedere, redeuntes, ei, ut tenentur, intendant attentius, moneas, & inducas. Quod ſi monitis tuis acquieſcere nunquam curaverint, ipſos, & omnes eis in hac iniquitate fautores auctoritate noſtrâ, ſublato appellationis impedimento, excommunices, & terras eorundem ſubjicias diſtrictiſſimo interdicto, ita, quod præter baptiſmata parvulorum, & pœnitentias morientium, nullum in eis celebretur divinum officium, aut exhibeatur Eccleſiaſticum ſacramentum, faciens hujusmodi excommunicationis, & interdicti ſententias ſingulis diebus Dominicis, & feſtivis, pulſatis campanis, ac candelis accenſis per loca, in quibus expedire videris, ſolemniter publicari, invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, brachii ſæcularis auxilio. Eundem vero Epiſcopum, quia excommunicatus à dilecto filio fratre GOTRIMUNDO de Ordine Prædicatorum pœnitentiario noſtro ad partes illas deſtinato à nobis, noſtra exigente juſtitiâ, divina officia, ſicut dicitur, celebrare, imò, quantum in eo eſt, verius prophanare præſumpſit, & contra ipſum Regem una cum ejus filio conſpirare, eadem auctoritate noſtra præfigas ei terminum peremptorium, competentem, quo perſonaliter noſtro ſe conſpectui repræſentet, pro meritis recepturus. Cum autem, ſicut noſtris eſt auribus intimatum, nonnulli Præpoſiti, Decani, Canonici, & Rectores, ac alii Canonici Eccleſiarum Regni prædicti, favendo, & adhærendo ſupradicto nato Regis, & Baronibus perſecutoribus Eccleſiæ contra eam, beneficiis Eccleſiaſticis reddiderint ſe indignos,*

*aut cum fautoribus ejus excommunicet.*



dignos,

Digitized by Google

*dignos, & dignum ſit, ut indevoti ex indevotione jacturam, & devoti ex devotione commodum aſſequantur, volumus, & mandamus, ut Præpoſitos, Decanos, & alios interdictos, ſi tibi eos conſtiterit tales eſſe, perſonalitatibus, & dignitatibus, ac beneficiis, quæ ab Eccleſiis obtinent, eadem auctoritate perpetuo privans facias eis conferri per illos, ad quos ipſorum collatio pertinet, ſi tamen ſint devoti Eccleſiæ Romanæ, alioquin tu illa conferas hac vice perſonis idoneis, & Eccleſiæ prædictæ devotis, contradictores. &c. Datum LVGDVNI X. Kal. Maji. Anno ſexto.*

Quas dum *Conradus* exequitur, mirum non eſt, magnam apud Regem gratiam ea de cauſa iniiſſe. Menſe Majo anni ſequentis *Conradus* Miſn. Ep. *Dobirlucenſi* Cœnobio literas dedit, quibus eidem villa *Gravvtitz* in allodium redacta confirmatur. Extant eæ literæ apud Ludevvigium Reliqu. MS. T. I. p. 69. XVIII. Kal. Junii. Ind. VII. An. MCCL. datæ, & ſunt ſequentes.

*Conradi Ep. litera de villa Gravvtitz in allodium redacta.*

*In nomine Sancte, & individue Trinitatis. CONRADVS miſeratione Divina Miſnenſis Epiſcopus omnibus in perpetuum. Quoniam rerum præterlabentium acta ex corruptione fragilitatis humane quadam oblivionis caligine ſolent denigrari, niſi ea literarum teſtimonio ſtudeant perennari: eapropter notum facimus tam præſentibus, quam futuris Chriſti fidelibus univerſis, quod fratres de DOBIRLVG quandam villam de octo manſis GRAWTITZ nomine in parochia SCHAKOW dotatam ad utilitatem & uſum eorum, ſuorumqne ſucceſſorum comparaverunt. Verum quodam temporis ſpatio defluxo predicti fratres ſaniori conſilio habito eandem villam in allodium redegerunt. Ne igitur aliqua falſitatis nota vel injurie ejuſdem fratribus à quoquam hominum impoſterum poſſit imprimi,*

*præ-*

*præfate Eccleſie fertonem & dimidium ſingulis annis in perpetuum pari conſilio pro ſubtracte dotis reſtauro placide ac benigne duxerunt conferendum. Ita ſane quod dicte ville plebanus cuncte familie in predicto allodio commorantis animarum medicamenta, & funerum exequias perſolvere non deſiſtat. Ut ergo iſta omnia precedentium dicta, & facta rata permaneant, & inconcuſſa, preſentem paginam ſub proborum virorum teſtimonio ſigilli noſtri impreſſione fecimus communiri. Quorum nomina ſunt hæc: Canonici SIFRIDUS Archidiaconus, CONRADUS protonotarius noſter, Sacerdotes STEPHANUS de TURGOW, HILDEBRANDUS de NYDENEN, LAMBERTUS de WESENIC, ARNALDUS de FREDERICHSTORFF, ERENBOLDUS de HERTZBERG, EGGERICUS de SCHATOW. Acta ſunt hec ſub Domino GODEFRIDO Abbate in DOBIRLUG, An. Domini MCCLXVIII. Kl. Junii, Epacta XV. Ind. VII, concurrente quinta.*

Octavo poſt Idus Junii, Decimas ex pagis *Proſvviz* & *Rudingſtorff*, quas *Hermannus de Liznick* Miſn. Canonicus, & *Cunegundis* Bohemiæ Reginæ Capellanus emerat, Miſnenſi Eccleſiæ contulit, ut refert MS. Codex noſter.

Sed enim Epiſcopus licet naviter pro Eccleſiæ ſuæ utilitate laboraret; Canonici tamen Miſnenſes officio ſuo defuerint, neceſſe eſt: cum enim *Hugo*, Presbyter Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis legatus *Hildeshemii* ageret; delati ad eum ſunt Miſnenſes etiam Canonici, quod in officio deſides, & ſui muneris negligentes, ſua in Eccleſia, cui ſervire divinis in officiis debebant, non reſiderent. Graviter moleſteque querelam hanc tulit *Hugo*, datisque VII. Id. Martii An. MCCLII. ad *Conradum* Ep. literis, Canonicos acriter pro rei gravitate commonuit. Eæ, ut Fabricius *Canonici Miſnenſis ab officio divino ſæpius abſunt.*

reci-

recitat in Supplem. ad An. MCCXLIX. (qui Annus Pontificatus Innoc. IV. ſextus erat, non autem nonus, qualem literæ ipſæ notant) ſic habent.

*Literæ Hugon. Card. ad Miſn. Ep. ea ſuper re.*

*Venerabili in Chriſto Patri CONRADO Ep. Miſnenſi. Frater HVGO divæ Sabinæ Presbyter Card. Apoſtolicæ ſedis Legatus. Salutem, & ſinceram in Domino caritatem. Ad audientiam noſtram pervenit, quod nonnulli Canonici Eccleſiæ Miſnenſis, & aliarum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis, præbendarum ſuarum proventus percipientes, non curant in Eccleſiis, in quibus illas obtinent, reſidere, propter quod Eccleſiæ ipſæ debitis ſervitiis defraudantur. Nolentes itaque, ut in Eccleſiis diminuatur divini nominis cultus, ſed potius augeatur, noſtra, qua fungimur, auctoritate mandamus, ſi eſt ita, dictos Canonicos, ad faciendam debitam in Eccleſiis ſuis reſidentiam, ſecundum antiquam, & approbatam Eccleſiarum ipſarum conſuetudinem monitione præmiſſa, ut auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, compellatis contra eos ad privationem præbendarum ſuarum, ſi rebellio ipſorum meruerit, nihilominus proceſſuri. Datum HILDESHEMII VI. Id. Martii, Pontificatus Domini Innocentii IIII. Anno IX.*

*Controverſia de finibus, & decimis Wurcin.*

Conceptam ex hac reprehenſione moleſtiam abſterſit facile concordia *Henricum* Marchionem inter, & *Conradum* Epiſcopum redintegrata, & confirmata. Diuturna inter hos controverſia erat de finibus *Wurcinæ*, & decimis maxime in *Luſatia* ex bonis Marchionis Miſnenſis, ut notat Fabricius in Supplem. ad An. MCCXXXIX. Sed ea diſcordia in magnam tandem hoc anno concordiam deſiit. Convenerant XI. Cal. Junii An. MCCLII. *Henricus* Marchio, & *Conradus* Epiſcopus Miſnenſis, præſentibus rei arbitris *Erico* Magdeburgenſi Archiepiſcopo, *Ludolpho* Naumburgenſi,

Digitized by Google

genſi, & *Henrico* Merſeburgenſi, Epiſcopis: Cumque *Conradus Ottonis III.* Imp. literas An. CMXCV. *Havelbergæ* de bonis *Wurzin*, *Bichin*, aliisque nominatim expreſſis, coram exhiberet, agnovit æquitatem cauſæ *Henricus* Marchio, totumque *Ottonis III.* Privilegium, concordiæ ſuæ literis ad verbum inſeruit, quas præſentes Antiſtites arbitri ſuis quisque ſigillis corroborarunt XI. Cal. Junii. Concordiæ porro capita hæc erant. I. Conſentit *Henricus* Marchio, ut Epiſcopi Miſnenſes jus habeant, ac retineant in decimas *Forbergicas*, in *Luſatia*, & nominatim in bonis ipſius Marchionis, & aliorum, quibus ea in feudum data. II. in decimas etiam ex Marchia *Miſnenſi*, ſecundum receptum uſum Provinciæ. III. ut jura Canonicorum, Religioſorum, ac totius Cleri reliqui integra, ac indemnia perſiſtant. IV. ne tributa & id genus exactiones, aliaque ſervitia vel Epiſcopi, vel Canonicorum, vel Cœnobiorum hominibus imponantur. V. ut viæ publicæ, & telonia, ubi ea habuit, ex veteri conſuetudine, Eccleſiæ, & Epiſcopo relinquantur. VI. ut Archidiaconi, & Archipresbyteri in urbibus, oppidis, pagis, viciſque, uti alias, munere fungantur ſuo. VII. ut Clerici, & alii homines Eccleſiæ ad res ſibi neceſſarias coëmendas egreſſi, à teloniis immunes ſint. VIII. ut ſiquis ab Epiſcopo, vel ejus Prælatis excommunicatus ſit publice, ab ejus communione, & Marchio, & ejus ſubditi abſtineant. IX. ne Epiſcopus ſuis in juribus, quæ *Stolpenenſem* ad arcem pertinent, turbetur, aut impediatur. X. ne Clerus Epiſcopatus Miſnenſis ad judicia ſæcularia trahatur. XI. ut ſiquid eorum, quæ hic ſanciuntur, à ſubjectis Marchioni populis non ſervetur, Marchio de hoc admonitus, eorum obſervantiam urgeat ſua authoritate, & poteſtate. Contractum hunc Archiepiſcopus Magdeburgenſis, & Naumburgenſis, ac Merſeburgenſis Epiſcopi, in præſentia

*inter Henric. March. & Conradum Epiſc. compoſita.*



Digitized by Google

multorum, conſilio, & auxilio confici fecerunt, & ſigillis ſuis corroborarunt. XI. Cal. Junii. An. MCCLII. Hactenus MS. Codex Miſn. litt.

*Cautio, ut quis aut beneficio, aut canonicatu Miſn. potiatur, niſi Pontificiis literis ad hoc inſtructus.*

" An. MCCLIV. *(ut idem Codex proſequitur)* Innocen„tius IV. Pont. Max. XI. Cal. Octobr. Collegio *Miſnenſi* „literas dedit, quibus cavebatur, ne quis in collegium ad„ſcriberetur, aut etiam beneficio donaretur, niſi Pontifi„ciis ad hoc literis authoratus. III. deinde Cal. Octobr. man„datum ad Præpoſitum Naumburgenſem addidit, tuendi „Miſnenſium Canonicorum collegium, nequas præbendas „conferre cogantur, niſi qui Pontificias ad hoc literas ex„hibere poſſit. Eadem die Miſnenſibus Canonicis cavit, „ne quis præter Rom. Pontificem, intra proximum trien„nium, excommunicationis vel ſuſpenſionis ſententiam „perferre in eos audeat. „

*Nimptſchenſi Virgin. Cœnobio jus Patronatus in Parochias quaſdam confertur.*

" An. MCCLV. *(referente eodem Codice)* cum *Henri„cus* Marchio Miſniæ, & Luſatiæ, Monialibus in *Grim* „*(erat hoc Virginum Cœnobium Ciſtercienſis inſtituti, haud* „*procul urbe GRIMMA ad MULDAM fluvium, NIMMETZ,* „*vulgo NIMPTSCH dictum)* jus Patronatus in Parochias „*Weſenick*, *Altenbelgern*, & *Turgau* contuliſſet, donatio„nem eam *Conradus*, Miſnenſis Epiſcopus ratam habuit, „& confirmavit IV. Cal. Junii, adjectis tamen his conditio„nibus, ut ſiquid Parochis, & aliis Eccleſiæ miniſtris, ab „eorum morte, ſit reliquum, in uſum quidem Monialium „convertatur: idemque Patronatus jus cum omni utilitate, „quam olim Parochiæ habuerunt, ad filiales etiam Eccle„ſias extendatur: at ſiquid I. tributi nomine imperetur, „id non è Parochiis modo, ſed reliquis etiam Monialium „proventibus ſolvatur. II. ut peculium, quod *Cathedrati-*

„*cum*

„*cum* appellant, & ad feſtum S. Michaëlis dependi ſolet, ex „iis etiam Parochiis, perinde ac ex ceteris, Epiſcopo perſol-„vatur. III. ut Archidiacono, non modo cum ſynodus ibi „cogitur, ſed alio quovis tempore eo accedenti, de victu, „ac ceteris vitæ neceſſariis provideatur.

„Eodem anno, Pontificatus ſui primo, Alexander IV. „Pontifex, datis Anagniæ pridie Id. Octobr. ea de re lite-„ris, contractum, quem *Henricus* Marchio, & *Conradus* „Ep. Miſn. anno ſuperiore fecerant de decimis in *Luſatia*, „& jurisdictione ſæculari in præfectura *Wurzinenſi*, confir-„mavit. Abbas vero, & conventus *Cellenſis* Canonicos „Miſnenſes in fraternam meritorum communionem admi-„ſit, & defuncti ex iis cujuslibet memoriam, vigiliis, ſacri-„ficiis, orationibus, jejuniis, ac aliis ſupremæ charitatis „officiis agendam recepit.„ *Alexander IV. P.P. concordata Marchionis & Epiſcopi confirmat.*

Reddidit non multo poſt vicem religioſæ charitati *Conradus* Epiſcopus, & An. MCCLVI. pro certa ſumma pecuniæ, quam Cœnobium *Cellenſe* Miſnenſi Canonicorum collegio pendere in annos ſingulos tenebatur, annuas VI. marcas, ex telonio Epiſcopali, & denarios XXV. ex *Wurzinenſi* præfectura ſolvi Canonicis ſuis juſſit: oneratis ea de cauſa telonii *Mügelenſis* adminiſtris, ut quoties officium id adirent primo, ad perſolvendam eam ſummam Canonicis conſtituto tempore, ſuam ſtatim fidem obſtringerent. Actum Cal. April. ut habet MS. Codex noſter. *Mutua inter Canon. Miſn. & cœnob. Cell. officia.*

Haud ſcio, quem ad annum referenda ſint, quæ Fabricius ſummatim de *Conrado* Ep. ad An. MCCXXXIX. recenſet: „Hujus Præſulis (*inquit*) & *Henrici* Miſnenſis Mar-



Digitized by Google

*Lauterbergenſium diſcordia ſedata.*

„chionis voluntate ampliatum eſt pomœrium Afranum. „Ejusdem arbitrio inter Præpoſitum, & Canonicos *Lauterbergios* jurgia ſunt compoſita.„ Ea ſanè diſſidia jam An. MCCXXIII. cœpta, plures in annos duraverant, quamvis, procurante *Alberto* Miſnæ ad S. Afram Præpoſito, An. MCCXXIV. aliquantam ad concordiam rediiſſent. Quæ vero *Conradi* Miſn. Ep. præſertim poſt tot annos in componendis his turbis fuerit opera, deficiente jam Chronico Lauterbergenſi, dicere non habeo.

*Conradi Ep. obitus.*

Mortem *Conradi* Vetero-Cellenſe Chronicon minus An. MCCLVIII. conſignat: " MCCLVIII. *Conradus* Miſ- „nenſis Ep. obit.„ Diem Necrologium Kemnizenſe adjicit: " VII. Idus *(Januarii)* †. *Conradus* Miſn. Eps.„

# XXIV. Albertus. II.

*Albertus II. Ep.*

Enarrata *Conradi*, Miſnenſis Epiſcopi morte ad An. MCCLVIII. Fabricius adjungit: " In ejus ſedem aſciſ- „citur *Albertus II. Wurcinenſis* Præpoſitus, Theologiæ Do- „ctor, genere *Motzanus*, ætate, moribus maturus, qui „à quinque tantum Canonicis, Non. Febr. eligitur, cum „alii concordare nullo modo poſſent.„ Nihil in his non veriſimile, niſi quod de Magiſterio Theologico admiſcet, cujus in Germania hoc tempore, aut rarus, aut nullus etiam uſus fuit. In Codice tamen noſtro nulla ante An. MCCLIX. *Alberti* fit mentio " quo frumenti certam vim Miſnenſi Ec- „cleſiæ ex *Wilsdorffenſi*, & *Grumbachenſi* pago ad VI. Cal. „Auguſti attribuit. Auxit id beneficium anno ſequenti „*Conradus*, *Borucenſis* Parochus, qui pagum utrumque „ab Epiſcopo Miſnenſi in beneficium acceperat, & novam

„vi-

Digitized by Google

„vicariam ſub nomine, & honore S. Andreæ Apoſtoli, & „S. Catharinæ M. in Miſnenſi Baſilica erexit, à Decano Ca„pituli deinceps conferendam.„

An. MCCLXI. Miſniæ eo nomine memorabilis fuit, quod hominum fanaticorum turba, quos vulgus ducto ex re nomine, *Flagellatores* appellabat, ab Italia usque, ubi eâ ſecta initium habuit, in *Miſniam* hoc anno penetravit. Monachus Pirnenſis Col. 1510. de iis hæc habet: " *Geyſler.* Keczir - - di trugen einen Scheyn fur, S. Peter hette es „czu Roma geoffenbart, vvelcher XL. Tage mit Geiſelen „ſich öffentlichen peitzſte, den ſolten die Sünde vorgeben „ſeyn. Der gemeine Havvfen Man und Weib, ſammleten „ſich in Landen, Stetten, und Dörffern an mancher Schar: „einer brachte dem andern an, trugen vveiſſe Hütte auf, „daran rote Creucze genet, vvarn nackt und blos bas auf di „Lenden, hatten Geyſeln mit III. Rymen, und III. Knot„ten, Nodeln daran: der fordirſte truck ein Fanhe, ſanck „den andirn vor: Nu tret herczu, vver buſſen vvelle, Lu„cifer iſt der Böſen Geſelle &c. fillen alle creuczvveis auf „die Erden, Ebrecher auf ire Seite, Mörder auf iren Ru„ken; Dybe, Röber, und Wucherir auf ire Arm; mach„ten ſich czu Schande vor den Leuten. - Komen havvfig „auf di Kirmeſſen, - - ſie machten di Priſtern in Ampten „der Meſſen irrig, vvorden leczlich vortriben. &c.„ Ii porro ne inconſultam plebem diutius luderent, *Albertus* Miſnenſis Epiſcopus, propoſita Anathematis pœna, ſua è Diœceſi illos ejecit. „ *Flagellatores (ſcribit Chronographus „Veterocellenſis ad An. MCCLXI.)* in hac, & aliis terris „fuerunt. Hos Epiſcopus *Albertus* excommunicavit, & „de terra expulit.„

*Flagellantium ſectam è Diœceſi ejicit.*

 Ad

Digitized by Google

*Rugetalenſem arcem condit.*

Ad eundem annum Fabricius de *Alberto* Ep. ſcribit: „Idem Præſul Scholæ Cathedrali primus ſuccentorem, ut vo„cant, dedit, qui ſtudio Muſico, & ritibus Eccleſiaſticis „pueros inſtitueret. Idem arcem *Mogelanam*, dictam *Ru„getalam* ædificat.„ Addit MS. Codex noſter: " *Mein„herus* Burggravius Miſnenſis An. MCCLXI. Virginum „*(Ord. S. Benedicti)* Cœnobio Parochiam in *Stuchavv (ubi „tum, teſte Monacho Pirnenſi, Cœnobium id ſtetit, transla„tum poſtea in DöBELEN, civitatem Miſniæ ad MVLDAM „fluvium)* cum duobus prædiis in eodem pago, cum pagis „item *Teskvviz*, & *Croſen*, & ſaltu *Beſtkove* contulit. „*Meinherum* imitatus iſt *Arnoldus* de *Jeriche*, qui IV. man„ſos in pago *Obſchiz* Cœnobio Virginum, Ordinis item „S. Benedicti, in *Ritzove*, ſeu *Rieſſavv* ad *Albim* fluvium, „dono dedit, III. Idus Decembris An. MCCLXI.„

*Lis ingens Miſnenſis Eccleſiæ cum Hug. de Wolckenberg compoſita.*

Inter has Cœnobiorum acceſſiones Miſnenſis Epiſcopatus jura bene multa uno tempore ſummum in diſcrimen venêre. *Hugo* enim de *Wolckenberg*, *Henrici*, ut ſcribit Fabricius, Merſeburgenſis Antiſtitis cognatus, controverſiam *Alberto II.* Miſnenſi Epiſcopo movit de pagis *Herolsdorff*, *Hetmigsdorff*, *Tuedendorff*, *Wilſprensdorff*, *Rüchersdorff*, *Trebniz*, majore, & minore *Lauterbach*, *Bela*, *Beutendorff*, *Golobach*, *Wickersdorff*, *Giſelbrechtsdorff*, *Selingſtadt*, *Boliz*: in cauſa admodum ancipiti *Henricus* Merſeburgenſis Antiſtes, & *Albertus* Burggravius *Altenburgicus* conſilium Miſnenſi Epiſcopo dedere, ut perſolutis *Hugoni Wolckenbergico* C. argenti marcis, ad cedendum, ſi quod haberet, jure ſuo competitorem inflecteret, quod & factum ſolennibus literis Cal. Martii An. MCCLXII. ut fuſe rem narrat MS. Codex noſter. Eodem anno "pridie „Cal. Maji dedicata eſt capella in porta *(VETERO-CELLEN-*

„*SIS*

Digitized by Google

„*SIS Cœnobii, ut ejus monumenta Col.* 457. *referunt)* cum „Altari à Venerabili Domino *Alberto* Miſnenſis Eccleſiæ „Epiſcopo, procurante Illuſtri Domina Miſnenſi, & Orien-„tali Marchioniſſa, *Agna* nomine, Sorore *Otackari* Regis „Bohemiæ. „ Ut adeo ſtare non poſſit, quod Fabricius ad An. MCCLXII. notavit. “ Obiit *Conſtantia Leopoldi* „Auſtriæ Ducis filia Nonis Julii, uxor *Henrici* Marchionis „*(Miſnenſis)* in *Cella* ſepulta.„ Cum enim *Agnes*, III. *Henrici* Miſn. conjux, prid. Cal. Maji jam Marchioniſſa fuerit An. MCCLXII. *Conſtantia* Nonis Julii ejusdem anni obiiſſe non potuit.

***Agnes Henrici March. Miſn. conjux poſt Conſtantiam Auſtr.***

Eodem anno Non. Maji. permutatio quædam facta eſt inter *Miſnenſem*, & *Naumburgenſem* Epiſcopos. Miſnenſis, ut eſt in Codice noſtro, IV. manſos *Diterico* Naumbergenſi, ejusque Canonicis dedit in *Scheppe:* hic vero Miſnenſi totidem manſos ad *Albim* inter *Boruz*, & *Herſtein* tranſcripſit. An. MCCLXIII. diſſenſio quædam inter Epiſcopum, & Præpoſitum Miſnenſem annui proventûs cauſa exorta eſt: quam *Albertus* Epiſcopus tranſcriptis ex telonio ad *Albim* annuis tribus talentis XIV. Cal. Novembr. iterum compoſuit: ut habent literæ Miſnenſes. An. MCCLXIV. iisdem referentibus, *Meinherus*, Burggravius Miſnenſis vicariam in capella S. Bartholomæi fundavit, conſtitutis in dotem IX. manſis in *Reſchen*, molendino, & tribus hortis: quam dotem ratam habuit Epiſcopus, & Capitulum Miſnenſe VIII. Cal. Maji. VI. deinde Cal. Junii *Albertus* Epiſcopus bona quædam, *Tiberne* dicta, emit, quæ prius *Henricus* Comes de *Brene* à Magdeburgenſi Eccleſia in feudum habuit. Actum *Magdeburgi* præſente Archiepiſcopo, & Capitulo VI. Cal. Junii An. MCCLXIV.

***Permutatio facta inter Miſn. & Naumburg. Ep.***

Hæc

Digitized by Google

*Cœnobium Marianæ Stellæ condi cœptum*

Hoc etiam anno cœptum eſt Virginum Cœnobium *Mariæ Stern*, Ordinis (ut ſcribit Frencelius in Nomenclatore utriusque Luſatiæ p. 49.) Ciſtercienſis, & Diœceſis Miſnenſis, vix horæ unius intervallo ab urbe *Camenz* abjunctum: "quod quidem accepta à Marchionibus Brandeburgicis Johanne, & Ottone, Luſatiæ tunc dominis, poteſtate *(verba ſunt Frencelii)* anno MCCLXIV. XI. Cal. Aprilis, die *Gertrudis* Virginis, fundatum eſt à tribus devotiſſimis viris *Witigone*, *Burchardo*, & *Bernardo*, fratribus, ac dominis in *Camenz*: quorum poſtea *(duo)* hoc eſt, *Witigo*, & *Bernardus* Præſules facti Miſnenſes.,, Sed en ipſas fundationis literas *Joannis*, & *Ottonis* Brandeburgenſium Marchionum authoritate exaratas in *Köpnig* XVI. Cal. April. An. MCCLXIV. quas Hofmannus T. IV. rerum Luſatic. p. 172. & Carpzovius de Luſat. Sup. P. I. Cap. XX. p. 330. nobis conſervârunt.

*Literæ Marchionum Brandeburg. de Fund. Cœnobio Stellæ Mar.*

*Nos JOHANNES, & OTTO, DEI gratia Marchiones Brandenburgenſium omnibus ſalutem in perpetuum. Quoniam juris æquitas hoc requirit, ut quo pro ceteris hominibus in ſorte terrenæ ſubſtantiæ videmus amplius accepiſſe à Domino creatore, de ipſis rebus à DEO nobis collatis ſtudeamus, & famulantibus impertiri. Quamvis nos, qui cura temporalium à via divini obſequii frequentius impedimur, devotorum hominum precibus, ac meritis DEUM propitium habeamus. Hinc eſt, quod preces honorabilium Virorum WITIGONIS, BURCHARDI, & BERNHARDI, fratrum dictorum de CAMENZ, novellam plantationem Cœnobii eorum, quod STELLA S. MARIÆ dicitur Ordinis Ciſtercienſium, Miſnenſis Diœceſis, ſub noſtram ſuſcipimus protectionem. Et omnia ejusdem Eccleſiæ bona, habita pariter, & habenda, ut ab omni incurſione ſemper tuta maneant, & illæſa, uni-*

*ver-*

*verſas autem poſſeſſiones, quas dicti viri à nobis feudali jure poſſederunt, & nunc pro ſalute animarum ſuarum, & in remedium animarum progenitorum ſuorum, de noſtro, & hæredum noſtrorum conſenſu, & favore, eidem clauſtro devotione debita obtulerunt, ſanctimonialibus, ibidem DEO ſervientibus, cum proprietate, quæ ad nos pertinere dignoſcitur, libero conferimus animo, & donamus. Volumus etiam, ut ſecundum petitionem ipſorum tum fratrum omnia bona, quæ ad noſtram donationem pertinent, nec non ſimul univerſæ poſſeſſiones, quas dictum cœnobium habet, vel habebit in poſterum, ab omni advocatia, & exaltatione, atque cujuslibet ſervitutis onere, & ab omni judicio alieno imperturbatæ permaneant perpetuo, & illæſæ; omne vero judicium de quacunque cauſa parva ſive magna, ubicunque accidit in villis, vel in molendinis, ſeu aliis in bonis ſæpe dictæ Eccleſiæ ad nullum omnino pertinebit: ſed clauſtrum ſolummodo auctoritatem habebit de iis omnibus judicare. Nomina autem poſſeſſionum dicti cœnobii ſunt hæc: Ipſa area, ubi clauſtrum conſtructum eſt, cum duobus molendinis adjacentibus, etiam hortum, & pratum cum piſcationibus, & paſcuis, & allodio adjacenti, cum omnibus ſuis attinentiis; & unica villa in monte ſancta KVNIGVNDIS: & allodium in prato cum attinentiis ſuis. Iterum eadem villa, quod pratum dicitur, reditus quatuor Marcarum, & ſex ſolidorum. Item juxta eandem villam in molendino ſeptem ſolidi. Item de Manſionario clauſtri verſus Orientem dimidiam Marcam. Item ſylva juxta clauſtrum cum attinentiis. Item villa JEHOWO cum ſuis attinentiis. Item villa REINHARDTSDORFF de molendino quatuor ſolidi. Item in civitate CAMENZ parochia cum omnibus attinentiis; Item in eadem civitate quatuor macella &c. Iſta quæ nominata ſunt, ſæpe dicti tres fratres à nobis in feudum habuerunt. Sed hæc, quæ ſubtribuuntur, ipſorum propria fuit hæreditas,* vi-

*videlicet WITTIGINOWE cum ſuis attinentiis, DöRINGSHAVSEN villa dimidia, & totius ejusdem villæ decimæ juxta WITTIGINOWE nova villa dimidia: Item COTTINES villa dimidia, & totius ejusdem villæ decimæ: Item RADEWIZ villa dimidia, item CROSTIZ villa dimidia, & ipſius villæ cum attinentiis ſuis, item KOKOWE villa dimidia, item SEHAFFTIZ villa dimidia. Quæ vero nunc ſubſequuntur, ſupra memoratum cœnobium ſua pecunia à Dominis prædictis comparavit jure proprietatis liberrime poſſidendo. Datum KOPENIÆ (Köpnig) An. Domini 1264. XVI. Cal. Aprilis, præſentibus Domino WILHELMO Lubecenſi Epiſcopo, fratre AMONE, Magiſtro Generali Teutonicorum fratre HERMANNO, Priore de SCHVZBERG, Burggravio de QVERNVTZE, BVRCHARDO VTZ, WALTHERO de BVRBAQA, BODONE de TVRGONE, LVDOLPHO de ESEBECK, VLRICO de CRVCE, & aliis quam pluribus. Et ut noſtra donatio inviolabiliter perſeveret, dicto cœnobio præſentes noſtras literas Sigillorum noſtrorum munimine roboratas, in concordans teſtimonium & robur validum duximus erogandas. Datum per Manus JOHANNIS Notarii die GERTRVDIS Virginis.*

*Alberti Ep. mors, & ſuprema voluntas.* Anno demum MCCLXVI. qui *Alberto* ſupremus fuit, Cal. Martiis, ut referunt Monumenta Vetero-Cellenſia Col. 457. Sacellum SS. Philippi, & Jacobi in Hoſpitali *Vetero-Cellenſi* conſecravit. Menſe deinde Julio paucis ante mortem diebus VIIII. Cal. Aug. Miſnenſibus Canonicis prædium in *Wartha* benevole donavit, ſtatuitque, ut, ſi vinea, quam excolendam ſuſceperat, ferax eſſet, vini dolium ex ejus proventu iisdem fratribus ſuis præberetur. Ex qua donatione jam certum fit, *Albertum* Miſnenſem Ep. non ad VII. Cal. Maji, ut vult Fabricius; ſed vel VII. Cal. Augusti,

guſti, ut habet Necrologium Kemnicenſe; vel ipſis Calendis ſextilibus, ut Annales Vetero-Cell. Col. 440. memorant, eſſe defunctum: ſic enim iſtis *Alberti* mors exprimitur: " MCCLXVI. moritur *Albertus*, piiſſimus Miſnenſis „Eccleſiæ Epiſcopus, Kl. Auguſti. „

## XXV. WITIGO I.

De *Witigone* Fabricius Lib. II. rerum Miſn. non pauca: Anno MCCLXVI: " ſuccedit (*ALBERTO II.*) Præ„poſitus *Wurcinenſis*, &, ut Lamberti Supplementum, „*Northuſanus*, & *Erfurdianus* Canonicus, nomine *Witigo*, „de generoſa *Camenitiorum* familia, caſtris aptior, quam „quieti.„ Gente *Camenitia* fuiſſe oriundum, paulo ante, cum de Cœnobio *Stellæ Marianæ* egimus, indicatum eſt. Quid cauſæ fuerit, cur eum caſtris aptiorem, quam quieti, maligne ſatis pronunciaret, ex diſſidio, quod cum *Friderico*, Miſnenſi Marchione illi interceſſit, infra apparebit. *Witigo I. Ep.*

An. MCCLXVII. cum inter *Guncelinum* Abbatem *Dobirlucenſem*, & *Lambertum*, plebanum in *Weſenic*, de villis *Cranevvitz*, & *Werder*, in allodia verſis, controverſia exticiſſet, *Witigo*, Miſnenſis Epiſcopus, *Turgoviæ* VIII. Cal. Maji rem ita compoſuit, ut plebano deinceps in annos ſingulos ferto, ſeu V. denarii (qui talenti pars quarta ſunt) Eccleſiæ vero *Weſenicenſi* libra ceræ; ædituo, ſeu cuſtodi, modius ſiliginis præberetur. Extant ea de re *Witigonis* literæ apud Ludevvig. Rel. MS. T. I. p. 89. Eodem anno, ut habent Miſn. litt. breviaria, prid. Idus Auguſti, cum de curte in *Waſſerburgo* nata eſſet quæſtio, *Henricus* Marchio Miſnenſis, & *Albertus* Thuringiæ Land- *Litem Dobirlug. componit.*

gravius, eam ædiculæ *S. Jacobi* adjudicaverunt: qua de re *Dietericus* etiam Marchio *Landſpergenſis* XII. Cal. Decembr. anno ſequente teſtimonium dedit. Sed Fabricius ad An. MCCLXVII. paulo aliter poſterius hoc narrat in Supplemento: " Arcem *(inquit) Waſſerburgiam Henricus* Land„gravius Thuringiæ, & Marchio Miſniæ cum Templo di„vi *Jacobi* donat Præſuli: probant *Ditericus* & Albertus „Filii.„

An. MCCLXVIII. refert Codex noſter MS. fundos in *Miſchevviz*, excepto prædio, à Miſnenſi Canonicorum collegio, ruſticis ejus loci XL. marcarum pretio eſſe venditos. Ruſtici porro hi, qui eatenus *Gaſti* dicebantur, eorumque hæredes, hoc pacto à ſervitute exempti ſunt: ita tamen, ut de quolibet manſo medium talentum (Codex noſter alibi explicat: marcam unam eſſe idem, ac X. denarios, vel medium talentum; alibi tamen talentum pro marca promiſcue accipitur) Freybergenſium denariorum quotannis pendere; profecturis eo loci dominis vecturam ter in anno, toties ſervitium manuale, metendo, ligando vites, & putando ex manſis ſingulis præſtare tenerentur. Actum VI. Non Maji An. MCCLXVIII. XVI. deinde Cal. Junii *Witigo* Ep. Eccleſiæ Miſnenſi contribuit manſos III. in pago *Schepe.*

*Witigo Ep. Decano Miſnenſi Archidiaconatum Niſaniæ; Scholaſtico jus patronatus in*

Anno ſequenti *Witigo* Epiſcopus, de conſenſu capituli Archidiaconatum *Niſaniæ* cum omni jure, & jurisdictione Præpoſito, & Decano; jus vero patronatûs in *Groſniz*, & *Keytiz* M. *Conrado* Scholaſtico contulit. Omitto alia complura, quæ An. MCCLXX. & ſequenti à *Conrado de Borniz*, & *Witigone* Epiſcopo Eccleſiæ Miſnenſi per minutas donationes acceſſerunt, & in Codice noſtro ſingillatim

Digitized by Google

latim recenſentur. Non vulgaris tamen illa fuit, quam *Petrus* Vicarius ex II. manſis in *Reichenbach* & XX. aliis in *Colen*, de conſenſu *Henrici* Marchionis, & *Witigonis* Epiſcopi, VIII. Idus Martii Miſnenſi Eccleſiæ ſuæ fecit. *Groſniz, & Keytiz attribuit.*

Annus MCCLXXII. ut videre eſt in *Miſnenſium* literarum regeſtis, Miſnenſi Eccleſiæ utilitates multas attulit. Prid. Non. Januarii ſtatim *Henricus* Marchio Miſnenſis contulit eidem Eccleſiæ fundos aliquot in pago *Jeſen*; trans *Albim* fluvium, quos Canonici Miſnenſes partim ſua pecunia, partim ex Legato *Agnetis* Marchioniſſæ VI. Idus Octobr. An. MCCLXVIII. defunctæ emerant in præfectura *Heinenſi*: eosque benevolus Marchio cum pratis, paſcuis, aquis, molendinis, & quibuslibet fructibus ab omni non modo tributo, ſed perſonali etiam, & reali ſervitio immunes deinceps eſſe voluit, & Canonicis unice ſubjectos.

Majus adhuc operæ pretium fuit in illo congreſſu, quem *Joannes*, *Otto*, & *Conradus*, Marchiones *Brandeburgici* cum *Witigone* Miſnenſi Epiſcopo *Budiſſini (Bauzen)* in *Luſatia* habuerunt. Cauſa, ut ex MS. noſtro liquet, hæc erat: Præfecti Marchionum jus ſibi in bona, fundosque Epiſcopi arrogârant: quorum conatus Antiſtes interdicto, & ſacrorum ſuſpenſione eatenus retudit. Cum penderet interea lis tota, in arbitros cauſæ tandem utrinque compromiſſum eſt: delecti ab Epiſcopo duo, *Eckardus de Miilbuz*, & *Siffridus de Biſchoffsvverth*: totidem à Marchionibus, *Petrus de Kazau*, & *Godefridus de Guteck*, equeſtris dignitatis omnes. Ii accepta cauſæ cognitione, jurati cenſuerunt, nullum jus Brandenburgicis præfectis competere in fundis Epiſcopi per provinciam *Budiſ-* *Lis inter Witigonem Epiſc. & Brandeb. Marcb. compoſita de fundis Luſatiæ.*



Digitized by Google

*ſinenſem*, ſive illi Antiſtiti immediate ſerviant, ſive in feudum, & beneficium aliis ab eodem ſint conceſſi: exceptis VI. pagis: *Muslatevviz*, *Ruptiz*, *Rovenvvalde*, *Beyersdorff*, *Sprevvenberg*, *Fredrichsdorff*. De decimis præterea ex novalibus ad pagum *Zlepe* ſancitum eſt, ut de manſis ſingulis Epiſcopo Miſnenſi denarius monetæ *Budiſſinienſis*, per modum cenſus ſtatis temporibus ſolvatur. Conſenſerunt etiam Marchiones, ut decimæ ex *Hovvirsvverth*, tanquam feudo ab Epiſcopo collato; nec non ex *Gozke*, Miſnenſi Antiſtiti dependantur. Actum XII. Cal. Febr. An. MCCLXXII. Fabricius iſta recenſens breviter, ad hunc annum ſic ſcribit: "Conventus indictus *Budiſſinam*, „in quo Brandenburgii *Johannes*, *Otto*, *Conradus*, fratres „Marchiones, per arbitros litem diremerunt cum Præſule „Miſnenſe, propter villas, quas Rex Boemiæ Præſuli ademerat, & majoribus Marchionum dederat: eſtque ſatisfactum voluntati Præſulis. „ Ego Boemum Regem hujus culpæ non arguerim.

*Indulgentia ab Epiſcopis conceſſa contribuentibus ad fabricam Miſn. Baſilica.*

Ad annum MCCLXXIV. notat MS. Codex noſter, contribuentibus aliquid ad ædificium Baſilicæ Miſnenſis collatam à pluribus Epiſcopis XL. dierum indulgentiam. Hos inter *Fridericus Salzburgenſis* Archiepiſcopus VIII. Cal. Junii in Concilio Lugdunenſi, *Wernhardus* Ep. *Seccovienſis* XV. Cal. April. *Petrus*, Ep. *Paſſavienſis* pridie Idus Maji, *Hilbrandus Eichſtetenſis*, & *Hartmannus Auguſtanus* Eppi. Non. Maji. *Joannes Kyemenſis* Id. Junii præter *Wernerum Moguntinum*, *Engelbertum* Colonienſem, *Giſelbertum Bremenſem* Archiepp. piam hanc liberalitatem exprompſere. Miſſos facio contractus complures, quos per annos MCCLXXIV. MCCLXXV. MCCLXXVI. & ſequentem, in commodum Eccleſiæ ſuæ fecit: quos inter non parvi momen-

Digitized by Google

menti erat, quo pagum *Kyvviz* cum jure patronatus, ceteriſque acceſſionibus, marcis CXCV. à Cœnobio *Boſovienſi* emit VI. Id. Novembr. An. MCCLXXVI. ut refert MS. noſtrum.

An. MCCLXXVIII. multa à *Witigone* novata ſunt: nam & Advocatiam *Mogelenſem* ab *Alberto Brennenſi* Comite in H. *Coldizenſem* tranſtulit VII. Cal. Maji: & pagum *Lizeniz* ab *Hermanno*, & *Alberto* fratribus de *Pinevviz Miſnenſibus* Canonicis legitime vindicavit VI. Cal. Auguſti: & ſtatuta quædam, de conſenſu capituli, quæ ad cellarii, & obedientiariorum (uti appellabant eos, quibus muneris aliquid demandatum erat) exequenda recte officia facerent, conſcripſit Idibus Auguſti.

Summum illud erat, quod ad *Zſchillenſe* Cœnobium pertinet. Id à Miſniæ quondam Marchionibus condictum, integra ad id tempus fama erat; ſed cum ſiniſtris nunc rumoribus materiem præbuiſſet; ſuaſu, hortatuque *Henrici* Marchionis *Witigo* Epiſcopus illud à Canonicis, in *Teutonicos*, *Fratres Hoſpitalis S. Mariæ in Jeruſalem* tranſtulit. Conditiones nec paucæ erant, nec faciles: Prima fuit, ut Præpoſitus loci, quod eſſet Archidiaconus, gradu, locoque non moveatur, ſemperque prius Epiſcopo præſentetur. Secunda, ut fratres ex ſuis proventibus, etiam ſuperfluis, nihil in *Palæſtinam*, *Pruſſiam*, vel *Livoniam* mittant, ſed in uſus cœnobii conſervent. Hæc ad VII. Idus Novembris, antequam in poſſeſſionem mitterentur, ſancita ſunt. Idibus deinde Novembr. cum jam Teutonicis fratribus traditum eſſet *Zſchillenſe* Cœnobium, Magiſter domus Teutonicæ in Jeruſalem Fr. *Hartmannus* de *Hilde-*

*Tſchillenſe Cœnobium in Teutonici Ordinis Fratres translatum*

*arduis conditionibus.*

run-

*rungen*, Præceptor item, & commendator ſcripto profiteri juſſi ſunt, ſe ſtatuta, & ordinationes Epiſcopi obſervaturos; renuntiare item omnibus in hoc privilegiis, exemptionibus, ac libertatibus, quibus Ordo alias gauderet. Decretus dein certus fratrum, qui alerentur ibi, numerus: de commendatoribus ſtatutum, ut obedientiam ſemper Epiſcopo promittant: Cautum præterea, ne quid juris, quod prius in Cœnobio habuit, Epiſcopo decedat: neve de Cœnobii rebus, aut proventibus, ſine expreſſa Epiſcopi facultate, alio quidquam avertant. Poſtremo imperatum, ut ad communia provinciæ onera, ac tributa ſymbolam & ipſi contribuant. Hactenus MS. Codex noſter.

*Lis Witigon. Ep. de decimis Luſat. cum Henrico Marchione Miſn.*

An. MCCLXXXI. ut referunt Monumenta Vetero-Cellenſia Col. 457. *Witigo* Miſnenſis Ep. conſecravit Sacellum SS. Simonis, & Judæ prid. Cal. Aprilis. Poſt hunc An. enata inter Epiſcopum, & Marchionem Miſnenſem ſimultas eſt, à Naumburgenſi, & Merſeburgenſi Epiſcopis Anno demum MCCLXXXIII. ſublata. Cauſam diſſidii MS. noſtrum explicat: decimæ (inquit) ex *Luſatia* ad An. MCCLII. Epiſcopo Miſnenſi pendi juſſæ ſunt; ſed res in hunc diem intra promiſſa ſtetit: nobiles quidam præterea, maleficii cauſa, à Marchione quæſiti ad pœnam erant: quam cum illi fuga eluſerint, prædia illorum Marchio, caſtraque, quæ feuda erant Epiſcopi, invaſit. Has ab cauſas *Dresdæ* conventus coactus eſt, & Naumburgenſis, ac Merſeburgenſis Antiſtitum judicio Marchio ad ſolvendas, ex priori pacto per *Luſatiam*, & ſiqua alia acquireret, feudalia Epiſcopi bona, decimas, inductus. Cautum deinde, ut ſiquos homines, beneficiario nomine Epiſcopo adſtrictos, plectendos cenſeret, bona illorum, quæ in beneficium ab Epiſcopo haberent, intacta relinqueret. Hæc ad

IV.

Digitized by Google

IV. Id. Septembr. Quarto poſt die aliæ quoque diſſidiorum cauſæ in medium allatæ ſunt: fori nempe contentioſi, & judiciorum in *Wurzen*, *Mögeln*, *Meiſſen*, & *Stolpen*: nec non venationum jura in *Stolpen*. Sed de his certos in arbitros compromiſſum à Marchione, Epiſcopo, & Capitulo Miſnenſi eſt, quorum ſententia deinceps ſtaretur. Actum XVIII. Cal. Octobris. Ita cauſæ hujus breviarium MS. ſed IV. demum Id. Novembris peracta cauſa eſt, & utrinque in hanc ſententiam conventum eſt, quam exhibent *Henrici* Marchionis Miſn. literæ apud Lunigium Spicil. Eccl. Cont. I. p. 837.

*Item de jure judiciorum in Wurzen, Mögeln, Meiſſen, & Stolp. compoſita.*

*In Nomine Domini Amen. Nos HENRICVS DEI gratia Miſnenſis, & Orientalis Marchio, recognoſcimus tenore præſentium, quod cum inter ceteras cauſas diſſenſionis, quæ vertebantur inter Venerabilem Patrem, Dominum WITEGONEM, Epiſcopum Miſnenſem, compatrem noſtrum dilectum ex una, & nos ex parte altera, ſuper judicio terræ WVRCINENSIS controverſia fuiſſet exorta, poſt multos tractatus hinc, inde habitos, miſſis ad hoc, & deputatis viris diſcretis, ac fide dignis, ex parte noſtri ALBERTO Dapifero de BVRNIS, RVDIGERO de SCHACHOV, & ALBERTO de LAPPA militibus, ex parte vero Domini Epiſcopi, Domino HEIDENRICO Cantore, Domino CONRADO Cuſtode, dicto de BORVS, & Domino ARNOLDO de JERICHO, Cellario, Canonicis Eccleſiæ Miſnenſis, Domino HENRICO BVRLEBANT milite, & THAMONE de SCHVRNON, ad inveſtigandum de judicio prænotato, utrum ad nos, vel ad Dominum Epiſcopum pertinere deberet, quorum aſſertione prout à ſenioribus incolis terræ WVRTZENSIS ad hoc juratis, & requiſitis didicerant, & audierant certiſſime, & apertiſſime fuimus informati, dictum judicium terræ*

*Henrici March. ea de re litera.*



Digitized by Google

*WVRCINEMSIS ad præfatum Dominum Epiſcopum, & Eccleſiam MISNENSEM absque omni dubio pertinere. Nolentes igitur in periculum animæ noſtræ, hæredumque noſtrorum dictum judicium contra juſtitiam occupare, eidem judicio, quod de facto occupavimus, renunciavimus, & ex nunc renunciamus, nolentes ipſum Epiſcopum, ſucceſſores ſuos, vel Eccleſiam Miſnenſem per nos, hæredes noſtros judices, vel officiatos, quoscunque in ſæpe dicto judicio turbare, vel quomodolibet impedire. Et ne de limitibus, ſive terminis ejusdem judicii in poſterum aliqua dubietas valeat ſuboriri, eosdem limites, & terminos ad majorem cautelam futurorum duximus præſentibus exprimendos. Incipiunt autem termini à foſſato, quod ſitum eſt infra TALVWIZ, & SCHöNENDORFF, & extendunt ſe usque ad fines agrorum villæ, quæ dicitur ZEDEWIZ. Item extendunt ſe usque ad fines agrorum villæ in KOLMEN, illius de WARIN. Item ultra extendunt ſe ad fines agrorum villæ in DREWAN. Item ab hac villa usque ad fines agrorum villæ in HEINRICHSDORFF. Item ab hoc loco usque ad fines agrorum villæ in TAMMENHAIN. Item à dicta villa usque ad colles, qui dicuntur DRVSE. Item ultra usque fines agrorum villæ LAMPRECHTSWALDE. Item in dicto loco usque ad fines agrorum villæ BöRTWIZ. Inde ultra ad monticulos, qui dicuntur HAGHE, & ad lapides limitares, ſeu finales, qui poſiti ſunt inter villam RODEGAST, & villam quæ dicitur MILTVWITZ. Item ab hoc loco usque ad fines agrorum villæ WIPERNESWALDE, inde usque ad ripam, quæ fluit per villam SAXENDORFF, & ſic per deſcenſum dictæ ripæ usque ad Eccleſiam BVRCHARDESHAIN. Item ab hoc loco usque ad ripam, quæ vocatur GRENITZE; & ſic per deſcenſum ejusdem ripæ usque in MVLDAM. Item trans MVLDAM, & ultra uſque ad lapidem, qui dicitur DVR-*

CKEL-

Digitized by Google

*CKELSTEIN, qui lapis ſitus eſt in ſilva illius de TREBIZIM. Item ab hoc lapide, ſive ſigno usque ad fines agrorum villæ, quæ vocatur LVLINT. Inde usque ad fines agrorum villæ SCHTZITZ. Item ab hac villa usque ad fines agrorum villæ majoris MACHERIN incluſive. Item ab hac villa usque ad fontem, qui dicitur REBVRNE. Inde usque ad fines agrorum villæ BTCHENE. Item ab hoc loco per quandam viam usque ad vallem infra BTCHENE, & per eandem vallem usque in MVLDAM. Item trans MVLDAM, & per deſcenſum aquæ usque ad fines agrorum villæ, quæ dicitur KOLOWE. Inde usque ad fines agrorum villæ WEITENRODE, ab hac vero villa usque ad foſſatum, de quo dictum eſt in principio iſtorum terminorum. Teſtes hujus Dominus SIFRIDVS Decanus, Dominus JOANNES, Præpoſitus Wurcenſis, Magiſter The: Præpoſitus Budiſſinenſis Mrg. Gens. Decanus Eccleſiæ Moguntinenſis, Dominus OTTO de WITIN, Dominus WALTHERVS, Dominus ARDEPOLSNIZ Canonici Miſnenſes. Dominus Meg. Buggravius Miſnenſis. Dominus HEINRICVS, Camerarius de GNANSTEIN, AL. Dapifer de BVRNIS, HENRICVS de STDEN, HERMANNVS de TANNENFELD, FRIDERICVS Magiſter Coquinæ, & quam plures alii Clerici, & Laici fide digni. Ut autem hæc firma permaneant, nec ab aliquo ſucceſſorum noſtrorum ſuper ipſis ſuſcitari quæſtio valeat nocitura, præſens ſcriptum deſuper conſcriptum dicto Domino Epiſcopo, & Eccleſiæ Miſnenſi dedimus Sigilli noſtri munimine roboratum. Datum & Actum DRESDEN, An. Domini MCCLXXXIIII. IIII. Idus Novembris.*

Nondum forte compoſita hæc contentio erat, cum novum diſſidium *Witigonem* Epiſcopum cum *Alberto Brennenſi* Comite commiſit. *Albertus Wurzenenſibus*, & *Luvva-* ***Alia controverſia cum Alberto Com. Brennenſi.***

 *vva-*

Digitized by Google

*vvanizenſibus*, qui ad jus, ditionemque Miſnenſis Eccleſiæ pertinebant, neſcio quid damni, aut injuriæ intulerat: cui cum ſatisfactum à Comite nondum eſſet, *Witigo* Ep. jamjam interdicto Eccleſiaſtico urgere ad præſtanda damna Comitem volebat. Interceſſere Præpoſitus, & Capitulum Miſnenſe, & *Albertum* Comitem permovere, ut CL. marcis *Freybergenſis* monetæ illata damna reſarcire promitteret. Sed cum ſumma ea ad manum non eſſet, vades tres pro L. marcis; pro aliis porro marcis C. vades novem ea lege ſunt conſtituti, ut ſi marcæ illæ C. definito tempore non repræſentarentur, ii Miſnam deducti in poteſtate Capituli manerent tamdiu, dum contracta nomina diſſolverentur: additum præterea, ut collectam Comes ſuo in territorio Epiſcopo permitteret: & ſi pactis his non ſtaret, interdictum interea ſuſpenſum, promulgaretur. Acta ſunt [illegible] Cal. Aprilis. Sed cum ſumma ea, per abſentiam Comitis, intra conſtitutum tempus, perſolvi non poſſet; compendinatio eidem, voluntate Epiſcopi, facta eſt usque ad VIII. Cal. Aug. ea lege, ut ſi ne tunc quidem ſumma illa perſoluta eſſet, interdictum poſtridie ejus diei promulgaretur. Actum IV. Cal. Junii.

Fabricius in Supplem. ad An. MCCLXXXIV. addit: „Violatam concordiam inter *Ericum* Magdeburgium An-„tiſtitem, & Præſulem Miſnenſem *Otto* & *Conradus* Mar-„chiones Brandeburgii reſarciunt. Non. Junii.„ Ad An. vero MCCLXXXV. ſcribit: "*Meinberus* Burggravius *Miſ-„næ* pomœrium ampliat, & mœnibus Afranum *(Canonico-„rum Regul.)* includit cœnobium, permiſſu *Leonis* Præpo-„ſiti.„ Codex noſter de iis nihil: ſed VIII. Id. Auguſti,

*Indulgentia viſitantibus ſepulchrum* An. MCCLXXXV. conceſſum ab Epiſcopo *Witigone* memorat XL. dierum indulgentiam iis, qui ſepulchrum

*S. Ben-*

Digitized by Google

*S. Bennonis* devote viſitarent, & ad fabricam Eccleſiæ aliquid contribuerent. Atque hoc primum opinor, publici cultûs documentum eſt, *S. Bennoni* nondum inter Sanctos à Rom. Eccleſia adſcripto, exhibiti. Idibus Novembris deinde hujus anni compoſita à *Joanne* Miſnenſi Canonico, & Luſatiæ Archidiacono controverſia eſt, quæ inter *Guncelinum* Abbatem, & *Joannem* plebanum in *Dobirlug* vertebatur de Eccleſia in *Dobirſtrovv* recens erecta: procuratio ſacra plebano relicta, cum annuis quibusdam fructibus. Extant ea de re literæ apud Ludevvigium Reliq. MS. T. I. p. 140. Datæ in *Calovv.* Id Novembr. Anno MCCLXXXVI.

*S. Bennonis Ep. à Witigone conceſſa.*

Ad An. MCCLXXXVI. ſcribit Langius in Chronico Citizenſi: "*Bruno*, Epiſcopus noſter, devotiſſimus DEI cul-„tor, & *Witigo* Miſnenſis, ac *Henricus* Merſeburgenſis Ec-„cleſiarum Epiſcopi, convenientes in *Nuenberg (Naum-„burg)* poſt invocationem S. Spiritus emiſerunt mandatum „contra invaſores Clericorum, & Præſulum eorundem.„ Fabricius eadem referens ad hunc annum, promulgatum in hoc conventu Decretum Honorii V. Pontificis memorat contra eos, qui bona Eccleſiaſtica vel diriperent, vel alienarent. Acta Præſulum Nuenburgenſium apud Paullinum in Syntagm. Antiq. Germ. p. 140. de hoc conventu ita præfantur: "Erant mali homines, qui nec *DEUM*, nec „miniſtros ſuos reverenter habebant, ſed multa damna, „moleſtias, & injurias iis faciebant: convocavit ergo *Bru-„no* noſter *(NAUMBURGENSIS)* vicinos, & coëpiſcopos „ſuos *Witich* Miſnenſem, & *Heinricum* Merſeborgenſem in „*Nuenborg*, ubi in unitate Spiritus S. promulgarunt man-„datum ſeu Bullam SS. Dni Honorii IV. contra iſtos Eccle-„ſiæ turbatores, raptores, & contemptores ſacrarum per-

*Conventus Naumburgenſis trium Epiſcoporum contra invaſores Clericorum, & Præſulum.*

„ſonarum ſub formidabili anathemate Anno Dom. „MCCLXXXIV. „ Sed omnium apertiſſime, qualis is conventus fuerit, & quo fine coactus, explicat MS. Codex noſter ad An. MCCLXXXVI. "*Witigo* Miſnenſis *(inquit)* „*Henricus* Merſeburg. & *Bruno* Naumburg. Epiſcopi inter „ſe convenerunt, ut, quod de violatoribus, & invaſori„bus Epiſcoporum, & Clericorum concluſum erat, & quod „Pontificius Legatus, & Concilium Magdeburgenſe ordi„navit, in ſuis Diœceſibus executioni darent: nempe ut filii „eorum, qui Epiſcoporum, aut Clericorum aliquem ca„perent, aut captum detinerent, ad Ordines, vel benefi„cia; filiæ vero ad cœnobia virginum non admitterentur: „Abbates autem, & Abbatiſſæ, ſi ſecus facerent, à Sacris, „& Divinis officiis ſuſpenderentur, donec jam ſuſceptos „eorum liberos à cœnobiis amandarent: demum ut ii, qui „templa, & cœmeteria, ut ſpoliarent, aut cremarent, niſi „pro damnis prius ſatisfecerint, ne ad pœnitentiam qui„dem admitterentur. Actum *Naumburgi* VI. Id. Sep„tembris. „

*Magdeburg. Synodus.* Magdeburgenſe Concilium, cujus hic fit mentio, jam An. MCCLXVI. celebratum, ut videre eſt apud Labbeum Concil. T. XIV. Col. 1005. & ſequent. Legatus Pontificius erat *Gvvido* Cardinalis à *Clemente* IV. Pontifice eo miſſus, cujus literæ ibidem Col. 1010. recenſentur. Sed quod proprie ad rem præſentem pertinet, à *Witigone*, & *Naumburgenſi*, ac *Merſeburgenſi* Epiſcopis *Naumburgi* in Natali B. M. Virginis An. MCCLXXXVI. conſcriptæ, & publicatæ ſunt ſequentes literæ, quæ ibidem Col. 1017. recitantur.

*In Nomine Domini Amen. Nos WITIGO DEI gratia Miſnienſis, & FRIDERICUS (aut ſecundum alios HENRICUS,*

Digitized by Google

*CVS, qui FRIDERICO ſucceſſit) Merſeburgenſis, & BRVNO Nuenburgenſis Epiſcopi recognoſcimus, & tenore præſentium proteſtamur, quod ad ſuccurrendum preſſuris tam nobis, quam Clero, & religioſis cujuscunque ordinis exemptis, & non exemptis ex hominum malitia imminentibus in hoc convenimus, & tenore præſentium nos mutuo obligamus, quod ſententias tam auctoritate ordinaria à nobis latas, quam ſtatuta Domini GVVIDONIS Card. Sedis Apoſtolicæ legati, & Magdeburg. Concilii invicem exequemur. Et præterea quæ in præmiſſis Conciliis de Captivitate Epiſcoporum, & Clericorum continentur, hæc in noſtris Diœceſibus volumus obſervari, videlicet quod filii captivantium Epiſcopos vel Clericos inhabiles ſint ad beneficia, & ſacros ordines obtinendos, nec ipſorum filiæ in aliquo collegio ſacrimonialium admittantur. Abbates quoque, Abbatiſſæ, Præpoſiti, & Conventus contra hanc inhibitionem noſtram venientes, per ſententiam, quam in his ſcriptis ferimus, tam à Divinis noverint ſe ſuſpenſos, donec ejiciant ſic receptos. De incendiariis autem, & invaſoribus Eccleſiarum, & Cimiteriorum, quæ quidem Eccleſiæ, & Cimiteria non ſolum pro ſalute mortuorum, ſed ut etiam vivi pacis in eis refugium inveniant, conſecrantur, ſic obſervari volumus, ut qui ſurrexerint in rapinam Eccleſiæ, vel Cimiterii, niſi ablata reſtituant, vel emendandi firmam, & plenam præſtiterint ſecuritatem, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur, & ſingulis diebus Dominicis, pulſatis campanis, & incenſis candelis excommunicatus publice nuncietur. Et ſi obſtinata mente usque ad mortem perſeveraverit, Eccleſiaſtica careat ſepultura, niſi ſub teſtimonio plebani, & aliorum trium damna reſtauraverit univerſa. Si qui vero Clerici tales ad ſepulturam receperint, aut eorum ſepulturæ interfuerint, vel ipſorum eleemoſynas receperint, ordinis ſui damnum irrecuperabiliter patiantur, & ipſo facto ſuis beneficiis ſint pri-*

*Literæ Miſnenſ. Merſburg. & Naumburg. Ep. contra invaſores Præſulum, & Clericorum.*

*pœnæ in eos, eorumque fautores latæ.*

*privati. Et quia ea, quæ præmiſſa ſunt, de Prælatorum, & Capitulorum noſtrorum proceſſerunt conſenſu, præſens ſcriptum tam noſtris, quam jam dictorum Capitulorum noſtrorum Sigillis fecimus communiri. Actum NVENBVRCH, Anno Domini MCCLXXXVI. In Nativitate Beatæ Virginis.*

Ceterum quod *Honorius* IV. (non enim V. ut vult Fabricius) ab actis Præſulum *Nuenburg.* Bullam edidiſſe contra turbatores Eccl. memoretur, indicio eſt, eadem, quæ ſub Clemente IV. jam in Synodo *Magdeburgenſi* ſtatuta ſunt, ab Honorio IV. qui hoc tempore Cathedram Rom. tenuit, fuiſſe confirmata.

*Gaſti, qui, & quomodo emancipandi.*

Ad eundem annum Fabricius in Supplemento rem notat obſervatu non indignam. "Erat *(inquit, de MISNIA* „*agens)* ſervorum genus, qui ſermone vulgari *Gaſti* vocabantur, qui ad Eccleſiæ arbitratum cogebantur quodvis „præſtare obſequium ſine recuſatione: poterant ſe pretio „redimere, quod ex hoc liquet diplomate.„ Affert deinde *Bernardi* Præpoſiti, *Siffridi* Decani, totiusque Miſn. Eccleſiæ Capituli literas Cal. Febr. An. MCCLXXXVI. datas, quibus *Leo* Præpoſitus S. Afræ cum alio ejusdem collegii Canonico regulari ſubſcripti teſtes ſunt: ubi poſt alia hæc leguntur: "Cum *Martinus de Canyn*, & *Hermannus* frater ejus - - in noſtra provincia conſtituti, recognoviſſent, *(ſe)* & cognatos ſuos eſſe ſervos, qui vulgariter „*Gaſti* nuncupantur, Eccleſiæ, & Capituli noſtri: aſſumpto „nobili viro Domino *Meinhero* Burggravio Miſnenſi, & „aliis amicis ſuis, inſtanter petiverunt, ut recepta certa „ſumma pecuniæ, eos è ſervitute emanciparemus, & cum „parvulis ſuis, linea directa deſcendentibus, libertati donaremus. Nos vero nobilis viri Domini *Meinheri* Burggra-

„gravii Miſnenſis, & aliorum ipſorum amicorum precibus „inclinati, *Martinum*, & *Hermannum* fratrem ejus &c. „receptis decem marcis argenti, cum liberis ſuis, directe „tantum deſcendentibus, emancipamus, & libertati do- „namus: omnibus aliis conſanguineis, & cognatis eorum „in ſervos Eccleſiæ Miſnenſis & noſtro Capitulo reſervatis. „ Sed de *Gaſtis* ejusmodi jam ſupra ad An. MCCLXVII. actum eſt.

An. MCCLXXXVII. Synodus *Wirzburgi* XV. Cal. April. Præſidente Card. Tuſculano Honorii IV. Pontificis Legato, ut ſcribit Mutius in Chronico Germ. Hic cum Archiepiſcopi, & Epiſcopi plurimi, præſente ipſo *Rudolpho I.* Cæſare, conveniſſent; XXVIII. Antiſtites, ut notat MS. Codex noſter, ad preces, ut videtur, *Witigonis* Epiſcopi, XL. dierum indulgentiam elargiti ſunt iis, qui ad Eccleſiæ Miſnenſis fabricam aliquid contribuerent.

*Wirzburg. Conventus Epiſcoporum.*

Quam gratiam hoc anno *Miſnenſi* Baſilicæ Antiſtites alii; eandem *Witigo* ipſe, Miſnenſis Ep. Ædiculæ *S. Cunigundis* extra muros *Hallæ*, quæ ad Domum Teuton. Equitum pertinebat, III. Non. April. An. MCCLXXXVIII, præſtitit. Qua de re literas ipſius Ludevvigius Reliqu. MS. T. V. p. 127. exhibet, quas ſpeciminis cauſa recitamus.

*WITIGO DEI gratia Miſnenſis Epiſcopus, univerſis Chriſti fidelibus, ad quos ſcriptum pervenerit, ſalutem in omnium ſalvatore. Quoniam, ut ait Apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi prout unusquisque geſſit in corpore, ſive bonum ſive malum fuerit. Cupientes igitur ad caritatis opera mentes fidelium excitare, devotionem veſtram rogamus, monemus, & in Domino exhortamur in veſtro-*

*Witigo Ep. Indulgent. confert pro Capella Hallenſi S. Cunegundis.*



Digitized by Google

rum remiſſionem peccaminum, injungentes, quatenus ad Hoſpitale, & ad Capellam in honore Sancte CVNEGVNDIS Virginis dedicatam fratribus Domus Teutonice extra muros HALLENSES in ſubſidium, quibus facultates proprie non ſuppetunt, de bonis à DEO vobis collatis pias eleemoſynas, & grata Charitatis auxilia erogetis, ut per hæc bona, & alia, quæ Domino inſpirante, feceritis, ad eterna gaudia pervenire facilius valeatis. Nos etiam de omnipotentis DEI gratia confiſi omnibus vere contritis, & confeſſis, qui HOSPITALE, & Capellam premiſſam in omnibus feſtivitatibus Domini, videlicet NATIVITATIS, CIRCVMCISIONIS, PASCHA, PENTECOST. nec non in cunctis feſtivitatibus SANCTE MARIE VIRGINIS, & cum dicti fratres Sacramentum Corporis Domini ſumere conſueverunt, & eisdem fratribus manum porrexerint adjutricem: ſive devotionis cauſa in feſtivitatibus beate ELIZABETH, ac KATHERINE in Domino viſitaverint, XL. dies Indulgentiæ de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Inſuper omnibus miſericordie opera exercentibus in dicto HOSPITALI, videlicet infirmos viſitando, conſolando, ac de bonis à DEO ſibi conceſſis, eleemoſinas largiuntur, iterato XL. dies indulgentiarum relaxamus miſericorditer, ſi tamen contriti fuerint, & confeſſi. Datum Hallis Anno Domini MCCLXXXVIII. Nonis III. Aprilis.

*Mors Henrici March. Miſn.* Eodem Anno MCCLXXXVIII. ut notat Siffridus Miſnenſis Presbyter, & habet Chronicon minus Vetero-Cellenſe, mortuus eſt Marchio Miſnenſis *Henricus.* Unde turbæ non exiguæ per *Miſniam* extitêre. Fabricius in Supplem. An. MCCLXXXVIII. hæc tantum memorat: „Cum factio quædam latrocinantium moleſta eſſet his ter„ris poſt mortem Landgravii, fœdus publicum inter ſe fe-

„cerunt *Fridericus Thuringiæ* Landgravius, & *Saxoniæ* Palatinus, *Dicemannus* Marchio *Pleiſenſis*, *Otto* Comes *Brennenſis*, *Albertus Anhaltinus.* Item *Witigo* Miſn. *Bruno* Numburganus, *Henricus*, Mersburgius, Præſules. - - „Hæc actio confecta eſt, conventu *Grimæ* inſtituto, tempore brumali.„ Nihil de hoc Codex noſter: ſed An. MCCLXXXIX. ſequentia memorat. " Poſtquam *Henricus* „Marchio deceſſit, *Luſatia* quidem ad *Fridericum*, juniorem *Henrici* Marchionis filium, devoluta eſſet: ſed cum „is ultro eam in manus *Rudolphi* Cæſaris conſignaſſet; „*Wenceslao* Bohemiæ Regi à *Rudolpho I.* ſocero in feudum „data eſt, ut fidem faciunt literæ *Rudolphi* Cæſaris Egræ „III. Id. Martii An. MCCLXXXIX. datæ, quas affert Balbin. „D. I. L. VIII. p. 267. Sed *Miſnia* provincia ſimul ad *Fridericum Balbum*, *Henrici* Marchionis ex *Theoderico* nepotem, & patruum ejus *Albertum* Landgravium pervenit. „Cum autem ferre duos Dominos non poſſet, inter Hæredes ſic convenit, ut *Albertus* pro *Miſnia* alia caſtra aliquot, & dominia, cum ampla pecuniæ ſumma à *Friderico* Marchione acciperet: ad quam ſummam conficiendam *Witigo* Epiſcopus Miſnenſis ex ſpontanea liberalitate „conceſſit, ut *Friderico* Marchioni ex bonis Eccleſiæ ſuæ, „tametſi ex Cæſareo indulto, à poteſtate Marchionis exempta eſſent, & libera, ſemuncia una, & dimidia de „manſis ſingulis, qui totum aliàs cenſum penderent, daretur; de ceteris pro rata parte. Marchio contra ſe obligavit, nullum ſe deinceps tributum inde exacturum. „Actum, IV. Id. Sept. An. MCCLXXXIX.„

Anno ſequenti, ut ſcribit Lamberti Schaffnaburgenſis continuator, Monachus Erfurdianus ad Ann. MCCXC. „*Rudolphus* Rex Romanorum curiam ſuam *Erphordiæ* ce- *Conventus Principum Erfordiæ.*



Digitized by Google

„lebravit: ad quam vocati venerunt de vicinis, & longin„quis regionibus multi Principes ſpirituales, & ſæculares. „ Inter hos nominatim recenſentur Epiſcopus *Miſnenſis*, *Fridericus* Marchio *Miſnenſis*, *Albertus* Landgravius cum filiis ſuis, *Friderico*, & *Dicemanno*, *Rudolphus*, *Rodulphi* Regis filius: *Rudolphus* Rex ipſe, ut pacem ſtabiliret, „miſſis *(inquit)* militibus ſuis, cum civibus *Erphordienſibus*, „& cum populo *Thuringorum*, imperavit deſtrui fere ſexa„ginta, & ſex munitiones, in diverſis locis *Thuringiæ* ſi„tas: in quibus ſe recipere ſoliti erant iniqui homines, ra„pinas, & latrocinia exercentes. „

*Fabricii lapſus in ſtatuendo exordio Cœnobii Stellæ Mariæ,*

Haud ſatis aſſequor, quid Fabricius ſibi velit, cum ad An. MCCXC. ſcribit: "Eodem anno Præſul *Witigo*, ſerâ „ductus pœnitentia, quod Diœceſim ſuam bello exhauſe„rat, in *Luſatia* Cœnobium, *MARIÆ Stellam*, duobus â „*Budiſſina* milliaribus, condit, cujus procurationem, ob „formam religionis committit Abbati *Vetero-Cellenſi*. „ Atqui jam An. MCCLXIV. datas vidimus Brandeburgenſium Marchionum literas, quibus idem Cœnobium fundatum eſſe à tribus devotiſſimis viris, *Witigone*, *Burchardo*, & *Bernardo* fratribus, ac Dominis in *Camenz*: quorum duo poſtea (ut loquitur Frencelius) hoc eſt *Witigo*, & *Bernhardus* Præſules facti Miſnenſes. Quod ſi igitur tum nec Præſul adhuc Miſnenſis fuit, cum Cœnobium id conderet; quomodo poſt annos XXVI. ſerâ ductus pœnitentia, quod Diœceſin ſuam bello exhauſerat, condidiſſe hoc anno primum ſcribitur à Fabricio? Quod deinde bellum iſtud *Witigonis* fuit, quo Diœceſim ſuam ita exhauſerit, ut extruere tamen Cœnobium poſſet? Fœdus iniiſſe contra latrones lego; bellum geſſiſſe ante hunc annum non lego. An eodem tempore bellum cum *Friderico*, *Theoderici*

*& bello Frider. Marchionis.*

Mar-

Marchionis filio, geſſit, ſimul & Cœnobii exædificandi cogitationem ſuſcepit? Ita enim Fabricius An. mox ſequenti ſenſiſſe videri poteſt, cum narrat: " MCCXCI. *Witigo* „Præſul cum *Friderico*, *Diderici* Marchionis, cognomento „*ſapientis* filio, bellum inauſpicatum gerit: quem cum ab „obſidione oppidi *Pirnæ* Præſul primum repelleret, ado-„leſcens Princeps factus irritatior, copias inſtaurat, *Pir-„nam* expugnat, *Dresdam* capit, *Scharffenbergum* occupat. „Præſul, cum, quo ſe tuto reciperet, præſidium non ha-„beret, ad *Wernerum* Antiſtitem Moguntinum confugit. „Interea & arx *Stolpena* illi eripitur. Tandem *Henrici* „Merſeburgii, & *Bennonis* Numburgani patrociniis vix „efficit, ut in ſedem priſtinam reſtituatur. Eodem anno, „idem Marchio *(FRIDERICUS)* - - toxico in ceraſis da-„to, de vita tollitur. „

Sed & in hac narratione complura inſunt, quæ fidem vix invenient. Ac imprimis ex MS. Codice noſtro conſtat, *Fridericum Balbum (Teute)* Miſnenſi Eccleſiæ annui fructus talentum unum, V. Cal. Sept. An. MCCXC. Anno vero ſequenti VII. Cal. Febr. III. iterum talenta, cum VI. denariis, ac rurſus VIII. Idus Aprilis An. MCCXCI. denarios ſenos ex XXIV. manſis ex *Cöln* ante pontem Miſnenſem in annos ſingulos aſſignaviſſe, quod cum bello inter ipſum, & *Witigonem* Epiſcopum conciliari vix poteſt. Ad hæc partim ab Epiſcopo *Witigone*, partim à *Conrado* de *Boruz*, Miſn. Eccleſiæ Theſaurario, uſque ad Septembrem menſem novæ huic Eccleſiæ donationes acceſſere, quas minutim deſcribit Codex noſter: Sed id flagrante inter Marchionem, & Epiſcopum bello factum quis credat? Confugiſſe deinde *Witigo* poſt amiſſa omnia ad *Wernerum* Moguntinum dicitur: atqui ſi Latomo in Catalogo Archi-



Digitized by Google

epp. Mogunt. Col. 521. credimus: *Wernerus* Archiep. „valedixit rebus humanis An. MCCLXXXIV. die II. menſis „Aprilis.„ Qui igitur hoc anno recipere ſe ad *Wernerum* Witigo potuit? Reputanti iſta ſane in mentem venit, Fabricium iſta hoc loco de *Witigone* intellexiſſe: quæ ad An. MCCXCV. ex Engelhuſii Chronico, tanquam ab *Adolpho* Rege facta videri cupit. Engelhuſii Chronicon in *Adolpho* Rege. p. 1122. quin annum determinet, ſic habet. "Hoc „tempore Marchio Miſnenſis præter alia mala, quæ fecit, „Epiſcopum, & Clerum Miſnenſem expulit, de Eccleſia „Cathedrali horreum fœni faciens. Quem *Adolffus* Cæſar, „duobus fere annis Thuringiam, & Miſniam pervagando, „compulit omnia reſtituere, & homagium Imperatori ex„hibere.„ Sed enim Marchio is, quem *Adolphus* Rex biennio perſecutus, homagium exhibere coëgit, *Fridericus*, *Theoderici* filius eſſe non potuit: is enim ante *Rudolphum* I. uno menſe obiit, XVII. Cal. Sept. ut habet Chronicon Vetero-Cellenſe, & ipſe Fabricius admittit. Sed de hoc infra recurret mentio.

*Witigo Ep. æs alienum contrahit occaſione emptæ Pirn. civitatis.*

Aliam exhauſti à *Witigone* ærarii cauſam MS. Codex noſter aſſignat ad An. MCCXCII. "Cum *Witigo* Ep. *(hæc* „*enim ejus verba ſunt)* urbem, & caſtrum *Pirnam* emiſſet, „& propterea æs alienum contraxiſſet, cenſum annuum ex „*Schillau*, & ex molis navalibus ad pontem *Albis* de con„ſenſu Capituli vendidit *Conrado* de *Boruz* marcis XII. „argenti, XII. Cal. Februarii. Similiter vendidit cenſus ali„os in pago *Piſcopiz* LXXII. marcis à Capitulo iterum re„demptos Novembri menſe.„ Et vero *Pirnam* jam fuiſſe in ditione *Witigonis* I. Ep. patet ex ejus literis, quibus *Sutorum* in ea urbe conſuetudines approbat, & confirmat. Datæ eæ ſunt " *Pirnis* in Caſtro An. Dni. MCCXCII. in

feſto

„feſto Cathedræ Petri, Pontificatûs noſtri Anno Sexto Vigeſimo. „ Ut videre eſt apud Gottlob. Horn. Collect. p. 194. Cum autem morte *Friderici Balbi*, Marchionis, *Dresda* urbs (quam *Henricus* Marchio in feudum ab Eccleſia Miſnenſi, una cum caſtro *Radeberg* acceperat, & ab ejus morte filius ejus *Fridericus* junior *Dresdenſis* inde dictus; is vero *Friderico Balbo*, patrueli ſuo, de *Witigonis* Epiſcopi conſenſu, vendidit) ad Eccleſiam Miſnenſem rediiſſet; *Witigo* eandem rurſus *Friderico* huic juniori, *Henrici* Marchionis filio, fiduciario nomine Cal. Octobr. An. MCCXCII. conceſſit, qui ut vicem *Witigoni* redderet, & jure omni de *Pirna*, & telonio ad *Albim* controverſo ſe abdicavit, & defenſionem Miſnenſis Eccleſiæ jurium appromiſit. Extant ea de re literæ *Friderici junioris* apud Wekenium p. 157. & ſunt ſequentes.

*Dresda urbs per modum feudi alienata.*

*Nos FRIDERICUS DEI gratia junior filius Illuſtris Principis Domini HENRICI, quondam Miſnenſis, & Orientalis Marchionis bone memorie, Dominus civitatis, & territorii DRESDEN recognoſcimus, & tenore præſentium publice proteſtamur, quod dicto patre noſtro viam univerſe carnis ingreſſo eidem in DRESDEN civitate, judicio, bonis, liberis, ac infeudatis ad eandem civitatem ex antiquo pertinentibus cum caſtro RADEBERC, & merica intermedia cum foreſta quæ dicitur FRIDEWALDE ſucceſſimus, & a venerabili Patre noſtro Domino WITHEGONE Epiſcopo, & Eccleſia Miſnenſi jure recepimus feodali, Omagium ſibi debitum facientes, poſtmodum civitatem eandem cum omnibus attinentiis, & pertinentiis patrueli noſtro FRIDERICO, Filio Illuſtris Principis noſtri THEODERICI Marchionis de LANDESBERC, in Marchia, & dominio Miſnenſi ſuccedente vendidimus, commutatione de GERA, caſtro & civitate, & bonis*

*Literæ Friderici jun. filii Henrici Marchionis Miſn. de Dresda &c. & telonio Pirnenſi.*

aliis

Digitized by Google

*aliis pro parte pecuniæ nobis facta, ad manus dicti Domini noſtri Miſnenſis Epiſcopi reſignavimus, & idem Dominus Epiſcopus civitatem eandem cum omnibus pertinentiis prænominatis ſæpe dicto patrueli noſtro contulit jure feudi, quo defuncto ſæpedictus Dominus Epiſcopus civitatem DRESDEN, caſtrum RADEBERC merica intermedia cum foreſta FRIDEWALDE, ac omnibus pertinentiis ex ſpeciali gratia iterato contulit nobis titulo feodali. Præterea ſiquid queſtionis ſive actionis inter dictum Dominum Epiſcopum, & nos de PIRNE aſcenſu, & deſcenſu navium per ALBEAM Thelonio, exonerationem navium ſive curruum, vel quocunque modo fiat, que vulgariter NIDIRLAGE dicitur, liberaliter, & ſimpliciter renunciavimus, & renunciamus nihil nobis juris in prædictis penitus reſervantes, jurisdictionem, ac libertatem Miſnenſi Eccleſie tam in bonis Epiſcopalibus, quam Canonicorum, ac ipſorum hominum conſervabimus, ac defenſabimus, per nos & per noſtros bona fide nullas eis etiam injurias vel moleſtias irrogabimus, vel per noſtros patiemur aliquatenus irrogari. Acta ſunt hæc mediantibus Magiſtro THEODERICO Budiſſinenſi Præpoſito, Domino CONRADO Theſaurario, Canonicis Miſnenſibus, & Domino VLRICO milite dicto de OLSNITZ ex parte Domini Epiſcopi. Ex parte vero noſtra Domino RVDEGONE de CHOMEREN, FRIDERICO Magiſtro coquinæ militibus, & JACOBO magno cive noſtro in DRESDEN, adjuncto eis utrumque nobili viro Domino MEINHERO Miſnenſi Burggravio, qui per modum arbitrii, & mediatorum à nobis authoritatem habentes, nobis utrinque conſentientibus pro bono pacis, & concordiæ præmiſſa omnia, & ſingula ſtatuerunt, in cujus rei teſtimonium ſigillo noſtro, & nobilis viri MEINHERI Burggravii Miſnenſis preſentem literam conſignavimus. Actum, & datum DRESDEN in die B. Remigii in domo FRATRVM MINORVM, Anno*

*Domi-*

Digitized by Google

*Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo preſentibus teſtibus infra ſcriptis Domino JOHANNE de PESCZEN, Domino HEINMANNO de NVENDORFF militibus. CONRADO HVNRICH, HERMANNO fratre ſcriptoris, magiſtro civium JOHANNE de PYKVWITZ, JOHANNE de REIMARSDORFF, ANDREA dicto de PYRNE civibus in DRESDEN, SYFRIDO magiſtro civium in PIRNE, & aliis quam pluribus Clericis, & Laycis fide dignis. Nos vero METNHERVS Burggravius Miſnenſis preſentibus omnibus, & ſingulis interfuimus, & Sigilli noſtri munimine preſentem literam rogati cum Sigillis ſuperioribus &c.*

An. demum MCCXCIII. ut rurſum Fabricius, "*Witigo*, poſt damna multa Collegio illata, *(ſi vera tamen ſunt, quæ de bello inter FRIDERICVM BALBVM,* & *WITIGONEM geſto narravit Fabricius)* anno ſeſſionis ſeptimo & vigeſimo moritur II. Non. Martii.," Diem obitus eundem ſignat etiam Necrologium Kemnicenſe "II. Non. Martii *Withægo* Miſn. Eps.," *Witigon. I. obitus.*

# XXVI. Bernardus.

*Witigoni*, ſi tam male de Eccleſia ſua fuiſſet meritus, ut Fabricius exiſtimat, *Bernardus*, opinor, illi ſanguine tam propinquus, ſucceſſor datus non fuiſſet. Hunc enim ex eadem *Camenitiorum* fuiſſe gente, non erat, cur dubitaret Fabricius. Nam & Brandeburgicorum Marchionum teſtimonio de fundatione *Stellæ Marianæ* ſupra id oſtenſum eſt, & ex literis *Nicolai* Oppaviæ Ducis, nothi *Ottocari* quondam Bohem. Regis filii An. MCCLXXXI. *Niſſæ* datis, manifeſto conſtat: ubi inter præſentes, poſt *Bernardus Ep. ex gente Camenitia.*

Dd Du-

Ducem *Zleſiæ Henricum*, *Bernardus de Camenz*, Præpoſitus *Miſnenſis* adſcriptus legitur. Extant eæ literæ literis *Mathiæ Corvini* Hungariæ Regis inſertæ apud Sommerſpergium T. II. p. 796.

Fabricius de *Bernardo* ad An. MCCXCIII. hæc habet: „Succedit *(WITIGONI) Bernardus*, Miſnenſis Præpoſitus, „ex eadem *Cameniciorum* gente, ut quidam annotarunt. „Hic ſenex admodum cum viro inquieto *(injuria hæc eſt à* „*maligno, vel decepto ſcriptore hauſta)* & ad egeſtatem red- „acto ſuccederet, difficiliorem, & magis onerofam ha- „buit functionem. In initio, controverſia inter ipſum, & „*Fridericum* Marchionem, ac Palatinum Saxoniæ fuit, quæ „bonis conditionibus ſedata.„ Sed hac de re mox erit diſſerendi locus.

*Donatio facta Miſn. Eccleſiæ à Friderico Balbo March. Miſnenſ. à ſucceſſore confirmatur.*

Codex MS. noſter ad An. MCCXCIII. notat: donationem cenſûs annui ex XXIV. manſis in *Cöln* trans pontem *Albis*, quam *Fridericus Balbus*, Marchio Miſnenſis An. MCCXCI. defunctus fecerat, prid. Non. Julii An. MCCXCIII. à *Friderico* ejus ſucceſſore, Marchione, & Palatino Saxoniæ, *Miſnenſi* Eccleſiæ eſſe confirmatam. Anno vero ſequenti, idem *Fridericus* Marchio, donationem ſex talentorum annuorum, ex officina monetaria *Freybergenſi* ab *Heinrico* quondam Marchione ad Annum MCCLIV. Eccleſiæ Miſnenſi factam, & à *Friderico*, ejus nepote confirmatam, ratam & ipſe habuit, & approbavit prid. Non. Julii An. MCCXCIV. X. deinde Cal. Auguſti ejusdem anni *Fridericus* idem, Marchio Miſnenſis, & Saxoniæ Palatinus, in compenſationem damnorum, quæ per ſuos præfectos, & judices Miſnenſi Eccleſiæ illata erant, Jus Patronatus Capellæ *Waſſerburgicæ* S. Jacobi cum curte, & omnibus eo ſpectan-

*Fridericus Marchio Miſn. pro damnis illatis ſatis facit Miſn. Eccleſ.*

Digitized by Google

ſtantibus, *Bernardo* Epiſcopo, & Eccleſiæ Miſnenſi tranſcripſit. Tandem *Bernardus* ipſe Miſn. Ep. annuarum VI. marcarum cenſum, quem *Henricus* quondam Marchio, Eccleſiæ ſuæ, fundata nova vicaria, attribuit, ſed longo jam tempore non perſolutum, à *Friderico* Marchione deinceps reſtitui juſſum, ſcripto ad IV. Id. Sept. An. MCCXCIV. teſtimonio, fidem fecit. Quæ ſi ita ſe habeant, ut in MS. Codice noſtro exprimuntur, tota illa procella, quæ Engelhuſio teſte Miſnenſi Eccleſiæ à *Friderico* Marchione incubuit, ad An. MCCXCIV. vel ſequentem referenda erit: cum enim *Eberhardus* Altahenſis in Chronico *Adolphum* Regem, nonniſi An. MCCXCIV. "terras Turingiæ, & *Michſen*, rebellantes ſibi intraſſe, & duobus annis expugnaſſe easdem tradat: Annales vero Colmarienſes An. MCCXCIV. primo circa adventum Domini ejus in *Miſniam* expeditionem notent; dicendum videtur, *Fridericum* Marchionem, quo ſe adverſus *Adolphum* Regem muniret fortius, repugnante licet *Bernardo* Epiſcopo, Cathedralem Baſilicam in horreum convertiſſe. Sed quod Fabricius Engelhuſium incuſet, tanquam ea, quæ ab *Adolpho* Rege facta, Marchioni *Friderico* per errorem adſcripſerit; afferendus ex ſynchrono authore locus eſt, à quo verba Engelhuſius mutuavit. Eberhardus Altahenſis is eſt, qui de *Adolfo* Rege ſic ſcribit: "Anno Domini MCCXCIV. terras Turingiæ, & Michſen, rebellantes ſibi intravit, & duobus annis manens ibidem „expugnavit easdem, & nepotes olim *Friderici* Imperatoris perſecutoris Eccleſiæ, qui easdem terras occupaverant, „ejecit penitus ab eisdem. Poſtquam enim civitatem in „*Freiberch* obtinuiſſet, caſtrum, quod in eadem civitate „extitit, ſubfodi latenter præcepit, & congregatis ibidem „majoribus adverſariis Regis & fortioribus, muri ejusdem „corruerunt. Et idem Rex cum ſuis eandem ruinam

*Bellum in Miſnia ſub Adolpho R.*



Digitized by Google

„præſciens, ſubito impetu omnes, qui in caſtro fuerant, „captivavit, inter quos LX. *(Stero XL. numerat)* viros, „qui magis nocentes fuerant, proſcriptos ante, ſicut ho-„ſtes Imperii, in continenti decapitari præcepit, aliis ad „petitionem ſuorum nobilium pro tempore reſervatis: quod „factum adeo incolas terræ terruit, quod plures eorum de-„ſertis caſtris fugerunt, & ipſe Marchio Michſenſis, cui ad-„huc civitas, & caſtrum in *Michſen* cum paucis caſtellis „remanſerat, ſe ipſius Regis gratiæ ſubdidit, ut Rex illis „parceret, quos de ſervitoribus ſuis in ſuis vinculis deti-„nebat. Quod & factum eſt, & ſic pax eidem terræ red-„iit. Ipſe enim Marchio, præter alia mala, quibus ter-„ram turbaverat, Epiſcopos *(Stero: Epiſcopum)* & Cano-„nicos Michſenſes à ſuis habitaculis, & rebus ejecerat, & „horreum fœni pro equis ſuis fecerat de Eccleſia Cathe-„drali.„ Eadem narrat Stero in Chronico. Annos duos, quos *Adolphus* Rex in ſubigenda *Thuringia*, & *Miſnia* conſumpſerat, ſic explicant Annales Colmarienſes ad An. MCCXCIV. "Rex *Adolfus* circa Adventum Domini *(in fine „hujus anni)* terram *Miſſinenſem* potenter ingreſſus eſt. Ci-„vitas *Miſnia* ei ſe tradidit, caſtella duodecim expugnavit, „totam terram cum magna potentia devaſtavit.„ Et rurſus ad An. MCCXCV. " Rex *Adolfus* in terram *Miſſinen-„ſium* ſtipendiarios transmittebat.„ Ex quibus corrigendus videtur quoad annum Siffridus Presbyter Miſnenſis, quamvis Synchronus, quem Fabricius laudat, & ſequitur: Colmarienſes enim, ut videre eſt, pene Ephemeridas rerum ab *Adolphum* geſtarum ſcribunt. Siffridus omnia ſimul, quæ quarto, quinto, & ſexto ſupra nonageſimum ejus ſæculi annum geſta ſunt, complecti voluiſſe, brevitatis, ut ſolet, ſtudio videtur.

*Fridericus Marchio Miſnenſem Baſilicam profanat: Epiſcopum & Canonicos ejicit.*

Ex

Ex Codice MS. noſtro ſatis apparet, id tempus, quod ab Annalibus Colmarienſibus notatur, bellico tumultu fuiſſe infeſtum: Cùm enim frequentes aliàs per annos ſingulos facti contractus, donationes, emptiones, elocationes memorentur ex Miſnenſium literarum breviariis; ab Anni MCCXCIV. Septembri menſe usque ad Anni MCCXCVI. Majum, altum ab omnibus ſilentium: eædem tamen à Majo deinceps menſe ad Novembrem, pacatis quippe jam rebus, poſtliminio recurrunt. Has inter IV. Non. Septembr. occurrit ea, qua tres manſos Eccleſiæ *Pirnenſi* B. Mariæ V. attribuit literis ea de re Miſnæ Anno MCCXCVI. IV. Non Septembr. Pontificatus ſui IV. datis, quas recitat Horn. Collect. p. 195. Ceterum præcipua eſt donatio pagi *Ludevviz*, quem cum utilitatis jure *Bernardus* Epiſcopus Miſnenſi Canonicorum collegio, prid. Non. Septembr. tranſcripſit. Exeunte dein Octobri menſe, idem collegium Miſnenſe ſtatutum fecit, ne Prælaturæ, & perſonatus Eccleſiæ Miſnenſis, *Mögelenſis*, & *Schevvizenſis*; neve Capella B. M. V. in Aula Epiſcopi, vel S. Joannis Baptiſtæ in Palatio Marchionis, vel S. Jacobi in *Waſſerburg* ulli, præterquam Canonico *Miſnenſi* conferatur. Actum feriâ VI. ante Simonis & Judæ. Addit hoc loco idem Codex noſter, actum in Capitulo *Miſnenſi*, & ſtatutum eſſe factum de *Pirna*, & *Dresda*, tanquam *Miſnenſis* Eccleſiæ proprietate: quid vero de iis ſtatutum ſit, non exprimit. Conjectura eſt, *Pirnam*, & *Dresdam* jam tum à *Bernardo* fuiſſe venditam (id quod Monachus Pirnenſis Col. 1583. & poſt eum Fabricius ad An. MCCXCVIII. ſcribunt à *Bernardo* factum) eaque de cauſa à collegio *Miſnenſi* conſilium eſſe captum, Rom. Pontificis authoritatem, ad vindicanda, & recuperanda Eccleſiæ ſuæ jura, implorandi. Conjecturam firmat *Bonifacii* VIII. P. P. ad Merſeburgenſem An-

*Statuta quædam à Canonicis Miſnenſ. facta.*

Antiſtitem mandatum Cal. Maji. An. MCCXCVIII. miſſum, quod jubet alienata à *Miſnenſi* Epiſcopo, & ejus deceſſoribus bona, ad Miſnenſis Epiſcopi menſam, vel Cameram pertinentia, redintegrari, ac reſtitui. Quid effectum ea in re à Merſeburgenſi Epiſcopo, in præſenti non liquet.

*Pirna, & Dresda venduntur.* Certe tam facile non erat, *Pirnam*, quam teſte Monacho Pirnenſi Col. 1457. "*de conſenſu Capituli Wenceslao* Regi Bohemiæ „ vel etiam *Dresdam*, quam, teſte eodem, *Marchioni Miſnenſi hæreditario jure vendidit*. *Pirnam* certe Albertus etiam I. Imperator Norinbergæ An. MCCXCIX. *Wenceslao* Regi, ac Regno Bohemiæ ſuis literis in perpetuum confirmavit, quas affert Lunigius Spicil. Eccl. Cont. I. p. 838.

Decreſcentibus ita Miſnenſibus Epiſcopi rebus, res Canonicorum Miſnenſium, *Meinheri* Burggravii Miſnenſis opera, à *Wenceslao* Bohemiæ Rege annuo cenſu frumenti, & peculii; à *Theoderico* vero Budiſſinenſi Præpoſito non una acceſſione aucta eſt, ut & Regis, & Præpoſiti literæ An. MCCIC. datæ teſtantur, quas compendio afferunt breviaria noſtra.

*Bernardi Ep. obitus.* *Bernardus* vero Epiſcopus, cum in annum VI. Miſnenſi Eccleſiæ calamitoſiſſimo tempore præſediſſet, IV. Id. Octobris de vitæ ſtatione deceſſit, ut diem ejus obitus notat Necrologium Kemnizenſe: " IV. Id. Octobr. *Bernar-* „*dus* Eps. Miſn. „ Quod omnes de illo prædicant, fundatio eſt Cœnobii *Stellæ Marianæ*, cui & initia nondum Epiſcopus, & nomen dediſſe proditur.

*Fundatio Cœnobii Stellæ Marianæ cur illi ſpecialiter tribuatur.* Fundatorem hujus Monaſterii primarium (quanquam & *Witigo* & *Burchardus*, ut ſupra ex literis Brandeburg. Marchionum oſtenſum eſt ad An. MCCLXIV. in partem venerint) *Bernardum* agnoſcunt Mo-

Monachus Pirnenſis Col. 1583. & Langius in Chronico Citizenſi ad Annum MCCXCIV. De nomine Cœnobii *Stellæ Marianæ* Jacobus Ticinus in Epit. Hiſt. Roſenthal. Cap. I. hæc narrat ex Chriſtiani Pfaltz, Pragenſis Ep. dedicat. "Cum Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Dominus „*Bernardus*, Dominus de *Camentz*, *(poſtea)* in ordine Epi„ſcoporum *Miſnenſium* ſeptimus, & viceſimus, vice qua„piam venatu relaxarat animum, atque ad id loci, ubi „nunc Cœnobium ſitum eſt, qui mire uliginoſus fuerat, „perveniſſet, una cum caballo, cui inſidebat, in uligine „ſubſidit. Quandoquidem vero viribus propriis emergere „non valebat, omnipotentis DEI, ſanctiſſimæque Matris „Mariæ auxilium imploravit, emiſſoque ſimul voto ſeſe ad„ſtrinxit ad fundandum, ædificandumque, ſi diſcrimini „eximeretur, Monaſterium. Poſteaquam igitur noctem „totam ei inhæſiſſet uligini, indeque elabi nequicquam con„tendiſſet; matutino tempore, ante ſolis exortum, fulgente „Phoſphoro, ante ſe caput conſpexit, pullo, candidoque „peplo exornatum: quo viſo, tellus primum ſolideſcere, „tum firma ſubſiſtere, tandem Præſuli, prorſus incolumi, „facilem evadendi opportunitatem concedere. Poſt quem „exoptatiſſimum exitum, voti nuncupati, promiſſionisque „DEO factæ haud immemor, ſub annum 1264. *(quo tem„pore Sereniſſimi Principes, ac Domini, JOHANNES, & „OTTO Marchiones Brandenburgici, ſuperiori Luſatiæ im„perabant)* Parthenium *Mariæ Stellenſe* aſceterion Sacri Or„dinis Ciſtercienſis, in honorem Benedictæ Virginis Ma„riæ, divi Johannis Baptiſtæ, & S. Urſulæ cum ſociabus „*(quarum ſacra Lipſana hic loci reverenter conſervantur)* ex„ſtruendi initium fecit, vicenniumque ipſum ſtruendo in„ſumpſit: etenim anno 1284. ſacratæ DEO Virgines è „veteri *Camencenſi*, urbi adſito, monaſterio in novum ſunt in-

Digitized by Google

„inductæ. Eo ipſo autem in loco, quo *(BERNARDVS,* „*poſtea)* Epiſcopus ſubſiderat, in ambulacro ſacellum ere-„ctum eſt, ubi ſacræ Virgines ſolennioribus anni diebus „ſynaxi ſanctiſſima reficiuntur. - - Fatis tandem conceſſit „*(BERNARDVS)* anno 1321. *(corr. 1299.)* IV. Id. Octobris „in Parthenone iſthoc tumulatus.„ Hactenus ex Pfaltzio Ticinus; & Sartorius in Ciſtertio Tit. XXVIII. p. 1072. Unde à conſpectu Phoſphori *Stellæ Marianæ* nomen ortum eſſe creditur, ut notat Frenzelius in Nomencl. Luſatiæ. Quæ de anno mortis *Bernardi* Ep. Ticinus hic memorat, ex inſcriptione monumenti accepta ſunt, quæ ſic habet. " An. MCCCXXI. die XI. Octobris obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater, ac Dominus *Bernardus* Epiſ. „Miſnenſis, Comes de *Camenz,* Cœnobii *Stellæ Marianæ* „Fundator.„ Sed enim id monumentum An. MDCXXIX. primo inſtauratum eſt: quo tempore & imago *Bernardi,* & laudata inſcriptio etiam facta videtur: cui proinde non multum deferendum. Vide de hoc Carpzov. in Luſat. Sup. Cap. XX. p. 334.

*Unde nomen Stellæ S. Mariæ ortum.*

# XXVII. ALBERTUS III.

*Albertus III. Ep. è gente Leiſnicia.*

De anno electionis *Alberti III.* Miſnenſis Epiſcopi fides habenda Fabricio, qui ad An. MCCXCIX. hæc habet: „In locum demortui *(BERNARDI)* Præſulis declaratur *Al-„bertus III.* Præpoſitus Miſnenſis, è generoſa Comitum „*Leiſniciorum* familia.„ Et vero jam Anni MCCC. principio fuiſſe Epiſcopum, ex literis *Wenceslai* Bohemiæ Regis in Monaſterio *Aulæ Regiæ* prope *Pragam* XIII. Cal. Maji An. MCCC. datis, quibus ſe de *Dresdenſi* Civitate, & Caſtro, de Caſtris item *Radiberch,* & *Donyn,* aliisque una cum

*Wenceslaum R. Bohem. inveſtit de Dresda Civitate,*

cum filio ſuo *Wenceslao*, inveſtitum à Venerabili Ep. Miſnenſi per capucium, ut moris eſt, teſtatur. Literas *Wenceslai* ex Weckenio p. 161, repræſentamus. *& Caſtris Radiberg, & Donyn.*

*Nos WENCESLAUS DEI gratia Rex Bohemiæ, Dux Cracoviæ & Sandomiriæ, Marchioque Moraviæ, Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod nos Civitatis DRESDEN, Caſtri ibidem cum judicio, hominibus ac ſylva, cæterisque pertinentiis ad eam ſpectantibus, nec non Caſtri RADIBERCH, FRIDWALD ſylvæ, ac DONYN Caſtri infeudati cum hominibus, villis, & aliis utilitatibus, juribus, & pertinentiis eorundem, ac aliorum bonorum omnium ubicunque in terra Miſnenſi ſiſtentium, quæ ab Epiſcopatu, & Eccleſia Miſnenſi habemus, & tenemus feudum, inveſtituram à Venerabili ALBERTO Epiſcopo Miſnenſi, ſuo, & ipſius Eccleſiæ nomine pro nobis, & Illuſtri WENCESLAO filio noſtro chariſſimo, prout juris, & moris eſt, requiſivimus, petivimus, & recepimus preſentialiter, eodem Epiſcopo nos inveſtiente per ſuum capucium de eisdem, adhibitis ſolennitatibus aliis, in talibus conſuetis. In cujus rei teſtimonium præſentes literas fieri, & Sigillis Majeſtatis noſtræ juſſimus communiri. Actum, & datum in monaſterio Aulæ Regiæ Ord. Ciſtertien. prope Pragam. An. Dom. milleſimo trecenteſimo, XIII. Kal. Maji, tertia decima indictione, Regni noſtri Anno tertio.* *Wenceslai R. Bohem. ea de re litera.*

Ceterum, qui factum ſit, ut vivente adhuc *Friderico Dresdenſi*, cui *Dresda* in feudum à *Witigone* Ep. Anno MCCXCII. conceſſa erat, ad *Wenceslaum* Regem jam translata ſit, ex literis *Friderici* Miſniæ, & Luſatiæ Marchionis manifeſtum ſit, quas affert Balbinus Miſcell. Decad. I. Lib. VIII. p. 274. Pragæ VIII. Id. Febr. An. MCCXCIX. datas:

*Wenceſlaus Rex Miſniam pro Alberto Imp. adminiſtrat.*

*Fridericum* nempe, ùti nuper patrueli ſuo, *Theoderici* Marchionis *Landſpergenſis* filio, ita nunc *Wenceslao* Bohemiæ Regi *Dresdam* pretio vendidiſſe, quo is vicario *Alberti* Regis nomine (uti ſub An. MCCXCIX. datæ Francofurti X. Cal. Aug. *Alberti I.* Imp. literæ, quas laudat MS. Codex noſter, fidem faciunt) *Miſniam* adminiſtravit.

*Lis Alperti Ep. de Caſtri Stolpenenſ. Vaſallis.*

Fabricius quidem ſub An. MCCXCIX. de *Alberto III.* Miſn. Ep. ſcribit: "Arcem *Stolpenam* hic recuperavit." Nihil de hoc Miſnenſium literarum breviaria, ſed ad An. MCCCV. litem memorant, quæ *Alberto III.* de Caſtro *Stolpen* cum *Henrico* de *Wergenvviz*, *Tizone* de *Willentin*, *Hermanno*, & *Gunzelino* de *Budeſin* interceſſit. Narrant porro, "compromiſſum ab utraque litigantium parte in „*Fridericum* Marchionem *Dresdenſem* factum: *Albertum* „vero Epiſcopum palam teſtatum eſſe: nec ſe, nec ſucceſ„ſores ſuos, vel *Arnoldum* de *Hugisvvald*, vel ejus libe„ros, ac poſteros, *Stolpenſis* Caſtri cauſa incuſare velle, il„los vero, qui ſub ſua, & Eccleſiæ Miſnenſis ditione ma„nere velint, pro ſuis ſe agnoſcere, ac tueri velle: Siqui „maneri nolint, liberum iis eſſe, bona ſua vendere, ſed „iis, à quibus Eccleſiæ ſuæ nec damnum, nec periculum „eſſe poſſet; & tunc pro auri libra, marcas decem *(argen„ti, credo)* ſolvendas." Ex qua verborum obſcuritate, illud tamen videtur colligi poſſe, non de Caſtro *Stolpen*, ſed de Vaſallis, ac ſubditis controverſiam extitiſſe.

*Fridericus Marchio Miſnenſis Privilegia Miſnenſis*

An. MCCCVIII. XI. Cal. Sept. ut fidem faciunt Miſnenſes literæ, *Fridericus* Landgravius *Thuringiæ*, & Marchio Miſnenſis, ac Orientalis, Dominus Provinciæ *Pleiſenſis*, Privilegia omnia, immunitates, ac donationes omnes, nominatim, quæ à Rom. Pontificibus, Imperatoribus, & ab

ab avo ſuo *Friderico II.* Imp. ejusque ſucceſſoribus Miſnenſi Eccleſiæ collata ſunt, rata habuit, & confirmavit: promiſitque, pro virili ſe curaturum, ut, quæ à præfectis ſuis Eccleſiæ Miſnenſi illata damna ſunt, ex deinceps compenſentur. *Miſnæ*, XI. Cal. Sept. An. MCCCVIII. Nec multo poſt *Fridericus* beneficum ſe erga Miſnenſem Eccleſiam exhibuit, annua frumenti, cenſusque largitione ad alendum in honorem SS. Crucis, B. Martini, & S. Donati, beneficiarium ſacerdotem conſtituta IX. Cal. Novembr. An. MCCCVIII. Atque iſtud fortaſſe eſt, quod Fabricius ad hunc annum in Supplem. notavit: "*Fridericus* Landgra„vius Turingiæ auget reditus Miſnenſes, teſtibus *Gunthero*, „& *Henrico Suarzeburgiis.*„ *Eccleſiæ confirmat.*

An. MCCCIX. cum ad preces *Friderici* Landgravii Thuringiæ & Marchionis Miſniæ *Waltherus* quidam, Artium Magiſter in Canonicorum Miſnenſium collegium ſuſceptus eſſet; vererenturque Canonici, ne id collegii ſui juribus aliquando fraudi eſſet, eo maxime, quod & *Burkardus*, Magdeburgenſis Archiepiſcopus à Rom. Pontifice impetraſſet, ut ſi beneficium quoddam vacaret in Miſnenſi Eccleſia, id conferretur illi, quem ipſe nominaret; *Fridericus* Marchio, metum non injuſtum ratus, datis Dominica Septuageſimæ, quæ erat VII. Cal. Febr. literis ſcripto cavit, nequid præjudicii collegii majoris juribus inde naſceretur. Ita rurſum MS. Codex noſter. *Walthero AA. Magiſtro Canonicatum Miſnenſem impetrat, non ſine cautione.*

An deinde MCCCXI. cum in diſtributione annui Canonis ex proventu Eccleſiæ Miſnenſibus Canonicis ſolvendi, difficultas nonnulla exiſteret, habito ea de re conſilio, decretum eſt, ut bifariam adminiſtratio partiretur, portionesque majores octo pro VI. Canonicis, & duobus vicariis, & Hoſpitali; minores totidem pro duobus vicariis Epiſcopalibus, & Hoſpitali ſervarentur. Id ſtatutum VII. *Canonicæ portiones definitæ.*



Digitized by Google

Cal. Junii in literas relatum eſt: unde hæc accepimus. Fundi, ex quibus cenſus peteretur, ſunt *Schilau*, *Schrenvviz*, *Lobſchiz*, *Breſniz*, *Rotheboriz*, *Altenfrancken*, *Cozebude*: *Mögeln*, *Franckenberg*, *Plauniz*, *Liippe*, *Piſcopiz*, *Cnaſchmiz*, *Gline*.

*Alberti III. obitus.* Mortem Alberti III. quod jam nulla deinceps ejus fiat mentio, cum Fabricio, conſignamus, ad annum MCCCXII, cujus hæc ſunt verba: "Albertus III. Præſul obit V. Non. „Martii. „

# XXVIII. Witigo II.

*Wilhelmum Alberto III.* ſucceſſorem Fabricius dat, ſed præter Fabricium nemo: Chronicon Coldicenſe diſerte ſcribit: "*Witicho* poſt mortem agnati ſui *Alberti* An. „MCCCXII. Miſnenſem adeptus eſt Epiſcopatum. „ Albinus libere pronunciat, Fabricium errore lapſum, id, quod ſe oſtenſurum ſuo loco (in Chronico, opinor, Epp. Miſn. quod meditabatur) promittit. Tacent de *Wilhelmo* Monachus Pirnenſis, Hiſtoria Epp. Germ. MS. Codex noſter; Leuberus. Quin Fabricius ipſe, omiſſum ab aliis *Wilhelmum* fatetur: „quia deſignatus tantum fuit, aut munus al„terius obivit vicarium, aut bellorum tumultu non potuit „frui poſſeſſione libera „ addit tamen: "In libellis duarum „donationum nomen ipſius inveni, quod in vulgaribus Ca„talogis non legitur. „ Et certe, ſi etiam Epiſcopus fuiſſet *Wilhelmus*, exiguo tempore fuerit, neceſſe eſt: *Witigonem* enim II. jam hoc anno, quo *Albertus III.* deceſſit, creatum fuiſſe Epiſcopum, ex eo manifeſtum fit, quod ipſis jam Calendis Januariis An. MCCCXIII. *Witigo* Ep. Viduæ

*Sey-*

Digitized by Google

*Seyfridi de Daubenheim* cenſum annuum ex *Binevviz*, & *S. Gotthardo* conceſſerit, ut refert MS. Codex noſter.

*Witigonem* ex gente *Leiſnicia* fuiſſe putabat Fabricius, ſed id Albinus negat, cumque *Colditiis* cum Thammio vindicat, & recte: *Conradus* enim à *Spremberg* in confirmatione literarum, quas *Witigo II.* Miſn. Epiſ. in favorem liberorum *Hermanni*, *Golſſynenſis* Burggravii *Dobirlucenſi* Cœnobio dedit, *Witigonem* Miſnenſem Epiſcopum, fratrem Domini *Henrici* dicti de *Colditz*, & ſororium Domini *Johannis*, dicti de *Senftemberg*, appellat: ut videre eſt apud Ludevvig. Rel. MS. T. I. p. 285. *Witigo II. Ep. ex gente Colditia.*

An. MCCCXIV. cum *Ulricus* Naumburgenſis, ſive Cicenſis Epiſcopus præter annuum V. librarum cenſum, jus etiam Patronatus in Eccleſia pagi *Gröbenſis* Miſnenſi Eccleſiæ XII. Cal. Febr. contuliſſet; *Witigo* etiam Miſnenſis Epiſcopus ſymbolam addidit, & VII. librarum cenſum annuum ex *Kauffbach* pago pro vicaria SS. Jacobi, & Georgii, VIII. Id. Martii adjecit, ut refert MS. Codex noſter.

Vigebat per id tempus in *Miſnia* cultus *S. Annæ*, Chriſti aviæ, & quotidie augeſcebat: eam populi pietatem, ut non conſervarent modo, ſed augerent etiam, cum *Burckardus* Magdeburgenſis Antiſtes, tum *Witigo* ipſe, & collega *Fridericus* Brandeburg. ac *Reinhardus* Havelbergenſis, Epiſcopi, XL. dierum indulgentiam, piis S. Matris cultoribus ad ejus aram, Novembris principio An. MCCCXV. conceſſerunt. Id. ibidem. *S. Annæ cultus in Miſn. promotus.*

An. MCCCXVI. *Seuſelizenſis* Cœnobii Antiſtita de conſenſu Virginum ſuarum, quæ S. Claræ inſtituta profitebantur, *Witigoni Ep. jus Patronatus Eccleſiæ*

*Dresdenſis à Seuſelizenſi Virg. Cœnobio defertur.*

tur, jus Patronatus omne, quod iis munificentia *Henrici* ac *Friderici*, Miſnenſium Marchionum, in *Dresdenſem* Eccleſiam competebat, *Witigoni* Epiſcopo, ejusque ſucceſſoribus, & Miſnenſium Canonicorum collegio Non. Novembribus tranſcripſit. Ita MS. Codex noſter. *Witigo* ipſe, cùm & ab *Henrico*, Decano Miſnenſi, & ab *Ulrico de Dieben*, annui censûs aliquid, cum prædio *Omasvviz*, & agri aliquot jugeribus donaretur, totum Eccleſiæ Miſnenſi, aræque S. Crucis, ac Deiparæ Virginis ſub porticu nuper ab eodem *Ulrico* erectæ, attribuit: decimas vero *Neukirchenſes* Prochotrophio S. Laurentii, quas *Sivvocho* Vicarius nuper emerat, benigne conceſſit An. MCCCXVII. Id. ibid.

*Witigo Ep. tutelam liberorum Hermanni Burggrav. Golſyn. ſuſcipit.*

An. MCCCXVIII. cum *Hermannus* Burggravius de *Golſyn* occiſus, prædæque hoſtiliter actæ eſſent, Abbas vero, ac Cœnobitæ *Dobirlucenſes* in ſuſpicionem ejus facinoris vocarentur propterea forte, quod cædes ea à colonis ei Monaſterio ſubjectis patrata eſſet; *Witigo* tutelam orphanorum *Hermanni* filiorum ſuſcepit, & cauſam, in qua Abbas, ac Conventus à cædis ſuſpicione ſe purgarent, in has leges compoſuit, quas literæ, ab Hoffmanno T. IV. Luſat. p. 185. & Ludevvigio MS. Reliq. T. I. p. 279. relatæ, exhibent in hunc modum.

*Literæ ejusdem ea in cauſa.*

*Nos WITHEGO, DEI gratia, Miſnenſis Epiſcopus, tutor puerorum olim nobilis Viri Domini HERMANNI Burggravii de GOLSTN; HENRICUS & THIMO fratres Germani de COLDITZ; JOHANNES de SENFTENBERG, RICHARDUS, & HENRICUS de DAMIS confratres: OTTO de WITIN, cum fratre ſuo, OTTO de BURNIS & OTTO de ILBURG junior cum ſuis fratribus, amici, & conſanguinei dictorum puerorum, tenore preſentium recognoſci-*

*ſcimus, & publice profitemur, quod concordiam veram, & integram ſuper morte, & damnis in perſona præfati Domini* HERMANNI *Burggravii, perpetratis inter nos nomine dictorum puerorum, & amicos, & conſanguineos eorundem ex una, reverendum virum Dominum* VLRICVM *Abbatem & & Conventum in* DOBIRLVG, *ac omnes, qui ſunt ſuſpecti de morte, & rapinis prædictis ex parte altera factam, promittimus bona fide, & ſine omni arte mali ratam, & gratam, ac inviolabilem obſervare, nec contra eam aliqualiter per nos, vel alios de jure vel de facto aliquo tempore venire, renunciantes per præſentes omni juri, quod nobis, & dictis pueris nunc & impoſterum poſſet competere de facto, vel de jure pro morte, & damnis prædictis. Et nos* WITHIGO, *Miſnenſis* Eccleſiæ *Epiſcopus, tutor eorundem puerorum ſpecialiter promittimus bona fide præfato Domino* VLRICO *Abbati, & conventui ſuo pro dicta concordia ſtare, & pro poſſe, pro ipſa nos opponere contra omnem hominem, eandem de jure volentem impugnare, coram Domino noſtro* WOLDEMARO, *Brandenburgenſi* LVSATIÆ *Marchione, vel alio judice legitimo quocunque, usque ad legitimam ætatem pueri ſenioris inter prædictos pueros, ſecundum Marchionatus* LVSATIÆ *conſuetudinem, ſive morem, quem tunc ſtatuemus coram dicto Domino Marchione* WOLDEMARO, *vel alio judice legitimo, ad obligandum ſe pro ſe, & fratribus ſuis per ſuas patentes literas, quod præfatam concordiam bona fide, & ſine omni dolo ratam, & gratam, ac inviolabilem obſervabit, nullo tempore per ſe, vel alios, ſeu alium violandam, quo facto ab obligatione prædicta debemus, & volumus eſſe abſoluti. Item tenore præſentium recognoſcimus, proteſtantes, quod dictus Dominus* VLRICVS, *Abbas, & ſuus conventus pro emenda de nece, & damnis in prædicto Domino* HERMANNO, *Burggravio perpetratis ſine conſenſu, & juſſu, &*

*volun-*

Digitized by Google

*voluntate penitus ejusdem Domini VLRICI, Abbatis, & ſui conventus, dederunt, & ſolverunt nobis WIT. Epiſcopo Miſnenſi nomine dictorum puerorum trecentas, & triginta ſexagenas groſſorum Pragenſium monete in uſum,* & *utilitatem eorundem puerorum, & non in aliud convertendas. Nomine vero teſtamenti pro remedio anime ejusdem Domini HERMANNI Burggravii dictus Dominus VLRICVS, Abbas, & ſuus conventus in Monaſterio DOBIRLVG facient capellam de lateribus, & in ea conſtruent unum altare in loco, quem ipſis nos WIT. oſtendemus. In quo dicti Domini HERMANNI Burggravii memoria perpetua debet haberi. Nomen etiam ipſius in noſtrorum rotulo conſcrivabitur mortuorum, & ſuo tempore in capitulo recitabitur, ubi tunc pro ejus animo fratribus dicenda injungetur oratio ſpecialis. Inſuper totius Ordinis Ciſtercienſis fraternitatem ejus animæ procurabit, ut particeps ſit omnium bonorum actuum in Miſſis, vigiliis, eleemoſinis, que in eodem ordine ſolent fieri jugiter pro defunctis. Sed & uxori ejusdem Domini HERMANNI, ac ſuis liberis univerſis præfati Ordinis plenarium participium bonorum operum ordinabit, ut omnium conſortes ſint in vita pariter, & in morte. Acta ſunt hæc anno Domini MCCCXVIII. proxima quarta feria poſt Dominicam, qua contatnr: JVBILATE. Teſtes hujus rei ſunt Dominus JOHANNES de LANDESBERG, GVNTHERVS de TZYNNITZ, CONRADVS de OPIN, milites, famuli ſunt NICOLAVS de BATTANSTORFF: FRIDERICVS de GRVNRODE, nec non Dominus CONRADVS Præpoſitus in DAMIS, Dominus GVNTHERVS, plebanus in KIRCHHAIN; JONANNES, dictus de SCHAKOW plebanus in SVNNENWALDE, & alii quam plures fide digni. In cujus rei teſtimonium præſentem literam conſcribi fecimus, ac noſtris Sigillis duximus roborandam.*

An.

Digitized by Google

An. MCCCXIX. *Witigo* Epiſcopus, ut habent rerum Miſnenſium breviaria, feriâ VI. ante Dominicam IV. Quadrageſimæ, prædium in *Schilovve*, cum pago ipſo & omnibus juribus Miſnenſibus Canonicis tranſcripſit. IV. vero Calendas Julii, cum de templo in *Rickirsdorff* erigendo ageretur; literis ea de re *Dresdæ* datis, quas recitat Ludevvigius Reliqu. MS. T. I. p. 286. poteſtatem fecit, ceteraque, quæ ſeu ad Parochi officium, ſeu annuum reditum pertinent, ordinavit. Literæ *Witigonis* ſic habent: *Witigon. Ep. ordinationes de prædio Schilovve.*

*In nomine Domini amen. Nos WITHEGO DEI gratia Epiſcopus Eccleſie Miſnenſis. Cum ex officii noſtri debito ad augmentum divini numinis intendere teneamur, ut in villa RICKIRSTORF filialis Eccleſia de novo edificetur ad ampliandum cultum divinum ſub infra ſcriptis modis, & ſpecificationibus indulgemus. Plebanus ſiquidem in FREDRICHSTORF, qui pro tempore fuerit, in dicta filiali Eccleſia ſemel in ſeptimana unam Miſſam pro ſuo arbitrio tenebitur celebrare. Cui videlicet plebano de agris ſue parochie decimam, ſeu annonam miſſalem ſolventibus, dimidius modius ſiliginis præter priorem decimam, ſeu annonam miſſalem per totam parochiam annuatim à quolibet perſolvetur. Item reverendus vir, Abbas in DOBIRLVG filiali Eccleſie unum manſum proprietatis, titulo in dotem ſpecialem libere aſſignavit. Plebanus vero in FREDRICHSTORF dotem in RICKIRSTORF edificare tenebitur ſuis laboribus & expenſis. Cuſtodi quoque, qui pro tempore fuerit, de qualibet domo duo denarii dabuntur. Et ſi pro defuncto ſepeliendo, ſponſa intronizanda, vel puero baptizando ipſe plebanus requiſitus fuerit, attendere debebit cum cuſtode miniſtrata eis procuratione congrua, & honeſta. Sub his modis edificationem predicte filialis Eccleſie per nos indultam preſentibus confirmamus. In cujus rei teſtimonium Sigil-* *de Templo in Rickirsdorff.*

*lum noſtrum huic litere eſt apenſum. Actum & datum in DRESDEN An. Domini MCCCXIX. in vigilia beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum.*

*Witigo Ep. Joanni Bohem. Regi adeſt in cauſa Marchia Budiſſenſ. &c.*

His pro munere Epiſcopi recte diſpoſitis, *Joanni* deinde, Bohemiæ, ac Poloniæ Regi affuit, cum *Henricus* Dux Sileſiæ, ac Dominus in *Javver*, ac *Furſtenberg* juri ſuo in *Budiſſenſem*, *Luſicenſem*, ac *Lubucenſem* Marchiam cederet, eamque cum *Francofurtenſi*, quæ ad *Oderam* ſita eſt, civitate, in Regem Bohemiæ transferret. Id ad X. Cal. Octobris in Caſtris prope *Olſnitz* actum, ut habent literæ apud Ludevvigium Reliqu. MS. T. VI. p. 3. quarum in fine hæc apud Balbinum Miſcell. T. VIII. p. 268. leguntur: "Teſtes „autem, coram quibus tractatus hujusmodi ſunt habiti, „vel ordinati, Venerabilis Pater *Witko*, Miſnenſis Ep. Il„luſtris Princeps Dominus *Nicolaus*, Dux *Oppavienſis*, nec „non Nobiles Viri D. *Petrus* de *Roſenberg* &c. Datum in „Caſtris prope *Olſnitz*, decimo Calendas Octobr. Anno „MCCCXIX.„

*Witigo II. Ep. contractum de urbe Dresda init cum Friderico March.*

Non multo poſt, feria nempe III. poſt feſtam S. Michaëlis lucem de *Dresda* civitate initus à *Witigone* Ep. contractus eſt cum *Friderico* Marchione, in hunc modum: ut ex Weckenii Hiſt. Dresdenſi, p. 163. diſcimus.

*Ejus ſuper re hac litera.*

*Wir Witego von Gotis gnaden Biſchof zu MISNE, bekenen an diſen offenen brieffe, das zwiſchen unſeren hern Marggreuen FRED. von MISNE, und uns, und unſeren Gotishuſe haben gedeydiegit der Achpar herre Biſchoff HEINRICH von NVENBVRG, Graue HEINRICH von SCHWARTZBERG, Burcgrave ALBRECHT von ALDINBVRG, und herr ALBRECHT von HACKEBORNE in ſulche*

*che vviſ, also hirnach gescrebin ſteit, dat unſe herre, der Marcgrave von MISNE ſcol uns, und unſe Gotishuſe, und unſe Thumherren, und unſe Pfaffheit hie allen unſern rechte lazſen, und ſol uns gütlychen tun, daſſelbe ſolle vvie vvieder tun, keigen unſern herrn den Marcgraven; Sie heben auch geteidinget umme die Stadt zu DRESDEN, das unſe herre de Marcgrave ſal uns gebin Tuſint Schock groſſer Pfennige, vor die Stadt zu DRESDEN, de ſol he uns gebin Zvveyhundert Schock an deme neſtin Dinſtage nach Sente Simonis, & Judæ tage der neiſt kumt, und ſol uns darnach in dem achten tage vor des heiligen Chriſts-tage, der darnach kumit, achthundert Schock bezahlen, das geld ſoll man uns leiſten zu NVTZTZIN, uff dieſelbige Tage, ginge uns NVTZTZIN abe, ſo ſoll man itz leiſtt zu MOGELYN &c. &c. Darume antvvortte vvir WITTEGO, Biſchoff zu MISNE die Stadt zu DRESDIN unſerm herrn Biſchoff HEINRICH von NVENBVRG der ſal ſie haben zu unſir hand, ob unſe herre Marggraf FRED. von MISNE alle diſe rede nicht ente, noch volvvorte vor dem tag, als vorgeſchriben iſt, ſo ſoll unſe herre der Biſchoff von NVENBVRG, uns die Stadt zu DRESDEN vvieder antvvortten, und die Bürger ſollen die hulde ledig ſeyn, und man ſoll die brieffe der hulde vvieder antvvortten, gingen vvir abe, das Gott nicht envvolle, ſo ſoll man alle dieſe Rede alſo vvie beſchrieben iſt, unſerm Capitulo ganze, und ſtet halten &c. &c. Dez haben vvir dieſen brieff gegebin verſiegelt, mit unſem, und mit unſis Capitulis, mit unſis ohmen WITEGEN von CAMENTZ, und mit unſis brudirs HENRICH von COLDITZ ingeſiegeln, das iſt geſchen zu MISNE nach Gotis Geburt Tuſint Jahr, Drihundirt Jahr, in dem Nunzendin Jahre, an dem Neſtin Dienſtag nach Sente Michaëls-tage.*

*Perſoluto pretio Dreſdam Marchioni tradit.*

Cum vero *Fridericus* Marchio, cognomento *admorſus*, mille groſſorum Pragenſium ſexagenas (quod genus monetæ hoc tempore valde in uſu erat) *Witigoni* ex pacto perſolviſſet; idem Antiſtes feria III. poſt Dominicam: *Gaudete* (quæ adventus Domini eſt ultima) *Henricum Naumburgenſem* Epiſcopum, quo velut ſequeſtro contrahentium pars utraque utebatur, literis ex *Nuzzin*, ſeu *Noſſin*, datis oravit, ut *Dreſdam* oppidum *Friderico* Marchioni traderet, pleno jam jure poſſidendum. Extant *Witigonis* ea de re literæ apud Weckenium p. 165. in hunc modum:

*Witigonis Ep. ea de re litera.*

*Venerabili in Chriſto fratri, ac Domino, Domino HEINRICO Epiſcopo NUENBURGENSI. WTTEGO DEI gratia Ep. MISN. obſequioſam ad ipſius beneplacita voluntatem noveritis, quod Illuſtris Princeps, Dominus noſter, Dominus FREDERICUS, Miſnenſis, & Orientalis Marchio per fideles ſuos, CONRADUM de NUENSTAD, noſtrum Canonicum, NICOLAUM, Notarium ſuum, & JOHANNEM de ZEIZSCEN Militem, Capitaneum in MISNA, die Dominico, quo cantatur: GAUDETE, pro opido DRESDEN, in caſtro noſtro NUZZIN nobis dedit, & perſolvit plene, & benevole mille ſexagenas groſſorum Pragenſium, de quibus eundem Dominum noſtrum Marchionem quitum dicimus, & omnimode abſolutum. Unde petimus, & veſtre Reverentie committimus per hec ſcripta, quatenus dicto Domino noſtro Marchioni predictum opidum DRESDEN preſentare ſtudeatis, vel cui ipſe dictus Marchio ſuo nomine mandaverit preſentari. Datum NUZZIN feria ſecunda poſt Dominicam: GAUDETE, (iſt der letzte Sontag des Advents) An. Domini MCCCXIX.*

Hac

Hac ratione *Dreſda* in jus *Miſniæ* Marchionum transiit, qui cum ſedem ſubinde ſtabilem ibi definiſſent ſuam, celebritatem primum urbi, ac frequentiam, tum etiam viſendam hanc, ad quam adolevit, magnificentiam addidêre. Paulo ante, quam in poſſeſſionem urbis mitteretur Marchio, Miſnenſi Eccleſiæ pagos *Rodevviz* & *Clezk*, qui Miſnenſis Burggravii erant feuda, à Marchione illi conceſſa, ſed tum à Miſnenſis Eccleſiæ Canonicis comparata, in perpetuum transſcripſit XII. Cal. Novembr. ut refert Codex noſter MS. Premebat tamen cura *Witigonem* Ep. Miſnenſem haud paulo gravior ex contractis ab *Alberto* deceſſore nominibus: ſed abſolvit ea illum cura, egregia *Henrici*, ac *Thimonis* de *Colditz* liberalitas, qui quam ob præſtitam *Alberto* Epiſcopo operam, aliarumque expenſarum cauſa, exigere jure poterant, argenti ſummam, ejus ſe jure omni, Fer. III. poſt Dominicam *Lætare:* quæ verni jejunii quarta, ultro abdicarunt, ut referunt Miſnenſium literarum breviaria. Quæ res tanto ſuavius affecerit *Witigonem*, quanto plura erant nomina, quibus ſubjecta Miſnenſi Eccleſiæ oppida, *Oſſez* nempe, *Grimes*, *Colditz*, *Nuzin*, & *Mögeln* gravabantur. Fabricius ad An. MCCCXX. hæc addit: " *Witigo* Præſul *Ulrico* Abbati Chemnicenſi, „avunculo ſuo, dignitatem Archipresbyteri, donat, eique „jus Parochiæ *Chemnicenſis* aſſignat. „

*Thimonis de Colditz liberalitas in Eccleſiam Miſnenſem.*

An. MCCCXXI. Fer. III. ante feſtum S. Matthæi *Clotſchavienſis* pagi Eccleſia, nuper à pia plebe ædificata, à *Witigone* Ep. Parochiæ jus impetravit, ea tamen lege, ut *Dresdenſi* Parocho, ad cujus adminiſtrationem eatenus pertinebat, cenſus aliquid annui, pro oblationibus, quibus deinceps illi carendum eſſet; Parocho vero *Clotſchavienſi*, frumenti modus certus quotannis ab ejus pagi incolis dependeretur. Ex. Cod. MS.

*Clotſchavienſis Eccleſia fit Parochialis.*



Digitized by Google

An. MCCCXXIII. *Eliſabetha* Landgravia Thuringiæ, & *Fridericus* ejus filius, ac hæres contulerant *Witigoni*, ejusque in Miſn. Eccleſia ſucceſſoribus, jus Patronatus in Parochiam *Mittvveida*, Dominica poſt S. Bartholom. *Witigo*, qui Canonicorum ſuæ Eccleſiæ rationem habebat maximam, III. ſtatim Id. Septembr. ſanxit, ne orbata deinceps rectore ſuo Parochia *Mittvveidenſis* alteri, prætorquam Canonico Miſnenſi conferretur, irrita declarata, ſi qua alia fieret, collatione. Retulerunt illi gratiam Epiſcopo, ex eorumque numero *Henricus*, & *Albertus de Guben*, emptum cum aliis acceſſionibus pagum *Kemniz*, *Breſenizio* vicinum, ad uſum fabricæ Eccleſiæ Miſnenſis, deſtinarunt Anno ſequenti. Auxit eam donationem biennio poſt *Henricus de Gubin*, Præpoſitus *Hainenſis*, & *Sebotho*, ac *Hermannus* vicarii ſuam quoque ſymbolam addidêre. An. MCCCXXVI. Ex Cod. MS.

*Jus Patronatus in Parochiam Mittvveida Witigoni Ep. collatum.*

Anno MCCCXXVII. *Fridericus* cognomento *gravis*, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Miſnenſis, poſtquam pater ejus *Fridericus Admorſus* XVI. Cal. Decembr. Anno MCCCXXIV. poſt longam ex apoplectica affectione invaletudinem defunctus eſt, perpetuum lumen in Baſilica *Miſnenſi* pro ejus, ac majorum ſuorum pia memoria fundavit Id. Decembr. An. ſubinde MCCCXXIX. annuas IV. marcas in eundem finem ex pago *Meſſau*, cum Sacellis S. Margarethæ, & S. Joannis Baptiſtæ addidit menſe Julio fer. IV. poſt feſtum SS. Petri, & Pauli, cumque ne ſic quidem ſatisfaceret ſuæ in defunctum parentem ſuum pietati, novam præbendam ex *Hainenſi* telonio adjecit, & Canonicis annuas Patri ſuo exequias celebraturis ſexagenam groſſorum, dimidium vero ſexagenæ eorundem vicariis, inde dependi juſſit in feſto S. Donati. Ex. Cod. MS.

*Fridericus Gravis, Marchio Miſn. annuam memoriam Friderici Admorſi, Patris ſui fundat.*

Dum

Digitized by Google

Dum hæc pie à Marchione Miſnenſi ſuſcipiuntur. *Henricus* Dux *Sileſiæ*, Dominus de *Furſtenberg*, & in *Javver* Civitatem ſuam & terram *Gorlitzenſem*, *Johanni Lucemburgico*, Bohemiæ, & Poloniæ Regi vendidit, ut ejusdem oſtendunt literæ *Wratislaviæ* in die inventionis Sanctæ Crucis An. (non ut habet Ludevvigius Reliq. MS. T. VI. p. 5. MCCCXIX. ſed ut Balbinus Miſcell. Lib. VIII. p. 270. & Hoffmann. Luſat. Tom. IV. p. 188.) MCCCXXIX. datæ, quibus inter teſtes primo loco, *Witigo* noſter, *Miſnenſis* Epiſcopus, ſubſcripſit, & Sigillum appendit.

*Henricus Dux Sileſiæ vendit Gorlizenſem terram Joanni Bohemiæ Regi.*

Idem An. MCCCXXX. feria IV. poſt Dominicam: *Invocavit*, (quæ eſt I. Quadrageſimæ) ad preces *Henrici de Trebiſſim*, decimas ex villis *Sachſendorffvvalde*, & *Fridemisvvalde* Eccleſiæ *Bauſſenſi*, ab eodem conſtructæ, & ab Eccleſia *Trebeſſinenſi*, cui prius ſubjecta erat, exemptæ attribuit, literis *Worzenæ* datis, quas recitat Menckenius T. III. in Mantiſſa Dipl. Leisnic. Col. 1043. in hunc modum.

*Witigonis Ep. literæ de decimis Eccleſiæ in Bavvſſ.*

*In nomine Domini amen. Quoniam ea, quæ geruntur in tempore ſimul recedunt cum lapſu temporis, unde neceſſarium eſt ea poni in ſignis teſtium, vel ſcripturis memoria perbenni &c. Hinc eſt, quod nos WYTHEGO DEI gratia Epiſcopus Miſnenſis omnibus præſentem literam inſpecturis volumus eſſe notum. Quod veniens ad nos ſtrenuus vir HENRICVS de TREBISSIM nobis humiliter ſupplicavit, quatenus decimas in villis SACHSENDORFFWALDE prope SACHSENDORFF, & FRIDEMISWALDE, quam à nobis juſto titulo tenuit feodali Eccleſiæ, Parochiali in BAWS de novo per eum conſtructæ, & ab Eccleſia Parochiali TREBESSIN, cujus filia extitit, per eundem, exemptæ, dignaremur dictæ Eccleſiæ in BAWSS appropriare. Quæ decima in dictis villis*

*ſitis*

*ſitis taliter eſt recipienda. In villa SACHSENDORFF de XVIII. manſis tria maldaria ſiliginis, & totidem avenæ, GRYMENSIS menſuræ. In villa FREDEMISWALDE de XVIII. manſis tria maldaria ſiliginis, & totidem avenæ, parvæ menſuræ. In villa BAWSS de XIIII. manſis, de quolibet manſo I. modium ſiliginis, & unum avenæ, GRYMENSIS menſuræ. Cujus precibus venerabilibus benigne annuentes, omnem decimam prænarratam, quam ad manus noſtras dictæ Eccleſiæ reſignavit, de conſenſu unanimi, & voluntate noſtri Capituli, videlicet honorabilis viri Domini A. L. (i. e.) ALBERTI de LYSSNIGK, noſtræ majoris Eccleſiæ Præpoſiti, Lu. Decani appropriamus, donamus, & præſentibus in his ſcriptis Eccleſiæ in BAWSS appropriamus, & donamus. In cujus rei teſtimonium Sigillum noſtrum præſentibus eſt appenſum. Et nos AL. DEI gratia, Lu. Decanus, totumque Eccleſiæ Miſnenſis in ejus rei evidentiam Sigillum noſtri Capituli apponimus. Datum WVRTZEN, An. Domini MCCCXXX. feria quarta poſt INVOCAVIT.*

*Joanes R. Bohem. Glogoviam emit à Joanne Duce Sleſiæ.*

An. MCCCXXXI. *Witigo* iterum *Joanni Lucemburgico*, Bohemiæ Regi præſto fuit *Glogoviæ* Cal. Octobr. quo die *Glogoviam* cum omni jure Rex à *Joanne* Duce *Sleſiæ*, & *Steinaviæ* Domino comparavit, quod ex literis *Joannis* Ducis Sleſiæ, & Domini Stinaviæ diſcimus, quas afferunt Somerſpergius in Cod. Dipl. Sileſ. p. 871. & Ludevvig. Rel. MS. T. V. p. 621. poſt Balbinum Miſcell. L. VIII. p. 212. Inde Pragam usque ſecutus Regem, teſtem iterum egit, cum *Boleslaus*, *Wenceslaus*, & *Ludovicus* Duces Sleſiæ, & Domini *Lignicenſes*, terras ſuas, civitates, & caſtra *Legniz*, *Goldberg*, *Haynavv*, *Brig*, *Olavv*, *Grotkavv*, *Nimptz*, *Biezen*, *Landisberg*, *Cuntzenſtadt*, *Counovv*, & *Treventze* cum territoriis ſuis, *Joannis* Bohemiæ, & Poloniæ Regis ditio-

*Idem Legniz, Brig &c. à Boleslao, Wenceslao, & Ludovico*

ditioni ſubmitterent, eademque ab illo in feudum perpetuum, & hæreditarium reciperent: ut fidem faciunt literæ, *Pragæ* Id. Decembr. An. MCCCXXXI. datæ, & à *Nanckero* Wratislavienſi, & *Witkone* Miſnenſi Epp. Sigillis firmatæ: quas recitat Sommerſperg. in Cod. Diplom. Sileſ. p. 898. & Ludevvigius Reliqu. MS. T. V. p. 608. *Sileſ. Ducibus acquirit.*

An. MCCCXXXII. *Rudolphus* Dux Saxoniæ, Angriæ, Weſtphaliæ, Comes de *Brene*, & Magdeburgenſis Burggravius *Turgoviæ* in feudum à *Witigone* Miſnenſi Ep. accepit Caſtrum *Poluch*, & villam *Breſin*, ad quæ VI. pagi pertinebant in præfectura *Müllbergenſi*. Ex Cod. noſtro MS. Frequens hoc, & ſequentibus annis quatuor, ſed minutis fere de rebus *Witigonis* fit mentio in Miſnenſium literarum breviariis, quam conſulto prætermitto. Extant præterea ejus literæ, quibus vineam prope *Gubyn* civitatem ſitam, *Dobirlucenſi* Diœceſis ſuæ Cœnobio, ab *Haynemanno* ſacerdote donatam confirmat, quas recitat Ludevvigius Reliqu. MS. T. I. p. 326. in *Mogelyn* Cal. Februar. Anno MCCCXXXIV. datas.

An. vero MCCCXXXVII. *Witigo* rurſus inter Teſtes comparuit Fer. V. inter Octavam Epiphaniæ cum *Bolko*, Dux *Munſterbergenſis Strelin*, civitatem ſuam *Joanni Lucemburgico*, Bohemiæ ac Poloniæ Regi, venderet *Wratislaviæ*: ut videre eſt ex literis ejusdem eo loco, dieque datis apud Sommerſperg. in Cod. Diplom. Sileſ. p. 853. & Ludevvig. Reliqu. MS. T. V. p. 612. *Idem Strelin civitatem emit à Bolckone Münſterbergico.*

Noviſſima *Witigonis* Ep. memoria in MS. Codice noſtro extat. An. MCCCXXXIX. ubi cenſum annuum ex pagis *Smordin*, & *Pinevviz*, ab *Alberto* de *Liſniz*, *Præpoſito* *Witigonis Ep. reliqua.*

Miſnenſi, & ſororis ſuæ filio, pro vicaria in honorem B. Mariæ, & omnium SS. Virginum inſtituta in Templo Miſnenſi ratum habuit, & eidem vicariæ attribuit VIII. Cal. Novembris. Ex quo merito dubites, an *Witigonis* obitus, quod vult Fabricius, ad An. MCCCXLVII. ſit differendus. Verum eſt, quod in Georgiſchii Regiſtro Diplom. T. IV. memorentur in indice *Witigonis* Ep. Miſn. literæ X. Novembr. An. MCCCXLVIII. datæ, in cauſa compoſitæ controverſiæ, quæ inter *Witigonem*, & *Henricum* Marchionem *Miſniæ* vertebatur de Fori, ſeu judicii *Wurzinenſis* jure: laudaturque ea de re Tom. II. An. 1348. Num. 144. Sed enim laudato Tomi II. loco documentum non extat, ut adeo dubitari non poſſit, mentionem ejus perperam indici inſertam: & alioquin *Witigonis II.* tempore, *Henricus* Miſniæ Marchio non erat. Quare crediderim, totam ejus litis compoſitionem ad *Witigonem I.* Miſniæ Epiſcopum, cujus ævo *Henricus* quoque, Marchio Miſnenſis florebat, pertinere, & ad An. MCCLXXXIII. quo diſſidii cauſæ inter eos per Naumburgenſem & Merſeburgenſem Epp. ſublatæ ſunt, referendam. Majorem difficultatem faceſſit documentum aliud, quod in MS. Codice noſtro (perperam item, ut videtur) ad An. MCCCXLIX. recenſetur. Sic enim ibi: "XVII. Cal. Novembris, in die S. Galli *Witi*„*go II.* Miſnenſis Epiſcopus pronunciavit in cauſa duorum „hortorum, ex quibus cenſus annuus pendendus erat Vi„cario Decani *(quem OCVLVM DECANI appellare ſolebant.)* „Horti porro erant, unus ultra *Trebiſch* ad S. Nicolaum; „alter in *Neumarck* inter *Judenſchuel*, & *Albim* fluvium, „cenſumque eum Vicario adjudicavit.„ In fronte hujus documenti præfixus legitur: An. MCCCXLIX. Quod documentum ſi etiam ſibi conſtaret, Fabricii rationibus minime prodeſſet, ut qui mortem *Witigonis* biennio integro præ-

Digitized by Google

prævertit. Sed enim mihi non dubium eſt, quin Annus MCCCXLIX. ab amanuenſi imperito, qui documentum aliud ejusdem anni deſcripſerat, ſit adjectus; cum author Regiſtri literarum Miſn. Eccleſiæ, ut fere in aliis Epiſcopis ſolebat, documenta incerti anni ad finem cujusque Epiſcopatus ſubnecteret. Eam conjecturam penè certam mihi reddunt documenta tria An. 1343. 1346. & 1349. *Joannis I.* Miſnenſis Ep. qui *Witigoni* ſucceſſit, de quibus mox fiet mentio: quæ omnia tempore præcederent allatam nunc judiciariam *Witigonis II.* de hortis Miſnenſibus ſententiam, ſi ea XVII. Cal. Nov. An. MCCCXLIX. pronunciata eſſet. Quare manifeſto ſatis colligi videtur, mortem *Witigonis II.* ultra VII. Cal. Auguſti, quo eundem deceſſiſſe notat Necrologium Kemnizenſe his verbis: " VII. „Cal. Aug. *Withego* Epiſcopus ſecundus Miſnenſis „ Anni MCCCXLIII. differri non poſſe. *ejus obitus.*

Quanquam igitur in anno mortis à Fabricio diſſentiam; non pigebit tamen, quæ ille de *Witigonis* laude commemorat, ejus verbis referre: " *Witigo (ſcribit ad An.* „*MCCCXLVII.)* II. Præſul obit VIII. Cal. Auguſti anno ſeſ„ſionis quinto, & vigeſimo, ſepultus in Cœnobio S. Cru„cis ad Albim. Ejus Pater *(haud dubium, multo ante)* uxo„re conſentiente mutat habitum, & fit Monachus *Vetero-*„*Cellenſis*: Uxor eum ſecuta, etiam velamen ſumit. Hic „Præſul Eccleſiam Miſnenſem, anteceſſorum negligentia, „bellorum, quæ in his regionibus inter Reges Romano„rum, & Marchiones Miſnenſes, diuturnitate admodum „labefactatam, in aliquem dignitatis ſtatum reponit, ac „ejus auget terminos. Oppidum *Noſſam* ad *Muldam*, in„ter *Miſnam* & *Henicham* ſitum; *Libetalam* ad *Albim*, inter „*Pirnam*, & *Stolpenam* ære ſuo comparat. Arcem *Mogel-* *Plura ex Fabricio.*



Digitized by Google

„*lanam* inſtaurat. *Pirnam* ad certum tempus redimit. „Decretum antiquum Gregorii IV. contra adverſarios Ec„cleſiæ promulgat. „ Hæc ex Fabricii fide.

## XXIX. Joannes I. de Iſenberg.

*Joannes I. Ep.*

Fabricius quidem, ut ſupra dictum, commemorata ad An. MCCCXLVII. *Witigonis II.* morte, ſubjungit: „Succeſſor ei datur *Johannes I. Iſenbergius.* „ Sed ut in anno obitûs *Witigonis*, ita etiam in Epiſcopatûs exordio adverſantur ea, quæ MS. Codex noſter ſuggerit documenta. Horum primum ſic habet: „Poſtquam *Honſpergii* vi„cariam SS. Corporis Chriſti, S. Mariæ Magdalenæ, SS. „Coſmæ, & Damiani, nec non S. Agathæ, cenſu etiam, „quem *Joannes* de *Luberobo* ex pagis *Ullichberg*, *Schvvei„niz*, *Schepe*, & *S. Laurentii* addidit, in eum uſum deri„vato fundarunt; *Johannes I.* Miſnenſis Epiſcopus Vicari„am illam confirmavit; *Honſpergii* vero Jus Patronatus, „& jus conferendi eam Vicariam ſibi reſervarunt VIII. Cal. „Septembr. An. MCCCXLIIII. „ Alterum An. MCCCXLVI. in eodem codice ſubjunctum collatam à *Johanne I.* Miſnenſi Epiſcopo indulgentiam Sacello S. Joannis Bapt. refert, feriâ VI. diem *Aſcenſionis Domini* conſequente. Ut proinde dubitari non poſſit, quin *Joannes I.* Anno MCCCXLIII. Miſnenſem jam rexerit Eccleſiam: Unde An. poſt MCCCXLVII. quo *Pragæ* Bullæ Aureæ Caroli IV. de Unct. & Coron. Reg. Bohem. inter teſtes ſubſcriptus legitur Cal. Septembr. apud Balbinum Miſcell. L. VI. p. 44. non recens creatus erat Epiſcopus, ſed IV. jam annis ſuæ Eccleſiæ præfuit.

Patens

Parcus præterea in rebus hujus Epiſcopi ad Annum præſertim MCCCLX. usque, eſt Fabricius, ut adeo hac in parte ex noſtro Codice ſupplendus ſit. Ad An. quidem MCCCXLIX. monet Fabricius, multas ſimul eodem tempore calamitates accidiſſe: " Hic annus *(inquit)* aliquot ca„lamitatibus fuit memorabilis: *Friderici gravis*, Marchio„nis, obitu, terræ motu, Judæorum excidio, luporum „rabie, flagellantium exilio.„ Chronicon Vetero-Cellenſe minus duorum ex his tantum meminit: " An. MCCCXLIX. „in craſtino S. Valentini, interfecti ſunt omnes Judæi in „terra Miſnenſi & in Thuringia. Domnus *Fryderieus*, Mar„chio Miſnenſis obiit, qui habuit *Mechtildem* in uxorem, „ſepultus in Cella S. Mariæ in terra *Miſnenſi*, in capella, „quam ipſe conſtruxit in honore Apoſtoli ſui Sancti An„dreæ.„ Variloquus Erphurdianus hæc de Friderico habet: " In nocte B. *Eliſabeth* obiit *Fridericus* Marchio Miſ„nenſis, qui mirabilia bella peregit, in armis, & bellis „ſtrenuiſſimus, in Caſtro *Warberg* Iſennacenſi, ſepultus„que eſt in cella prope *Friberg* in ſepulchro conjugis ſuæ.„ Addit deinde de ſecta flagellatorum aliqua, deque peſte, ac terræ motu, ſed non eodem anno.

At vero Codex noſter MS. annui cenſus aliquid, quem *Sophia*, *Ludovici de Kürbiz* vidua *Alberto*, Budiſſinenſi Præpoſito vendiderat, à *Joanne I.* Ep. in anniverſariam mortis memoriam pro *Conrado de Strela*, Miſnenſi quondam Præpoſito fuiſſe conſtitutum Dominica ante Nativ. B. M. V. Nec multo poſt, IX. videlicet Cal. Decembr. ut habent monumenta Vetero-Cellenſia, *Joannes I.* Miſnenſis Ep. Sacellum Marchionum in *Cella veteri*, una cum altari conſecravit.



Digitized by Google

*Parochias inter Canonicos diſtribuit.*

An. MCCCL. ut iterum Codex noſter, *Joannes* Ep. Miſnenſi Capitulo Parochiam in *Zſchauvviz*, Scholaſtico vero Parochiam in *Mittvveyda*; Cuſtodi demum Parochiam in *Gedau*, cum omni jure, fructuque in perpetuum attribuit. Actum in *Mügeln* VI. Id. Martii. Adjecta tamen cautio, ut Vicariis earum Eccleſiarum de idonea ſuſtentatione provideatur, & *Budiſſinenſi* Præpoſito, ratione Parochiæ *Gedavienſis* manualis obedientia præſtetur.

*Lis cum Miſnenſi Civitate.*

An. MCCCLI, referente Codice noſtro, cum *Miſnenſes* cives cenſum annuum Vicariis perpetuis *Miſnæ* pendere cunctarentur, eaque de cauſa *Bohuslaus*, Parochus *Budeſinenſis*, ad hoc requiſitus, executorem Magdeburgenſis Concilii ad Urbem & collegium *Miſnenſe* miſiſſet ad cauſæ cognitionem faciendam: vocati in judicium ſemel, iterum, ac tertio cives, contumaciter illud ſubterfugerunt. Quare *Bohuslaus*, Parochus, de juriſconſultorum conſilio ſententiam tulit, ut vicarii in poſſeſſionem juris reponerentur, & contumaces cives ad ſolvendas omnes expenſas condemnarentur. Actum IV. Non. Junii. Verum cum ne ſic quidem perpelli ad ſatisfaciendum poſſent; delecti ſunt An. MCCCLII. IV. Non. Februarii, controverſiæ arbitri *Thimo* de *Colditz* Marſchalius, & *Dicemannus* de *Limpach* Cancellarius, delataque ad *Fridericum*, ac *Balthaſarem*, fratres Thuringiæ Landgravios cauſa, ita arbitrati ſunt, id quod Principes ſuo etiam edicto ſtatuerunt, ut Senatus, Populusque *Miſnenſis* annuum deinceps cenſum *Miſnenſi* Eccleſiæ ſolveret: quod ſi tamen redimere eundem vellent (modo id intra triennium fieret) integrum id ipſis fore, ſed ea lege, ut pro uno talento ſeptem, ſeptuplum item pro ceteris redderent: excepto tamen cenſu luminarium; quem ſi & ipſum redimere eſſet animus, tantundem in bonis ali-

is

is daretur, quantum argenti ad annuos ſumptus in luminaria faciendos ab Eccleſia *Miſnenſi* expendendum eſſet. Conſenſit in arbitrium Principum Senatus, Populusque Miſnenſis Sabbatho poſt SS. Petri & Pauli. Ita ibi.

*Döbelenſes Cœnobii Virgines officioſa erga Capitulum Miſnenſe.*

At enim, quo tempore *Miſnenſes* cives Canonicis ejus Eccleſiæ contumaciter reſiſtebant, *Döbelenſes* Ord. S. Benedicti Virgines mira obſervantia Miſnenſem Epiſcopum, totumque Canonicorum collegium ſibi obſtrinxerunt. Hæ enim cùm ante id tempus in *Stuchau* ſtationem habuiſſent, translatæ *Dobelam*, ratione *Dobelenſis* Parochiæ, & Epiſcopo, & Capitulo Miſnenſi, præcipue vero Præpoſito, & Archidiacono ſpecialem ſubjectionem & ſiquid ſubſidii à clero exigeretur, ſuam etiam ſymbolam appromiſerunt. Cumque à majori Miſnenſis Eccleſiæ collegio multa etiam alias beneficia accepiſſent, cenſum aliquem annuum ex *Höfflichen*, & prædio *Stuchavienſi* ultro obtulerunt VI. Id. Sept. An. MCCCLI. *Joannes I.* Miſn. Ep. in octava deinde Epiphaniæ Domini, Id. Januarii An. MCCCLII. Miſnenſi Eccleſiæ ſolenniter attribuit. Ex Cod. MS.

*Statuta quædam Capituli & Epiſcopi Miſnenſ.*

"An. MCCCLIII. V. Id. Martii Capitulum Miſnenſe, „de conſenſu *Joannis I.* Epiſcopi ſtatutum fecit, nequis Ca„nonicorum vocem in Capitulo, aut ſtallum in choro ha„beat, niſi Præbenda jam majore fruatur, eaque à Deca„no vel Seniore, de conſenſu Capituli, collata. „ Ex. Cod. MS. Paulo ante, IX. videlicet Cal. Febr. permutationem quandam fecit *Joannes* Ep. & pro reſervato ſuis uſibus cenſu annuo ex *Slackevviz*, Capitulo Miſnenſi molam in pago *Piſcopiz* dedit. Pridie vero Idus Martii ea, quæ Anno MCCCL. de Parochiis in *Zſchauvviz*, & *Mittvveida*; quæque alio tempore de *Dresdenſi* Parochia ſtatuit, mutato

nunc

nunc conſilio, ex parte immutavit. Codex noſter ea de re ſic habet: "Cum *Johannes I.* Ep. Parochiam *Dresden-* „*ſem* antea ſuis uſibus reſervaſſet; *Zſchauvvizenſem* Capitu- „lo, *Mittvveidenſem* vero Scholaſtico, *Gedavenſem* Cu- „ſtodi attribuiſſet; emergentibus de *Dresdenſi* maxime Pa- „rochia difficultatibus, de conſenſu Capituli, omnia re- „vocavit: permiſſa ſolum Scholaſtico *Mittvveidenſi* Paro- „chia, quod is aliud beneficium non haberet; & *Zſchau-* „*vizenſi* uni ex Canonicis, qui ſuffragium haberet, à Capi- „tulo promiſſa.„ Ex Cod. MS. Eodem anno XIII. Cal. Novembris, litem cum *Dobirlucenſi* Cœnobio compoſitam literis ſuis firmavit *Joannes* Epiſcopus, quas affert Ludevvigius Reliqu. MS. T. I. p. 354. & ſic habent:

**Joannes Ep. litem cum Dobirlucenſi Cœnobio componit.**

*Nos JOHANNES DEI gratia Epiſcopus Eccleſiæ Miſnenſis tenore preſentium recognoſcimus publice, & profitemur, quod in cauſa, quæ inter nos ex una, & Religioſos Viros Dominos TH. Abbatem, CONRADVM Priorem, & conventum monaſterii DOBIRLVG Ordinis Ciſtercienſis, noſtre ditionis parte ex altera, ſuper procuratione annua nobis & Epiſcopis Miſnenſibus pro tempore annis ſingulis per quindenam integram in quadrageſima in dicto monaſterio, cum ad ipſum dicto quadrageſimali tempore declinaremus, & declinarent, vertebatur, ſumus cum dilectis Dominis Abbate, Priore, & conventu amicabilitrr concordati. Ita videlicet, quod quandocunque nos, aut noſtri ſucceſſores dicto quadrageſimali tempore ad dictum monaſterium declinaverimus, & declinaverint, ipſi nos, & eos procurare tenebuntur per quindecim dies continuos, & procurationem præſtare cum XXX. equitaturis, & perſonis ad hujusmodi equitaturas pertinentibus, nobisque, & noſtris alimenta neceſſaria providere, ſi vero nos, & dictos noſtros ſucceſſores propter malum ſtatum terrarum*

*rarum plures perſonas, & equos nobiſcum, & ſecum adducere oporteret, illas, & illos procurare tenebuntur per primam noctem, ſequenti vero die nos, & dicti noſtri ſucceſſores ipſas, & ipſos, que, & qui ultra dictum numerum fuerint, recedere faciemus, & facient, nec dicti Abbas, Prior, & Conventus aliquas vel aliquos ultra eundem numerum tenebuntur procurare. Similiter ſi nos, aut noſtri ſucceſſores in fine dicte quindene aliquarum perſonarum pro conductu recedendi à dicto monaſterio indigentiam habuerimus, & habuerint, illas die proxima precedente ante noſtrum, & eorum receſſum ad dictum monaſterium vocare poterimus, & poterunt, ipſasque dicti Abbas, Prior, & Conventus cum earum evectionibus, & equitaturis per illam noctem hoſpitare, & procurare tenebuntur. Noſque in antea, & dicti noſtri ſucceſſores dictis Dominis Abbati, Priori, & Conventui bonus, & boni debemus eſſe, amicus, & amici, ipſoſque, & eorum monaſterium in omnibus efficaciter promovere, nec litem predictam, aut aliqua, que occaſione dicte litis inter nos & dictos Abbatem, Priorem, & Conventum ſunt exorta, ullo unquam tempore ad animum volumus revocare. In quorum omnium teſtimonium hanc noſtram patentem literam ſcribi fecimus, & noſtri majoris Sigilli appenſione munimus. Datum in Caſtro noſtro STOLPIN An. Domini MCCCLIII. die Dominica proxima poſt diem beati Luce Evangeliſte.*

An. MCCCLIV. *Fridericus*, Landgravius Thuringiæ, & Miſniæ Marchio, qui jam An. MCCCLI. litem, quæ inter *Hugoldum de Polez*, dictum de *Nazzau*, Equitem, & Capitulum Miſnenſe de pago, & territorio in *Gröber* fervebat, ita compoſuerat feria III. poſt Natalem Domini, ut reddito Canonicis pago, *Hugoldus*, ejuſque filius, in gratiam, & amicitiam reciperentur; VIII. Cal. Febr. hujus

anni Miſnenſi Canonicorum collegio bona omnia, quæ, & quomodo ea prius habuit *Fritzoldus de Nazzau*, Eques, cum omni jure in pago *Gröber*, ejusque territorio in perpetuum tranſcripſit. Ex Cod. MS.

*Obervvartham Franconi Suffraganeo ſuo vendit.*

Eodem anno, VII. Id. Julii, *Joannes* Epiſcopus Miſnenſis, de conſenſu Capituli vendidit *Franconi*, *Zeroſienſi* (Monumenta Vetero-Cell. *Lerocenſem* appellant.) Epiſcopo, quo Suffraganeo utebatur, *Obervvartham* pagum cum omnibus eo pertinentibus fundis, exceptis vineis; ſed ad dies vitæ tantum, ſic, ut ab ejus morte, *Obervvartha* iterum ad jus Epiſcopi, vel Miſnenſis Capituli rediret. Ex Cod. MS. Pridie vero Cal. Novembr. Parochiam *Kezenbrodenſem* Archidiaconatui *Niſicenſi* cum omni jure, jurisque fructu ſic in perpetuum tranſcripſit, ut in poteſtate Archidiaconi eſſet, Vicarium ſuo nomine eo mittere: modo ei de idonea, ac liberali ſuſtentatione ita proviſum ſit, ut quæ Epiſcopalis, & Archidiaconalis juris ſunt, onera præſtare ex proventu ſuo poſſit. Reſervavit tamen ſibi de cetero jus omne, quod vel ipſe, vel deceſſores Epiſcopi in Eccleſiam *Kezenbrodenſem* habuerunt. Poſtremo ad III. Cal. Decembris *Buchavienſi* Ciſtercienſis inſtituti Cœnobio Parochiam *Leiſnickenſem* ita propriam fecit, ut tamen ſub Religioſo Parocho nec Miſnenſis Epiſcopi, nec *Wurcinenſis* Præpoſiti, & Archidiaconi juribus quidquam decederet. Ex Cod. MS.

*Archidiaconatui Niſicenſi Kezenbrodenſem Parochiam incorporat.*

An. MCCCLV. *Fridericus* Thuringiæ Landgravius Capitulo Miſnenſi, ut reſarciret damnum, quod ex divendito Miſnenſis civitatis cenſu ſubierunt, IV. librarum argenti cenſum in pago, & agro *Kaganenſi* aſſignavit feria III. poſt S. Lamberti, menſe Septembri. V. Octobri deinde



Digitized by Google

exeunte, idem Scholaſtico Miſnenſi, omnia jura, immunitates, ac privilegia, quæ à majoribus ſuis Scholaſtico Miſnenſi, & Parochiæ *Mittvveidenſi* collata ſunt, confirmavit Dominica ante SS. Simonis & Judæ. Ex Cod. MS. Omitto complures donationes, & contractus, qui hoc, & anno ſequenti noſtro in Codice memorantur, ne minutarum rerum farrago tædio ſit legenti.

An. MCCCLVII. V. Id. Sept. cum *Henricus Buling*, Archidiaconi *Niſicenſis, Henrici* de *Schleiniz*, in *Kezenbrode* Vicarius, queſtus eſſet de inopia ſua, *Joannes* Epiſcopus, indignitate rei commotus, Archidiacono ſub pœna ſuſpenſionis præcepit, ut ex annuis Eccleſiæ *Kezenbrodenſis* fructibus VIII. ſexagenas groſſorum Pragenſium latioris moduli Vicario præberet. Ex Cod. MS. Sub idem tempus, Dominica nempe proxima poſt Natalem Divinæ Matris in *Vetero-Cellenſi* Cœnobio (ut habent ejus monumenta p. 457.) "dedicata eſt Capella in Cimiterio cum Al-„tari à Reverendo in Chriſto Domino *Franckone Lerocenſis* „*(alias ZEROSIENSIS)* Eccleſiæ Epiſcopo, Venerabilis in „Chriſto Patris, ac Domini, Domini *Johannis* Epiſcopi, „Miſnenſis Eccleſiæ Suffraganeo.„ Eodem menſe fer. III. poſt S. Michaëlis *Ludovicus* Thuringiæ Landgravius, de conſenſu fratrum ſuorum *Balthaſaris*, & *Wilhelmi*, Eccleſiæ Miſnenſi pro compenſatione X. marcarum annuarum, quas ex cenſu *Miſn.* Civit. alias acceperat, III. manſos, cum dimidio, una cum villa, domibusque eo pertinentibus in pago *Boyll* præfecturæ *Heinenſis* tribuit. Ex Cod. MS. quibus An. MCCCLIX. duo manſi cum horto in pago *Svviniz* territorii *Miſnenſis* acceſſerunt. Ex Cod. eod.

*Kezenbrodenſis Vicarii inopiæ conſulit.*



Digitized by Google

*Beatrici, & Annæ Monialibus, ex familia Marchion. Miſn. annuum proventum aſſignat.*

An. MCCCLVIII. XVI. Cal. Julii *Joannes* Ep. *Beatrici*, & *Annæ*, Miſnenſium Marchionum *Friderici*, *Balthaſaris*, & *Wilhelmi* ſororibus, in Cœnobio *Seuſſeliz* Ord. S. Claræ religioſe degentibus ad dies vitæ donavit annuos proventus ex Parochia *Oſchazenſi*, in quam jus Patronatus *Seuſſlizenſe* Virginum Cœnobium habet. Paulo poſt, Dominica nempe poſt octavam SS. Petri, & Pauli Apoſtol. *Joannes* ipſe Epiſcopus teſtamentum ſuum condidit, cui tamen annos XII. ſuperfuit. Ex Cod. MS.

*Teſtamentum condit.*

*Theodorico de Goëcb Decano Parochiam in Gröber confert*

An. MCCCLX. XIII. Cal. Maji, *Joannes* Ep. Parochiam in *Gröber* Decano, qui tum erat *Theodericus de Goëcb*, in perpetuum attribuit, ſic ut decedente, qui nunc eſſet, Parocho, Decano jus eſſet, Vicarium perpetuum, ſuo nomine, Præpoſito *Haynenſi*, in cujus jurisdictione Parochia in *Gröber* erat, præſentandi. Sed huic Vicario tantum proventus annui ex Parochiæ fructibus aſſignandum voluit, quantum & honeſtæ ſuſtentationi Vicarii, & exolvendis, quæ Epiſcopus, & Archidiaconus exigerent, juribus ſatis eſſet: ſalvis interim juribus Epiſcopi, Archidiaconi, nec non Præpoſiti *Haynenſis*, quæ in eam Parochiam ante id tempus habebant. Ex Cod. MS.

*Lis Ducum Saxon. cum Epiſcopo Miſnenſi de jure viſitationis exorta.*

An. MCCCLXI. Duces Saxoniæ, *Rudolphus*, & *Wenceslaus* fratres, nec non *Albertus* patruelis cum *Joanne I.* Miſn. Ep. colliſi ſunt, viſitationis cauſa, quam Epiſcopus pro munere ſuo in civitatibus, & caſtris *Herzberg*, *Prettin*, *Trebaz*, *Clöden*, *Pretaz*, *Smede*, *Berg*, quæ ad ditionem Ducum Saxoniæ pertinebant, ſed in Diœceſi Miſnenſi ſita erant, ſuſcepit. Huic controverſiæ ut finis imponeretur, compromiſſum utrinque eſt in cauſæ arbitros, & ad Magdeburgenſem Archiep. vel Merſeburgenſem Ep.

vel

vel etiam curiam Romanam, VIII. Id. Febr. Ex Cod. MS. Quæ ſecuta ſit ſententia, notatum non reperio, non dubitem tamen, quin pro Epiſcopo, cujus in Diœceſi ea caſtra, urbesque erant, fuerit pronunciatum.

Eodem anno, IV. Cal. Novembr. *Ludovicus Romanus*, Marchio *Brandeburgi*, & *Luſatiæ*, ex Palatinis Rheni Comitibus, ac Ducibus Bavariæ, ad preces *Conradi Pruze de Kirchberg*, Archidiaconi *Luſatiæ*, Præpoſituram ſeu Parochiam *Lubbinenſem* Archidiaconatui *Luſatiæ* in perpetuum adſcripſit, jure præſentandi, quod penes Marchiones *Luſatiæ* erat, pro ſe, ſuisque hæredibus ſe abdicavit. Actum in Baſilica *Miſnenſi* Sabbatho, poſtridie Feſti SS. Simonis, & Judæ. Idipſum VIII. Id. Junii, An. MCCCLXII. *Fridericus*, *Balthaſar*, & *Wilhelmus* fratres, *Miſniæ* Marchiones, confirmarunt; & *Joannes*, Miſnenſis Epiſcopus Idibus Auguſti ratum habuit, ſuâque authoritate ad perpetuitatem ſtabilivit. Idem jus poſtea III. Cal. Decembr. An. MCCCLXVII. & *Carolus* IV. Imp. & *Wenceslaus* filius, & *Bolcko* Dux *Sileſiæ*, Dominus de *Furſtenberg*, & in *Schvveidniz*, Marchio *Luſatiæ* publicis literis recognoverunt. Ex Cod. MS.

*Lubinenſis Parochia incorporatur Archidiaconatui Luſatiæ.*

Inter hæc gravior alia cauſa *Joannem*, Miſn. Ep. cum Abbate *Kemnizenſi* commiſit. Cœnobium *Chemnicenſe* Ordinis S. Benedicti, *Kemnizenſi* civitati proximum, à *Lothario II.* Imp. & *Richeza* conjuge fundatum, editiſſimo in monte ſitum erat, ut refert Monachus Pirnenſis Col. 1372. Abbas, *Miſnenſis* etiam Eccleſiæ in ea Diœceſis parte Archidiaconus, cum ſe ab Epiſcopi juriſdictione exemptum ferret, delata ad Rom. Pontificem ab *Joanne* Epiſcopo cauſa eſt, & jam An. MCCCLX. ſub *Innocentio VI.* PP. ad-

*Lis Joannis Epiſc. cum Cœnobio Kemniz.*

verſus Abbatem pro Epiſcopo lata XII. Cal. Decembr. ſententia, & executio imperata, poſtquam *Johannes Haberti* Juris utriusque Doctor, & Theſaurarius Ecclefiæ Radonenſis *(Rhedonenſis)* An. jam MCCCLXI. & *Simon de Sudbiria* Cancellarius Sarisburienſis prid. Id. Jan. An. MCCCLXII. in cauſa correctionis & viſitationis adverſus Abbatem *Chemnicenſem* ſententiam dixiſſent, executores ab *Innocentio VI.* PP. VI. Cal. April. nominati *Johannes* Abbas *Vetero-Cellenſis*, Abbas *Buchavienſis*, & Decanus Eccleſiæ S. Agricolæ Avenionenſis, iisque in mandatis datum, ut Epiſcopum, & Miſnenſem Eccleſiam in poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem viſitationis, correctionis, procurationis Cœnobii, & Abbatiæ *Chemnizenſis*, & Archidiaconatûs, & Eccleſiarum Cleri, & populi ejusdem Archidiaconatus: item ad exercitium cognitionis, jurisdictionis, & omnium jurium Epiſcopalium, usque ad deciſionem litis: item ad ſatisfactionem pro ſumptibus in hac cauſa factis. Forma porro executionis Avenione X. Cal. Maji promulgata: quam Abbas *Vetero-Cellenſis* IV. Idus Junii ſuſcepit. Ex Cod. MS. Non multo poſt, XX. videlicet die Septembris *Joannes I.* Ep. Miſn. approbavit, & Sigillo ſuo majori roboravit Anno MCCCLXII. Statuta *Wurcinenſis* Eccleſiæ, ut videre eſt apud Lunigium Spicil. Eccleſ. Cont. I. p. 841.

*Statuta Wurnicenſia, & Miſnenſia.*

An. MCCCLXV. ſolenni Miſnenſis Capituli ſtatuto VII. Id. Decembr. Decretum eſt, ut qui ex Canonicis minoribus per natales Domini ferias prior ceteris ad Eccleſiæ obſequia adhiberetur, is etiam in diſtributione majorum præbendarum reliquis præferretur. Ex Cod. MS.

An. MCCCLXVI. deceſſu Parochi *Lubbinenſis* orbata Præpoſitura ejus loci, *Joannes* Miſn. Ep. *Conradum Pruze*, tum

Digitized by Google

tum Archidiaconum *Luſatiæ* præſentavit, plebanoque mandatum dedit, *Conradum de Pruze* in poſſeſſionem mittendi, efficiendique, ut à toto populo honor, & obſequium eidem exhiberetur, omnesque proventus integre illi præberentur. III. Cal. Octobr. Ex Cod. MS. Sed enim interceſſit *Bolcko*, Dux *Sileſiæ*, & Marchio tum *Luſatiæ*, qui cum ad ſe pertinere Jus Patronatus in Eccleſia *Lubbinenſi* exiſtimaret, Capellanum ſuum aulicum provehere ad eam Parochiam voluit. Verum ubi *Conradus* Archidiaconus illum de donatione *Ludovici Romani* Brandeburgenſis nuper Marchionis, qui *Lubbinenſem* Eccleſiam Archidiaconatui *Luſatiæ* annexam voluit; ad preces converſus, petiit, ut hac vice ſuæ commendationi id daretur, & quem ipſe dignum eo munere præſentaret, ſalvo deinceps Archidiaconi *Luſatiæ* jure, Parochus inſtitueretur, data in eum finem III. Cal. Decembr. An. MCCCLXVII. ſcripta cautione, ne præjudicio gratuitum id factum deinceps eſſe poſſet. Ita Codex noſter.

*Bolcko Dux Sileſiæ Capellanum ſuum vult promoveri ad Parochiam Lubbin.*

An. MCCCLXIX. *Joannes I.* Miſnenſis Ep. ad duo altaria, unum S. Barbaræ, & S. Baſilii; alterum S. Batholomæi, & S. Alexii, quæ ipſe erexerat, cenſum annuum addidit III. Non. Decembr. & die ſequenti donationem à *Conrado Pruze* factam Eccleſiæ Miſnenſi confirmavit. Cum igitur poſtea nulla fiat mentio hujus Epiſcopi, valde credibile eſt, eundem Non. Januarii An. MCCCLXX. ut ſentit Fabricius, diem obiiſſe. Plura de eo non occurrunt: Monachus ſolum Pirnenſis in Excerpt. de eo notat, *Johannem* Iſenbergium Ep. IIII. Vicarias erexiſſe; ſed quo nomine, non addit.

*Joannis Ep. obitus.*

XXX.

Digitized by Google

# XXX. Conradus II.

Fabricius ad An. MCCCLXX. enarrato *Joannis I.* obitu, ſubjungit: "In ſede ejus ponitur *Dietericus III.* de *Goë-„cha* familia, Miſnenſis Decanus, & *Budiſſinenſis* Præpoſi-„tus, qui cum pro confirmatione ſua Romam ipſe conten-„deret, morte præventus in via, ad poſſeſſionem non ve-„nit.„ Ad An. deinde MCCCLXXIII. ſcribit: "*Conradus* „*II.* Præſul fit, de nobili familia *Kirchberga*, quod in mo-„numentis inveni: nam Catalogi inter ſe non conſentiunt, „& alias duas familias ponunt.„ Ita ille. Ex his certum eſt, *Dietericum*, ſive *Theodericum de Goëch*, fuiſſe Miſnenſis Eccleſiæ Decanum: ſic enim in MS. Codice noſtro ad Annum MCCCLX. quo villam ſuam in *Waſſerburg* XIV. Cal. Maji vendidit; & rurſus eodem anno VIII. Cal. Decembr. quo VII. manſos ad pagum *Boyll*, à *Friderico*, Landgravio Thuringiæ, in feudum accepit: ſic An. MCCCLXI. quo alios duos manſos à Burggravio Leiſnicenſi emit: ſic Anno MCCCLXIV. quo eleemoſynam in pauperes Miſnenſes annuam deſtinavit; ſic An. MCCCLXVIII. quo Cœnobio *Sizenrodenſi* Virginum Ord. S. Benedicti prope *Torgau* ſummam argenti pro anniverſario ſuo; & aliam *Mulburgenſi* Ciſtercienſis inſtituti Virginum Cœnobio in eundem finem contulit, appellatur. Certum etiam eſt, XVII. Cal. Julii. An. MCCCLXX. Decanum Miſnenſis Eccleſiæ non amplius fuiſſe *Theodericum de Goëch*, ſed *Nicolaum* ut rurſus conſtat ex noſtro Codice: ut adeo valde veriſimile videri poſſit, *Theodericum* jam fuiſſe *electum Miſnenſem Epiſcopum*, qualis etiam in Codice noſtro appellatur.

*Dietricus de Goëch electus quidem videtur ex Decano Epiſcopus,*

*ſed in itinere Rom.*

Sed quod Fabricius adjungit, *Theodericum* pro confirmatione ſua *Romam* profectum, illo in itinere obiiſſe: *Conra-*

*ra-*

*radum* vero II. triennio poſt ſuffectum; id vero ſuſtineri nullo modo poteſt: nam & *Theodericus*, electus Epiſcopus, An. MCCCXCII. adhuc in vivis fuit, ut infra dicitur: (niſi velimus, duos fuiſſe *Theodoricos*, ambos de *Goëch*, ambos *Electos Epiſcopos*, neutrum conſecratum, quorum unus hoc anno, alter vigeſimo ſecundo poſt hunc anno floruerit: quod veriſimile vix videtur) & *Conradus II.* An. MCCCLXXI. initio jam Epiſcopus Miſnenſis fuit, ut mox indicabimus. Quare ſatius nobis viſum, *Theodericum*, qui alioquin conſecratus non erat, in Epiſcoporum Miſnenſium ſerie prætermittere, & *Conrado II.* locum XXXmum, quem & Monachus Pirnenſis (omiſſo videlicet *Wilhelmo*, & *Theoderico* hoc III.) illi tribuit, aſſignare. *mortuus non eſt.*

*Conradum II.* ex *Kirchbergia* fuiſſe gente, affirmare non auſim: ad An. enim MCCCLXI. Archidiaconus *Luſatiæ* (qui alias ſemper in Codice MS. noſtro *Conradus Pruze* appellatur) *Conradus de Kirchberg* ibidem ſcribitur. At enim *Conradum Pruze* diverſum fuiſſe à *Conrado II.* Ep. Miſn. ex binis documentis ejusdem Codicis, manifeſto patet: quale eſt, cùm ad preces *Conradi Pruze*, *Conradus II.* Epiſcopus factam unius manſi Eccleſiæ Miſnenſi donationem confirmat in *Mögeln* Id. Decembr. An. MCCCLXXI. niſi quis putet, hunc *Conradum Pruze*, alium jam fuiſſe ab Archidiacono *Luſatiæ* ejusdem nominis: aut in documento Anni MCCCLXI. ſupra à me laudato, cognomentum à *Kirchberg*, à ſcriptore noſtri Codicis, per errorem *Conrado* Archidiacono fuiſſe adſcriptum. Sed hac quæſtione in medio relicta, ad Epiſcopatûs *Conradi II.* primordia redeamus. *Conradus II. Ep. ut creditur, ex gente Kirchberg.*

An. MCCCLXXI. VIII. ſtatim Cal. Aprilis *Conradi II.* Miſnenſis Ep. in noſtro Codice fit mentio: Sic enim ibi:

*Magnas expenſas facit in itinere Romano.*

Cùm magnas expenſas feciſſet *Conradus II.* Miſn. Ep. pro impetranda confirmatione Epiſcopali in Curia Romana, eaque de cauſa magna debita contraxiſſet, ut Cameræ Apoſtolicæ in tempore faceret ſatis; neque ſufficerent ad expungenda tot nomina, quæ ex Epiſcopi proventibus in hunc finem erant deſtinata: vendidit nonnihil ex cenſu, & frumento annuo, quod ex pagis *S. Gotthardi in Gana*, & *Benevviz*, *Palberto* Cantori, *Siffrido Hanſmus*, *Luitboldo de Stutenheim*, & *Guntbero Karas* Vicariis Eccleſiæ Miſnenſis, & teſtamenti, defuncti *Joannis* (ſic enim expreſſe ſcribitur) deceſſoris ſui executoribus in eleemoſynam inter pauperes cives diſtribuendam pro CC. ſexagenis, latioris moduli, Pragenſium groſſorum: eumque cenſum annuum Miſnenſi Eccleſiæ tranſcripſit. Actum in Annunciat. B. M. Virg. Ex quo documento duo hæc jam in aperto ſunt: *Joannem Iſenbergium*, non autem *Theodericum Goëcb*, *Conradi II.* fuiſſe deceſſorem: *Conradum* deinde non Anno MCCCLXXIII. quod vult Fabricius, ſed poſt mortem ſtatim *Joannis I.* An. MCCCLXX. fuiſſe electum: à quo tempore tranſigi commode cum Rom. Curia poterat; ſecus ſi primum Anno MCCCLXXI. fuiſſet ad Epiſcopatum vocatus.

*Confirmat fundationem pro Templo S. Ni olai in Dresden.*

Eodem Anno MCCCLXXI. in Vigilia SS. Trinitatis confirmavit *Conradus II.* Ep. fundationem Altaris novi in *Dresdendi S. Nicolai* Templo, ſub honore & nomine B. M. Virg. & S. Martini à Marchionibus Miſniæ *Friderico, Balthaſare*, & *Wilhelmo* erecti: ſtatuitque, ut miniſtri ejus Altaris ſacerdotes *Ramſoldo de* Polentz, *Dresdendi* Parocho in Eccleſiaſticis miniſteriis obſequium præſtent. Actum XVIII. Cal. Julii An. MCCCLXXI. Ex MS. Cod.

An.

An. MCCCLXXII. VII. Id. Januarii Gregorius XI. Pontif. Rom. literis ſanxit, ut vicara S. Alexii, quæ in Miſnenſi Baſilica erat, tribus à Rectoribus adminiſtraretur. Octavo dein Id. Auguſti Capitulum Miſnenſe ratam habuit donationem, quam *Conradus Pruze* obtulit eo fine, & octava S. Joannis Evangeliſtæ, & S. Donati ſolenni celebritate quotannis perageretur. Ex Cod. MS.

An. MCCCLXXIII. *Conradus* Epiſcopus indulgentiam XL. dierum contulit, Capellam B. M. V. in *Luckovv* Civitate pie accedentibus. Extant ea de re literæ *Conradi* apud Ludevvigium Reliqu. MS. T. I. p. 384. quas exempli cauſa huc tranſcribo. **Indulgentiam confert pro Capella B.M.V. in Luckovv.**

*CONRADUS DEI, & Apoſtolice ſedis gratia, Epiſcopus MISNENSIS univerſis, & ſingulis Sancte Matris Eccleſie fidelibus ſalutem in Domino ſempiternam. Splendor paterne glorie, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, tunc pia vota fidelium de ineſtimabili ejus Majeſtate ſperantium benigno favore proſequitur, dum devota ipſorum humilitas ſanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Capella Monachorum de DOBIRLVG ſituata, & fundata in Civitate LVCKOW noſtræ MISNENSIS Diœceſis in honore beate Virginis Marie, Corporis Chriſti, & beate Virginis, & Martiris Barbare, nec non, & Sigiſmundi patronorum dicta Capella conſecranda congruis honoribus frequentetur, & ad eam cauſa devotionis providentia DEI imploranda copioſius confluat populus Chriſtianus, omnibus Chriſti Fidelibus vere penitentibus, confeſſis, & contritis, qui prefatam Capellam orationis, devotionis, aut peregrinationis cauſa frequentaverint, ſeu viſitaverint, in feſtivitatibus infra ſcriptis videlicet NATIVITATIS, CIRCVMCISIONIS, EPIPHANIE, RESVRRECTIONIS, &* **Ejus ſuper hac re litera.**

*ASCENSIONIS DOMINI, PARASCEVES, ac DIE CENE, ac CONCEPTIONIS, ANNUNTIATIONIS, ASSUMPTIONIS, NATIVITATIS Marie, & PURIFICATIONIS; NATIVITATIS, & DECOLLATIONIS JOHANNIS BAPTISTE, ac beatorum Apoſtolorum PETRI, & PAULI, Johannis, Jacobi, Thome, Bartholomei, Philippi Jacobi, Simonis, & Thadei, Mathie, Matthei, Andree, Luce, Marci, & aliorum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, Sanctorumque Georgii, Laurentii, Vincentii, Steffani, Dioniſii, Donati, Clementis, Mauricii, ſociorumque ejus, decem millium militum martirum, ac beatorum confeſſorum Martini, Nicolai, Egidii, Alexii, Baſilii, Gregorii, Jeronimi, Auguſtini, Ambroſii, nec non Sanctarum Virginum, Agnetis, Agathe, Cecilie, Katarine, Margarethe, Barbare, Dorothee, Lucie, undecim millium Virginum, Marie Magdalene, Eliſabeth, Anne, Inventionis, & Exaltationis Sancte Crucis, Penthecoſtes, Commemorationis omnium Sanctorum, ſeu animarum, dedicationis, ſeu Patronorum prefatorum dicte Capelle feſtis, nec non & per octavas predictorum feſtorum octavas habentium, ſingulis quoque diebus Dominicis, ipſam Capellam acceſſerint, aut in ea Miſſas, Prædicationes, aut alia Divina Officia audierint, aut qui ad fabricam, ſeu Cultum Divinum Capelle ſupra dicte Aurum, Argentum, Libros, Calices, Luminaria, aut alia ornamenta Eccleſiaſtica, aut pias Elemoſinas in rebus quibuscunque donaverint, vel manus porrexerint adjutrices, aut aliquid quodcunque pro teſtamento legaverint, quando & quotiescunque premiſſa, vel aliquid premiſſorum fecerint, ſeu impleverint, quadraginta dies indulgentiarum injuncte ipſis penitentie, de Omnipotentis DEI miſericordia ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus confiſi ſuffragiis in Domino miſericorditer relaxamus. In quorum omnium teſtimonium ſecretum noſtrum preſentibus duximus*



Digitized by Google

*mus appendendum. Datum DOBIRLUG An. Domini MCCCLXXIII. Sabbathi ante Dominicam OCULI, in die videlicet beati GUBERTI. Et nos FRANCO DEI, & Apoſtolice ſedis gratia Epiſcopus LEROSSENSIS, gerentes vices in Pontificalibus Reverendi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini CONRADI Epiſcopi Eccleſie Miſnenſis addimus de noſtro XL. dies indulgentiarum, & unam carenam omnibus Chriſti fidelibus vere penitentibus, confeſſis, & contritis, qui ſe exhibuerint ad prædicta, appendendo preſentibus ſecretum noſtrum in teſtimonium ſuper eo. &c.*

Quæ Fabricius ad hunc annum de cultura vinearum memorat, quas *Conradus* apud *Cotſchenbrodanos*, & *Mogellanos*, & ad *Wartam* ſuperiorem, & *Goſliciam* pagos plantari docuerit; ea ex pluribus ab eo hoc anno factis donationibus confirmari poſſunt. In his enim vineæ in *Tetzken*, *Rudigern*, *Fritzken*, *Rudeſin*, *Schvvammenberg*, & *Ketzſchber*, montanis ſitæ, aliæ, quas in ſua Diœceſi, ſuo ipſe labore plantari curaſſet in *Bochsberg*, ad *Mögeln*, Vinea B. Marie Virg. extra muros *Miſnæ*, in *Nuſſin* trans *Muldam* in *Libenthal*, in *Gozliz* enumerantur IV. Id. Novembr. Ex Cod. MS. *Vineas pluribus in locis excoli mandat.*

An. MCCCLXXIV. XV. Calendas Novembr. *Conradus II.* Ep. omnibus ſuæ jurisdictioni ſubjectis Præſulibus fidem ſuis literis fecit, quod nec ſuo, nec Capituli Miſnenſis nomine quidquam deinceps vel ſuſcepturus, vel moturus eſſet, quod eorum jurisdictioni, inſtitutis, ac inveſtituris contrairet. Ex Cod. MS. Poſtremum, quod occurrit *Conradi II.* Miſn. Ep. monumentum, eſt transactio controverſiæ, inter Cœnobium *Dobirlucenſe*, & Plebanum in *Dobir*, in cauſa Eccleſiæ in villa *Dobrasdrovv* erectæ, de qua ex- *Cavet juribus Capituli, & litem Dobirlucenſem componit.*

 ſtant

ſtant ejusdem Epiſcopi literæ " in *Dobirlug* anno Domini „MCCCLXXV. feria II. poſt Dominicam *Reminiſcere (quæ „ſecunda eſt Quadrageſimæ)* præſente *Francone*, Epiſcopo *Le„roſſenſi*, Miſnenſis in ſpiritualibus Vicario datæ, apud Lu„devvigium Reliqu. MS. T. I. p. 391.

*Fabricii narratio de Ratisbon. Bamberg enſ. & Miſnenſi Epiſcopatibus parum credibilis.*

Quæ à Fabricio de *Conrado II.* adjiciuntur, errore non vacant. " Impetrat ab *Urbano* Pontifice *Carolus* IV. „Imp. *(ſcribit ille ad An. MCCCLXXV.)* ut Antiſtiti Pra„genſi, tanquam Legato Apoſtolico, ſubjicerentur *Ratis„bonenſis*, *Bavenbergius*, & *Miſnenſis* Præſules: ſed pro ſua „quisque parte, ne fieret, propugnavit fortiter: cúmque „poſt biennium moreretur *Carolus*, libertatem eorum pri„ſtinam amplius nemo mutare cogitavit. „ At enim, neque hoc anno, neque reliquo, quo Eccleſiæ Miſnenſi præfuit *Conradus*, tempore, *Urbanus* Romæ fuit Pontifex: *Urbanus* enim V. qui An. MCCCLXV. *Joannem II.* Pragenſem Archiepiſcopum ejusque ſucceſſores, Legatos natos ſedis Apoſtolicæ creavit, ut refert Author Prodromi Gloriæ Pragenſ. Cap. VII. p. 512. An. MCCCLXX. obiit; *Urbanus VI.* non niſi poſt mortem *Conradi II.* Ep. Anno MCCCLXXVIII. electus eſt: & ſi verum eſt, quod de ſubjungendis Pragenſi Archiepiſcopo, tametſi *tanquam Legato Apoſtolicæ ſedis* tantum, *Ratisbonæ*, *Bambergæ*, ac *Miſnæ* Epiſcopis tradit Fabricius, miror, rem tantam, nec Dubravium, nec Balbinum, nec Scriptores ceteros in literas miſiſſe. Tentaſſe tamen timide jus quoddam in Eccleſiam Miſnenſem, ut eſt in actis *Joannis de Genzenſtein*, Prag. Archiep. ex infra dicendis mox patebit.

*Conradi II. Ep. obitus.*

Jam vero, quod ad An. MCCCLXXVIII. *Conradum II.* Miſnenſem Epiſcopum, VIII. Cal. Junii, obiiſſe tradit Fabrici-

Digitized by Google

ricius; id ut de die obitus verum ſit, de anno tamen admitti non poteſt: conſtat enim jam An. MCCCLXXVI. *Joannem II.* Miſnenſi in Eccleſia *Conrado II.* ſucceſſiſſe, ut mox dicetur. Ceterum ſive An. MCCCLXXV. ſive, quod magis crediderim, anno ſequenti, diem obierit *Conradus*: „Virum fuiſſe diſciplinæ ſtudioſum *(verba ſunt Fabricii)* inde conſtat, quod inſtituere cœperit cum Collegii emendationem, tum Eccleſiarum omnium inſpectionem: ſed „in bono & ſalutari conatu, non ſine ſuſpicione, morte „præripitur.„ Quod poſtremum Fabricii fidei relinquo.

# XXXI. Joannes II. de Genzenſtein.

Qui in annorum rationibns frequentius hoc tempore errat Fabricius, in recenſendis *Joannis Genzenſteinii* rebus nihilo felicius verſatus eſt. Ejus exordia cum Anno MCCCLXXVIII. conjungit: ſic enim ibi ſcribit: "Poſt „*(Conradi II.)* obitum certatum in Collegio eſt: cúmque „ſtudia factionum magna eſſent, neque pars alteri hono„rem deferret, ad homines exteros ſpectarunt: alii cenſue„runt, *Pragenſem*, ſedis Apoſtolicæ Legatum, alii Antiſti„tem *Lubecenſem* evocandum. *Joannes* Pragenſis, de *Gen„zenſteinia* familia, *Pauli* filius, vir munificus, & magna „gravitatis opinione primas tulit: ſed *Miſnæ* tamen nun„quam reſedit, laboris fugiens, honore contentus, & ti„tulo.„ Sed quidquid ſit de factionibus, quæ abfuiſſe non videntur, parum credibile eſt, *Pragenſem* Archiepiſcopum, ſedis Apoſtolicæ Legatum, & ſenio jam prope confectum (is erat *Joannes Wlaſſim*, cognomento *Ocellus)* inter Miſnenſis Eccleſiæ Candidatos fuiſſe: illud plane certum, *Joannem de Genzenſtein* (Bohemi ſcriptores *Joannem de Genſtein*

*Joannes II. Ep. ex Genzenſteinia gente.*

*Pauli*

*Pauli* filium, & *Joannis Ocelli*, Pragenſis Archiep. ex fratre nepotem appellant) jam Anno MCCCLXXVI. fuiſſe Miſnenſem Epiſcopum: eo enim anno, ut refert MS. Codex, Sabbatho infra Octavam Corporis Chriſti, Miſnenſi Capitulo cenſum annuum, ex bonis in *Noſſin*, pro anniverſario Patris ſui (*Pauli de Genſtein*, Notarii quondam Bohemiæ Regis) XV. Cal. Januarii quotannis celebrando, attribuit. Anno ſubinde MCCCLXXVIII. V. Cal. Sept. donationem à *Petro*, *Dobervvicenſi* Parocho, ſuæ Eccleſiæ factam, Epiſcopali authoritate confirmavit. Ex Cod. MS. Nec plura deinceps de *Joanne II.* Ep. Miſn. quæ res indicio eſt, *Joannem* jam tum (fortaſſe deſignatum Patrui ſui Archiepiſcopi ſucceſſorem, vel adjutorem) Pragam ſe contuliſſe: & *Nicolaum*, *Lubecenſem* antea Epiſcopum, in *Miſnenſi* Eccleſia ſibi ſucceſſorem impetraſſe, quod ex ſequentibus clarius patebit.

*à Joanne Ocello patruo diverſus.*

Fallitur rurſum Fabricius, & omnium maxime in aſſignando *Joannis II.* obitu. Sic enim ad An. MCCCLXXX. ſcribit: "Præſul *Miſnenſis* moritur *Pragæ*, III. Cal. Decembr. & ibidem ſepelitur.„ Mortuus eſt ſane hoc anno Pragæ *Joannes II.* Pragenſis Archiepiſcopus, & marmoreo in ſepulchro, in Eccleſia Pragenſi conditus: ſed *Ocellus* cognomento, & *Joannis II.* Miſnenſis Epiſcopus Patruus: ut poſt Crugerium Balbinus Miſcell. L. VI. p. 55. & Hammerſchmidius annotârunt. Sed huic ſucceſſit in Archiepiſcopatu Pragenſi *Joannes de Genzenſtein*, is, qui Miſnenſis prius Epiſcopus " miſſus non ſemel Romam (*ut ſcri„bit Balbinus laud. loco*) à Principibus *Miſniæ*; & viciſſim „à Pontifice ad Carolum (IV.) Legatus in arduis univerſa„lis Eccleſiæ negotiis, ut habet MS.„ Idem Balbinus Miſcell. Lib. IV. p. 84. luculentum *Joanni* noſtro elogium concin-

cinnat: quod quia ab hoc loco non alienum, huc tranſcribere non piget.

„*Joannes de Genſtein*, ſeu *Genczenſtein*, *Pauli* de Genſtein filius, Joannis II. *Ocelli* Baronis de *Wlaſſim*, & *Genſtein* Archi-Epiſcopi Pragenſis ex fratre Nepos, vir fuit „vitæ ſanctimoniâ, & eruditione conſpicuus, & ut vere dicam, ſui ſæculi decus; ex *Miſnenſi* Epiſcopo An. 1380. „in Archiepiſcopum electus; rexit Eccleſiam ſumma cum „laude ſanctitatis; Religioſiſſimum, ac precationibus intentiſſimum virum appellat Stransky; Fabricius virum munificum, & magnæ gravitatis; Crugerius ait, ſacris meditationibus & familiaritate cum Deo immergi quodammodo ſolitum, tenerrima in DEUM, Beatiſſimam Virginem, ac cælites pietate. Fundavit in Miſnenſi Eccleſia „Sacerdotium *S. Wenceslai* honori; alterum *Sedlecii* ad Sepulchrum Domini, ut quothebdomadis ter Miſſa perageretur, in honorem Reſurrectionis Chriſti, SS. Euchariſtiæ „& Paſſionis ejusdem. Idem Præſul An. 1379. *Chemnicenſibus* ſubſidia maxima miſit, cum ea Urbs 7. Auguſti „conflagrâſſet. An. 1396. ipſo die Paſchæ ceſſit Archiepiſcopatu, eumque cum Capituli conſenſu Wolframo Sororio ſuo dedit in manus; viſo quodam terrifico in Domo ſua ad pontem Pragenſem oranti oblato, ad abjectionem ejus honoris impulſum ſcriptores ſignificant; videbatur ſibi videre: illinc vulgus profanum, hinc clerum, & „DEO ſacratos homines; deinde ſubito facto impetu videbat cruento ſpectaculo diſſipari clerum, fugari, occidi, „rapi è manibus Prælatorum claves Eccleſiarum, ardere „Templa, Cœnobia, denique religionis univerſæ ſanctitatem & Eccleſiæ fundamenta convelli, idque brevi futurum. Ergo, ut dixi, Pragenſi Archiepiſcopatu relicto,

*Ejus elogium ex Balbino.*

*Fit Archiepiſcop. Pragenſis.*

*Cedit Archiepiſcopatu Pragenſi.*

*Oſtento mirabili terretur.*

„Romam profectus eſt, An. 1396. privatam vitam actu-
„rus, ſed Bonifacius IX. Papa, rurſus Virum Sanctum ad-
„movit honoribus, & An. 1397. *Patriarcham Alexandri-*
„*num* creavit. Obiit Pius Pater Pauperum, ait MS. Codex,
„Clericorum, Orphanorum, Viduarum, *Romæ* An. 1400.
„17. Junii in Monaſterio *S. Praxedis* quo ſe ſe receperat.
„Quidam eum Cucullum S. Benedicti induiſſe ſcripſerunt,
„ſed eos Patriarchatus ipſe, ejusque titulus, quem usque
„ad obitum tulit, ut mox dicam, ſatis refellit, deinde vel
„ex eo fabula ſe prodit, quod conſtat: *Wolframum* Romæ
„illi ſuppeditare ſumptus, & menſæ neceſſaria ſubmittere
„debuiſſe, quod ſibi dum Archiepiſcopatu cederet, reli-
„querat unum *(ut affirmant ſcriptores)* quod ſine dubio
„Monacho in Cœnobio vitam profeſſo, opus non fuiſſet.
„Scripſit non pauca *Joannes III.* ùt tractatum *de laude No-*
„*minis JESV*, dulciſſima pietate, eumque Româ miſit ſuc-
„ceſſori, inſcriptio eſt: *Joannes DEI* gratia Patriarcha Ale-
„xandrinus, olim Archiepiſcopus Pragenſis, Apoſtolicæ
„ſedis Legatus, Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino
„*Wolfframo* eâdem gratiâ Archiepiſcopo Pragenſi. Extant
„paſſim in Bibliothecis Manuſcriptæ Conſtitutiones *Joannis*
„*III.* Archiepiſcopi, prudentiſſimæ, tum in libris Erectio-
„num Decreta ſanctiſſima, de non abalienandis Eccleſia-
„ſticis ditionibus, pœnæ in violatores Cleri &c. quibus ma-
„lis futuris prophetico ſpiritu plenus Antiſtes obviam ire
„conabatur: quæ ſi ſervata fuiſſent, nullum in Bohemiam
„aditum hæreſis habuiſſet. Huic *Joanni* dedicatus eſt Tra-
„ctatus incerti, ſed Theologiæ, & juris peritiſſimi Autho-
„ris: *An Samuel potuerit Saulem, quem ipſe elegerat, aſper-*
„*nari* &c. Videtur hæc res ſpectare ad Controverſiam *Ur-*
„*bani* Papæ VI. cum Cardinales, qui eundem elegerant, à
„Pontifice receſſiſſent, quos hic Author, & merito ſugil-
„lat.

*Romam profectus Patriarcha Alexandrinus denominatur. Obit Romæ.*

*Ejus ſcripta.*

Digitized by Google

„lat. Scripſit etiam *Joannes*, ùt alius Codex Manuſcriptus „loquitur, Hiſtoriam devotam *de feſto Viſitationis* B. MA-„RIÆ, & hoc feſtum celebrari primus inſtituit in Bohemia „*(qua in re ei ſeſe oppoſuêre quidam in Capitulo Eccleſiæ Pra-„genſis, ac nominatim ADALBERTUS RACONIS de ERICI-„NO Scholaſticus, & Canonicus Præbendatus Eccleſiæ Pra-„genſis, Sacræ Theologiæ, & liberalium Artium Profeſſor „ſtudii Pariſienſis, cujus ea de re extat liber)* at *Joannes* „*(pergit Codex)* procuravit per totum mundum hoc feſtum „celebrari, & omnia beneficia ſua dicebat ſibi dari inter-„ceſſione Beatiſſimæ MARIÆ Virginis Viſitantis; iſte mor-„tuus eſt in Curia Romana, & dicitur eſſe Beatus. Hacte-„nus Manuſcriptus Codex. „

Neque aliter in Epitome Rerum Bohem. Lib. IV. Cap. I. p. 400. de eo ſcripſit: „Fuit *Joannes de* Genſtein *(ver-„ba ſunt Balbini)* vir doctiſſimus juxta ac ſanctiſſimus: ejus „eſt eruditiſſimus, & typo digniſſimus liber MS de *Laude* „*Nominis JESU*, qui in Bibliotheca Pragenſi Societ. JESU „ſervatur, quem ſucceſſori ſuo his ipſis dedicat verbis: *Jo-„annes* DEI gratia Patriarcha Alexandrinus, olim Archiepi-„ſcopus Pragenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus Reverendiſſi-„mo in Chriſto Patri Domino *Wolframo*, ejusdem gratia „Archiepiſcopo Pragenſi. &c. „ In notis vero ad hunc locum ſubjungit Balbinus p. 406. partem literarum Fundat. Miſnenſi Eccleſiæ factæ, poſtquam ita præfatus eſſet: "Fun-„davit idem *Joannes* & liberaliſſima pietate dotavit Altare „*S. Wenceslai* in Epiſcopali Eccleſia *Miſnenſi.* Recitantur „fundationis literæ in libris Erectionum, *Nicolao* Epiſcopo „Miſnenſi inſcriptæ, in quibus omnes cenſus, tum tota „Altaris illius œconomia, & onera Sacerdotum explican-„tur diligenter: poſt hæc ſubditur. " Jus præſentandi „dicti Altaris: Nobis & Archiepiſcopo Pragenſi, & Nobili-

***Fundat, dotatque AramS. Wenceslai in Eccleſia Miſnenſi.***

„bus *Martino*, *Paulo* & *Wenceslao de Genzenſtein*, fratri-„bus noſtris germanis, totaliter reſervamus: & nobis omni-„bus ſublatis de medio, ad Pragenſes Archiepiſcopos, jus „Patronatus, debet plenariter pertinere. *Licet autem ra-„tione legationis, utpote Apoſtolicæ ſedis vicarii, poſſemus in „dicta Miſnenſi Eccleſia beneficia erigere, & creare*; Nos „tamen vobis propter amicitiam in hac parte deferre vo-„luimus &c. Datum *Franckenfurt* Moguntinenſis Diœce-„ſis Anno MCCCLXXX. XXVI. Martii. „ Hic poſtremus ſcribendi modus inſinuare ſatis videtur, non omne periculum Miſnenſi Eccleſiæ deceſſiſſe, ne ratione Legationis Apoſtolicæ Pragenſibus Archiepiſcopis aliquo modo obnoxia redderetur.

## XXXII. Nicolaus de Miſna Ord. Prædicat.

*Nicolaus ex Ord. Prædicat.*

Non levior de *Nicolai* ad *Miſnenſem* Epiſcopatum translatione, quam de Deceſſoribus Epiſcopis naſcitur. Si Fabricio, audacter annum, modumque notanti, fides eſſet, *Nicolaus*, An. MCCCLXXXI. voluntate *Urbani VI.* Rom. Pontif. ad regendam *Miſnenſem* Eccleſiam admotus. Ita enim ille ad hunc annum ſcribit: " Contentio in Col-„legio Sacerdotum, de ſummo gradu dignitatis, quæ ali-„quot annos inter nobilitatem ambitioſam duraverat, ſe-„dari nondum potuit. Id cum delatum ad *Urbanum VI.* „eſſet, ad tollendum Schiſma, dedit ipſis, quem antea de-„ſtinaverat *Lubecenſem*, qui *Pragenſis* fuerat Prælatus, *Ni-„colaum* videlicet primum. Erat is Monachus *Dominicanus*, „Prior, & Lector Conventus *Paulini* Lipſienſis, ut ſcribit „Crancius: tum Decanus factus Miſnenſis eſt, *(videtur hoc*

*Lipſiæ ante Lector & Prior*

„*loco deceptus eſſe Fabricius*, & *NICOLAVM hunc*, *cum* „*NICOLAO de ALDENBVRG Decano Miſnenſi*, *quemad*-„*modum in MS. Cod. noſtro ſæpius appellatur*, *confudiſſe*) & „poſtea Antiſtes *Lubecenſis*, Pontificis, ut dictum eſt, au-„ctoritate. Ipſe autem literis aſſuetus, & quieti, guber-„nationem illam difficilem propter negotia civilia, ſuſtinere „non potuit, & ſe Præſulatu Saxonico abdicavit. In *Miſ*-„*nenſem* miſſus Eccleſiam &c.„

*& Lubecenſis Epiſcop.*

Chronicon Lubecenſe *Alberti* Crummedickii ex Lubec. apud Meibom. T. II. p. 399. de *Nicolao* noſtro hæc habet: "Frater *Nicolaus de Miſna*, *Ordinis Prædicatorum*, „Prior, & Lector in Conventu *Lipſenſi*, Merſeburgenſis „Diœceſis, datus eſt in Paſtorem Eccleſiæ *Lubicenſi* per ſum-„mum Pontificem anno Domini MCCCLXXIIX. cum con-„corditer electus eſſet Dominus *Johannes Klenedenſt*, De-„canus dictæ Eccleſiæ, per Capitulum. Qui cum pro con-„firmatione iter arripuiſſet ad Curiam, in Urbe Pragenſi, „relatione certa didicit Eccleſiæ jam eſſe de dicto *Nicolao* „proviſum. Iſte in hac ſede non diu manſit, ſed ex eo, „quod non reperit civitatem *Lubicenſem* de temporali Do-„minio Epiſcopi, graviter dedignatus receſſit. Translatus „vero fuit ſtatim poſtea ad Eccleſiam *Miſnenſem*.„ Eadem narrat Albertus Krantzius Metrop. L. X. C. 10. Verum quæcunque cauſa fuerit religioſo Epiſcopo, *Lubecenſem*, in qua non niſi odioſa, ob potiorem apud ſuos *Joannis* æmuli gratiam, *Nicolai* præſentia eſſe poterat, Cathedram deſerendi; ſatis tamen patet, eundem exacto necdum anno *Miſniam* repetiiſſe.

*Translatus ad Eccleſiam Miſnenſem.*

Et certe An. MCCCLXXIX. jam *Miſnenſi* præfectum Eccleſiæ fuiſſe, non uno ex documento liquet. Ac primo,



Digitized by Google

ut refert MS. Codex noſter, " *Nicolaus* Epiſcopus *Miſnen-*
„*ſis*, antea *Lubecenſis* XIV. Cal. Aprilis An. MCCCLXXXIX.
*Privilegia, & Statuta Capituli Miſn. confirmat.*
„approbavit, & confirmavit Capitulo Miſnenſi omnia ſua „privilegia, conſuetudines, & ſtatuta, ſuaque authoritate „iis robur, ac firmitatem addidit, palam profeſſus, nulli „ex his ſe contraventurum. „ XIII. deinde Cal. Junii ex Caſtro ſuo *Stolpen Dobirlucenſi* Cœnobio Parochiam *Kirchhaynenſem*, de conſenſu *Nicolai de Aldenburg*, Decani, & Capituli Miſnenſis in perpetuum attribuit. Extant rei teſtes Nicolai literæ apud Hoffmann. Luſat. T. IV. p. 211. & Ludevvigium Reliqu. MS. T. I. p. 398. quas ex eo hic deſcribimus.

*Literæ Donat. Dobirluc. Cœnobio factæ de Parochia in Kirchhayn.*

*NICOLAUS DEI gratia Miſnenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis nuncius, univerſis Chriſti fidelibus ſalutem perpetuam, & ſinceram in Domino caritatem. Quoniam ad ſingula pietatis opera tanto promptiores merito aſſurgimus, quanto ex noſtri gradûs celſitudine ad ſerviendum creatori noſtro obligationes nos minime ignoramus. Cum igitur Abbas, & Conventus Monaſterii DOBIRLUG Ordinis Ciſtercienſis noſtre Diœceſis varia, & innumera continue ferre cogantur gravamina, intolerabileſque bonorum ſuorum direptiones deſperatiſſime ſuſtinere, tum quia ſub diverſorum conſtituti Dominio Principum, quibus ſuis urgentibus crebris exactionibus ſæpius, que nequaquam tenentur exolvere compelluntur, quorum ſiquidem potentatus, ne dixerim tirannidis importunitate dicti Abbas & Conventus, ipſorumque ſubſides usque adeo opprimuntur gementes, ut nullius blandimento conſolationis valeant reſpirare, tum etium, quia gravi hoſpitalitatis frequentia, nimirum in viarum faucibus locati, intermiſſione omni ceſſante indeſinenter corroduntur, in tantum etiam, ut niſi monaſterio prædicto ſalubri ocius conſulatur remedio, ipſum in deſolatio-*

*nem*

*nem vergere, & monachorum inibi degentium diſperſionem minari videatur miſerandam. Quare prædictorum Abbatis, & ſuorum monachorum devotis inclinati precibus, certaque & multa edocti experientia usque ad compaſſionis viſcera nos provocante, & ipſis condeſcendendo Eccleſiam parochialem in KIRCHHAYN, & alatre Sanctæ Mariæ in eadem, quorum jus patronatus, & preſentatio ad Abbatem, & monachos pertinere dinoſcitur, & ſui fructus Eccleſiæ videlicet ad octo marcas, altare vero ad duas, ſecundum taxam noſtri Epiſcopalis Regiſtri ſe extendunt, poſt mortem Domini PETRI dicti Eccleſiæ Plebani, & Domini NICOLAI vicarii altaris ſupradicti, in aliquale ſaltem relevamen dicto monaſterio pure propter Deum auctorite noſtra ordinaria, de conſilio, & conſenſu totius Capituli Eccleſiæ noſtre Miſnenſis, incorporavimus, & preſentium vigore incorporamus. Juribus tamen, & conſuetudinibus noſtris, & ſucceſſorum noſtrorum, nec non Archidyaconi LUSICENSIS, qui nunc eſt, & pro tempore fuerint, ſalvis, & illeſis, rite conſervatis in beneficiis memoratis. Concedentes ſæpe dictis Abbati & monachis in perpetuum, ut unum ex ſuis, quem ad hoc magis idoneum cognoverint, vel etiam ſacerdotem ſecularem Archidyacono LUSATIENSI pro tempore preſentatum legitime, & admiſſum, relicta ſibi pro victu, & hoſpitalitate portione debita vicarium perpetuum, vel temporalem, quomodo ipſis magis expedire viſum fuerit, in Eccleſia ſupradicta ad ipſam, populum DEI, & altare prædictum regendum inſtituere debeant, quando, & quotiens fuerit opportunum. In quorum omnium evidens teſtimonium, & robur ſempiternum preſens ſcriptum ſigilli noſtri autentici appenſione duximus muniendum. Datum in Caſtro noſtro STOLPEN An. Domini MCCCLXXIX. viceſima die menſis Maji.*

Cur

Cur Apoſtolicæ ſedis nuncium hic ſe appellet *Nicolaus* Miſn. Ep. me latet. Ceterum *Nicolai* id factum, Cardinalis *Pilleus* XI. Cal. Martii An. MCCCLXXX. mox & *Urbanus VI.* ipſe, Pontifex Rom. III. Idus Aprilis ejuſdem anni approbavit: quorum literas idem Ludevvigius ibidem exhibet, p. 401. 403. & ſequenti.

Ex his manifeſtum jam eſt, *Nicolaum* Ep. Anni MCCCLXXX. principio, ſecus ac Fabricius ſentit, *Miſnenſem* Eccleſiam tenuiſſe. An. MCCCLXXX. *Joannes de Genzenſtein*, nuper *Miſnenſis* Ep. nunc *Pragenſis* Archiepiſcopus datis *Francofurto* ad Mœnum VII. Cal. Aprilis ad *Nicolaum* Miſn. Ep. literis, vicariam ad aram S. Wenceslai in Miſnenſi Baſilica à ſe erectam, conſtituto ex *Laniz*, *Redern*, *Dresden*, & *Nuſſin* cenſu annuo fundavit, ejusque confirmationem à *Nicolao* Miſn. Ep. uti & Jus Patronatus ſibi, ac fratribus ſuis germanis, & ab eorum obitu, Archiepiſcopis Pragenſibus (quamvis jure ſe ſuo ea in re, tanquam ſedis Apoſtolicæ Legatum uti ſe poſſe exiſtimaret, ut ſupra ex ejus literis oſtendimus) pro amicitia poſtulavit. Fecit poſtulata *Nicolaus*, & XI. Cal. Januarii, hoc anno exeunte, dictam vicariam confirmavit. Ex. Cod. MS. VI. Idus Junii *Nicolaus* Ep. Vicariis Miſnenſibus, id quod Canonicis jam ante indultum erat, poteſtatem fecit, ut à die obitus unius Vicarii, alter ejus beneficii fructibus potiretur, hac tamen lege, ut pro inſtallatione ſua intra unius anni decurſum ſexagenam unam monetæ uſitatæ in templi ornatum expenderet. Biduo poſt conventum eſt inter Epiſcopum, & Canonicos de Curia, & bonis in *Coſſebude*, & *Wartha*, eaque ad dies Vitæ Epiſcopo ſunt permiſſa cum onere, ut quotannis XX. ſexagenas groſſorum Miſnenſium Capitulo; X. vero Suffraganeo ſuo, *Franconi* Epiſcopo ſuo ex ærario per-

*Vicariam S. Wenceslai à deceſſore fundatam confirmat.*

*Plures ejus ordinationes pro Miſnenſi Capitulo.*

perſolveret. Ex Cod. MS. Sed enim An. MCCCLXXXIX. neſcio qua de cauſa *Nicolaus* Capitulo Miſnenſi bona, ac prædia in pago *Coſſebude*, & *Obervvartha* ex toto reddidit, nihil ſibi, nihil ſucceſſoribus ex iis reſervando, XVIII. Cal. Maji. Ex Cod. MS. Idem, poſtquam jam An. MCCCLXXXI. XV. Cal. Novembr. ſtatuta quædam feciſſet de perpetuorum vicariorum, ad divinorum ordinem rite obſervandum, reſidentia; An. MCCCLXXXIV. V. Cal. Maji edicto ſanxit, ut Capellanis abſentium Vicariorum deinceps etiam ea ſtipendia, quibus præſentia, & miniſtrationum nomen eſt, præberentur. Ib. Fabricius quidem, qui *Nicolao* primum Epiſcopatus annum MCCCLXXXI. aſſignavit, ſupremum eidem An. MCCCLXXXV. ſtatuit. Sic enim ille, omnia brevi compendio perſtringens, de *Nicolao* Ep. "Cum *Ludovicus*, Antiſtes Magdeburgius *(erat is* „*Marchionis Miſnenſis frater, qui ad HALBERSTADEN*-„*SEM, BAMBERGENSEM, MOGUNTINUM, ac tandem* „*MAGDEBURGENSEM ſucceſſive evectus erat, & An.* „*MCCCLXXXII. de gradibus prolapſus, fractis cervicibus ex*-„*ſpiravit, ut notat Chronicon Magdeburg. p. 349. & Kran*-„*tzius in Metrop. Sax. Lib. X.)* neſcio quibus injuriis laceſ-„ſitus, pagos in ditione *Mogellana*, & *Wurcinenſe* vaſtaret, „quod in hunc diem deſertæ aliquot villæ teſtantur; Præ-„ſul hic ſimplex exarſit, armaque ſumens neceſſaria, An-„tiſtitem longe ſe potentiorem, duobus levibus præliis „victum, ab injuria compellit diſiſtere, & divi Victoris „diem, XIII. Cal. Octobris, in rei memoriam ſtatuit poſte-„ris ſolennem.„ Deinde poſtquam ſcripſiſſet ad Annum MCCCLXXXII. *Nicolaum* Præſulem *Wenceslao* Romanorum Regi exactiones perſolviſſe per biennium, cauſa literis non expreſſa; ſubjungit An. MCCCLXXXV. "Præſul *Nicolaus* „obit III. Idus Febr. conditus in Cœnobio *S. Crucis* ad ripam „*Albis.*

*Nicolai Ep. cum Ludovico Magdeburg. concertatio ex Fabricio.*



Digitized by Google

Verum ut cetera ita ſe habuiſſe credamus, illud minime verum eſt, *Nicolaum* jam An. MCCCLXXXV. obiiſſe: conſtat enim An. MCCCLXXXVI. fundationem Vicariæ S. Georgii, SS. Mauritii, & ſociorum à Marchione Miſniæ *Wilbelmo* IV. Id. Auguſti factam, confirmatam à *Nicolao* Ep. Idibus Decembr. ejusdem anni. Conſtat præterea, ab eodem *Nicolao* Miſn. Ep. collatam facello *Vetero-Cellenſium* in *Boricben*, hoc anno conſecrato, ut habent Monumenta Vetero-Cell. p. 458. Quin & An. adhuc MCCCXC. ad VI. Id. Martii bona quædam à *Dieterico Koberſtein* empta, attribuit Capitulo: & rurſum IV. Non. Octobr. cenſus quosdam pro IV. Vicariis conſtituit: quibus pridie Id. Octobris alios iterum cenſus addidit pro Vicariis B. Mariæ Virg. S. Georgii, S. Nicolai, S. Catharinæ, & S. Eliſabethæ, quas erigere de novo cogitavit. Ex Cod. MS.

Porro *Nicolaum* Ep. An. MCCCXCI. adhuc in vivis fuiſſe, ex actis *S. Bennonis* Ep. manifeſto docemur: Sic enim Author de Miraculis P. I. Cap. I. Num. XXI. " *Nicolaus*, Epiſcopus *Miſnenſis* aliquando captus cum eſſet, implorata Divi *Bennonis* ope, liberatus eſt. Id quod ipſe „in Capitulo *Miſnenſi* publice teſtatus eſt An. MCCCXCI. „

*Nicolai Ep. obitus.*

Ex his palam jam eſt, *Nicolai* mortem annis aliquot ſerius, quam à Fabricio factum eſt, collocandam. Mihi non dubium eſt, quin ea ad An. MCCCXCII. ſit referenda. Sententiam meam affirmare videtur documentum ſequens, quod in MS. Codice noſtro ad An. MCCCXCII. ſic deſcribitur. " Strenuus Dominus *Joannes*, dictus de *Ilburg*, qui „*Freybergæ* habitabat, *Theoderico de Goech*, *Electo Miſnenſi* „*Epiſcopo*, & aliis Teſtamentariis *Nicolai* Decani (dicti *de* „*Aldenburg*) vendidit ad fundandas IV. Vicarias in Baſilica „Miſnenſi cenſum ſexagenæ unius &c. quem cenſum *Johannes*

„*nes Ilburg* reſignavit, & *Adminiſtratores Eccleſiæ (Stifft)* „*Miſnenſis, ſede Vacante,* Teſtamentariis conceſſerunt, & „ad dictam fundationem attribuerunt VI. Junii.„ Conſtat igitur ex hoc primo, *Theodericum* ſive *Dietericum de Goëch,* quem Fabricius inter Epiſcopos Miſnenſes XXXI. loco poſuit, hoc An. MCCCXCII. vocari *Electum Epiſcopum Miſnenſem,* adeoque non eſſe in itinere Romano Anno MCCCLXX. mortuum. Conſtat deinde *vacâſſe* hoc anno *ſedem,* morte nempe *Nicoloi* Epiſcopi, III. Id. Febr. defuncti; resque Eccleſiæ Miſnenſis adhuc VI. Junii per Adminiſtratores eſſe curatas: quod indicio eſt, *Theodericum de Goëch,* non poſt, ſed ante *Nicolaum* vel etiam *Conradum II.* fuiſſe *electum Miſnenſem Epiſcopum,* & vel Epiſcopatum accipere noluiſſe, vel ad eum, Pontifice refragante, pervenire non potuiſſe: ſecus enim Adminiſtratores, ſine illo, cauſas Eccleſiæ peracturos fuiſſe, vix exiſtimem.

# XXXIII. JOANNES III. de Kitteliz.

Quæ de *Nicolai* obitu modo allata ſunt, ſatis oſtendunt, *Joannis III.* Succeſſoris initia ab An. MCCCLXXXV. quod vult Fabricius, non eſſe deducenda. Cum igitur *Nicolai* obitum cum An. MCCCXCII. conjungamus, veriſimile admodum eſt, *Joannem III,* quem de gente *Kittelitia, Baruti* dominum vocat Fabricius, vel hoc, vel certe ſequenti, *Miſnenſis* Eccleſiæ infulas ſuſcepiſſe. Idem certe Fabricius jam ad An. MCCCXCIII. hæc de *Joanne III.* notat: " Decretum à Præſule eſt, ut rector Scholæ *(per Diœ-* „*ceſim, opinor, utique ſuam)* ab ipſo Parocho, non à Pa- „rochialibus eligatur: neque eligatur *(ut diplomatis utar* „*verbis)* ſecundum ſortem, ſed ſecundum artem.„ An. *Joannes III. de gente Kittelitia*



Digitized by Google

deinde MCCCXCIV. adjungit: " Incendiarii ab Erfurdia-„nis immiſſi, rogo imponuntur. *Albertus* Burggravius „*Leiſnicenſis*, Dominus in *Penica*, & *Fridericus Schönbur*-„*gius*, Dominus in *Glaucha* inter ſe diſſident, quibus arbi-„ter inter Eccleſiaſticos datus Præſul *Miſnenſis*. „

In MS. Codice noſtro prima *Joannis III.* Miſn. Ep. mentio An. MCCCXCIX. quo is emptionem pagi *Reimarſdorff* (Reinhardsdorff) quam *Joannes, & Tammo de Karas*, fratres, *Joanni de Pozte*, Decano, & Capitulo Miſnenſi, *eo tempore, quo Eccleſia Miſnenſis ſine Epiſcopo fuit, ſub Adminiſtratoribus* vendiderunt, confirmavit, & Capitulo eum pagum, pro Anniverſario Decani, ejusque parentum, nec non pro feſto Commemorationis B. V. M. celebrando attribuit IV. Id. Junii. Ex hoc documento, & duobus præcedentibus in eadem cauſa, quorum prius VII. Id. Febr. poſterius in ipſa venditione pagi *Reinbardsdorff*, feria IV. poſt Dominicam *Reminiſcere*, quæ ſecunda eſt Quadrageſimæ, factum eſt An. MCCCXCIII. ſimul colligitur, Joannem III. ante mediam Quadrageſimam Anni MCCCXCIII. nondum fuiſſe Epiſcopum ſaltem confirmatum: quod venditio facta ſit *eo tempore, quo Eccleſia Miſnenſis ſine Epiſcopo fuit.* Eodem An. Fer. V. poſt S. Bartholomæi iidem fratres, *de Karas* vendiderunt *Johanni de Pozte*, vel *Poyte*, Decano Miſnenſi pagum *Hondorff*: quam venditionem ratam habuit, pagumque Capitulo attribuit *Wilhelmus* Marchio Miſnenſis Fer. III. ante S. Lamperti. Capitulum vero IV. Non. Febr. anni ſequentis, pagum illum fabricæ Eccleſiæ aſſignavit. Ex Cod. MS.

An. MCCCXCV. VIII. Cal. Junii *Joannes III.* Ep. Miſn. ſtatuit, ut ſacerdotes vicarii, & miniſtri Altaris SS. Philip-

pi,

Digitized by Google

pi, &Jacobi, nec non Sacelli S. Crucis in *Dresden* pro reparatione (ſacerdotalis apparatus, reor) cenſus alquid quotannis ſolvant *Dresdenſi* Parocho. Ex Cod. MS.

An. MCCCXCIII. *Joannes III.* Miſn. Ep. *Rudolphum*, & *Albertum* Duces Saxoniæ, & Luneburgi, cum Abbate *Dobirlucenſi*, Dominica *Reminiſcere*, quæ ſecunda eſt Quadrageſimæ, reconciliavit; poſtquam *Wilhelmus*, *Miſniæ* Marchio, jam An. MCCCXCIV. ſublatis, quæ inter illos de privilegiis Cœnobii, de donis gratuitis, & exactionibus, de ſilva ad pagum *Jordan* exortæ erant, litibus, revocare in concordiam eſt conatus. Extant ea de re literæ *Wilhelmi* Marchionis *Turgoviæ* Fer. VI. ante Dominicam *Invocavit*, quæ eſt prima Quadrageſimæ, An. MCCCXCIV. & literæ *Joannis III.* Miſnenſ. Ep. *Dominica Reminiſcere*, Anno MCCCXCVII. in *Dobirlug* datæ apud Ludevvigium Reliqu. MS. T. I. p. 426. & 434. Eodem anno *Bonifacius* IX. Pontif. Max. prid. Idus Junii Miſnenſi Eccleſiæ poteſtatem fecit Feſtum SSS. Trinitatis, totamque octavam ita celebrandi, ut quaterni ſacerdotes confitentes audire, & abſolvere pro peccatis poſſent, conceſſa vere pœnitentibus Indulgentia. Ex Cod. MS. Feria III. vero poſt feſtum viſitat. B. M. V. confirmavit *Joannes III.* Ep. Altare X. millium militum, & XI. millium Virginum in Parochia *Leiſnizenſi* nuper erectum. Extant ejus hac de re literæ ex Epiſcopali Caſtro *Stolpen* datæ apud Menckenium T. III. in Mantiſſa Dipl. Leiſniz. Col. 1096.

*Duces Saxon. & Abbatem Dobirlucenſ. ad concordiam revocat.*

*FeſtumSSS. Triadis in Miſnia ſolenniter celebrandum inſtituitur.*

Altum deinceps in Codice noſtro de *Joanne III.* Miſn. Ep. eſt ſilentium, niſi quod An. MCCCIV. tametſi non amplius ejus Eccleſiæ Epiſcopus, XL. dierum indulgentiam iis conceſſerit, qui Sacro interfuerint ad aram S. Crucis ſub

teſtudine, & ad aram SSS. Trinitatis in Choro, fer. V. poſt S. Agnetis. Et Fabricius quidem ad An. MCCCCV. de eo ſcribit: "*Johannes III.* ætate confectus, conſenſu Collegii, „dignitatem reſignat cognato ſuo, Decano Miſnenſi, *Thi-*„*moni* de generoſa *Colditiorum* familia.„ Ad An. vero MCCCCVIII. addit in Supplemento p. 346. "*Joannes* Præſul tertio poſt reſignationem anno obit *Budiſſinæ* X. Cal. „Martii, conditus in Franciſcano.„

*Epiſcopatum reſignat.*

Sed enim de anno reſignationis MCCCCV. aſſentiri Fabricio non poſſum, ut ut cetera fortaſſe recte habeant: occurrunt enim in MS. Codice noſtro documenta complura, ab An. MCCCCI. usque ad An. MCCCCV. in quibus omnibus *Thimo* jam Miſnenſis Epiſcopus, ſuo nomine res Eccleſiæ ejus tractat, ut mox patebit. De anno certe MCCCCIV. dubitari non poteſt ex Diplomate, quod affert Mencken. in Mantiſſa Leiſniz. Diplom. Col. 1051. & altero apud Weckenium in Chron. Dresd. p. 240. in quorum utroque jam *Thymo*, Miſnenſis Epiſcopus appellatur. De anno, dieque mortis Joannis III. litem non movebo, modo plusquam triennium, poſt reſignationem ſuperſtiti, tribuatur.

## XXXIV. Thymo de Colditz.

*Thymo Ep. ex gente Colditia.*

Tametſi non ita certum ſit, quo anno, dieve *Thimo*, *Colditia* ex gente, ac *Volradi de Colditz* natu minor filius (ut de eo ſcribit Thammius in Chron. Coldic. apud Mencken. T. II. Col. 676.) *Joanni III.* cognato ſuo, Epiſcopatus munere ultro ſe abdicanti, ſucceſſerit; certum eſt tamen ex documento MS. Codicis noſtri, *Thimonem*, Miſ-

nen-

nenſem Epiſcopum jam III. Non. Octobris An. MCCCCI. confirmâſſe Vicariam S. Nicaſii, quam *Wilhelmus,* Marchio Miſnenſis, in Baſilica Miſnenſi, collato ex curia *Hainenſi,* & ex *Goſer,* ac *Blumenberg* prope *Oſchaz* cenſu annuo An. MCCCXCV. XV. Cal. Novembr. fundavit.

Annus MCCCCII. Miſnenſi Eccleſiæ in primis memoratu dignus eſt, quod *Bonifacius IX.* Pontifex Rom. ad preces *Wilhelmi*, Marchionis *Miſniæ* (imo *Wenceslai* ipſius, Romanorum, ac Bohemiæ Regis commendationem) Epiſcopatum Miſnenſem, ejusque ſubditos ab omni vi, jure, ac prætenſione Archiepiſcopi *Magdeburgenſis, ut Metropolitæ*; & Archiepiſcopi *Pragenſis, ut Legati nati*, liberum & exemptum eſſe declaravit, ac deinceps in ſua, & ſucceſſorum Rom. Pontificum tutela eſſe iuſſerit, pridie Idus Februarii. Ita MS. Codex noſter ad An. MCCCCII. Nec diſſentiunt Tylichius in Chron. Miſn. Monachus Pirnenſis in Excerpt. Saxon. Paulus Langius in Chron. Citizenſi; nec author Chronici ipſius Magdeburg. apud Meibom. T. II. quamvis p. 351. exemptionem hanc ſub *Bonifacio IX.* ad preces *Wilhelmi Monoculi*, Marchionis Miſnenſis Anno MCCCCII. factam, *ſurreptitiam, & per Cameram, non per Cancellariam expeditam,* ut alio in loco à me ſupra ſcriptum eſt, cavilletur. Obſcurius illud eſt, quod in laudato nunc MS. Codicis noſtri documento, additur his verbis: "An. „MCCCCII. hat Bapſt Bonifacius IX. auf Marchgrafen *Wil-* „*helm* zu Meiſſen anſuchen, *und des Römiſchen, und Böhe-* „*miſchen Königs Wenceslai Vorſchrifft*, das Biſtumb *Meiſ-* „*ſen,* und deſſelben Unterthanen befreyet &c.„ Cùm enim ex Tylichio, & Vetero-Cellenſi ad An. MCCCXCVIII. conſtet, inimicitias *Wilhelmo* Marchioni Miſn. fuiſſe cum *Wenceslao* Rege; amicitiam vero, imo & affinitatem quandam,

*Miſnenſis Epiſcopatus eximitur ab omni jure Archiepiſc. Magdeburgenſis, & Pragenſis, ut Legati nati.*

cum

cum *Ruperto* Rege, *Wenceſlai* æmulo; & alioquin Fabricius (quanquam ad An. MCCCLXXXV. quo *Innocentius IV.* nondum Pontifex fuit) de *Wenceſlao* Rege in Supplemento ſcribat: "*Wenceſlaus* Imp. petivit, ut Pragenſis Antiſtes, „Eccleſiæ Miſnenſis, aliarumque fieret Metropolitanus: eam „flagitationem injuſtam judicavit *Innocentius* Pontifex. „ Difficulter conciliari ea poſſunt, quæ ſupra ex documento de commendatione *Wenceſlai* Regis allata ſunt. Sed hæc utcunque ſe habuerint, præteriri à me non debuêre.

Exeunte An. MCCCCII. *Thimo* Ep. cenſum annuum ex pagis, majori, & minori *Müglin* à *Franciſco Königsbruck*, Miſnenſi Canonico, & Præpoſito *Wurcinenſi* comparatum, Capitulo Miſnenſi attribuit XI. Cal. Januarii. Ex Cod. MS. An. MCCCCIII. X. Kal. Decembr. *Bonifacius IX.* PP. aram *S. Crucis* in Baſilica Miſnenſi VII. annorum indulgentia donavit: VII. vero Id. Febr. Anni ſequentis, II. annorum item indulgentiam pro ara *SSS. Trinitatis* in Choro contulit: auxit piam hanc liberalitatem *Thymo* Miſn. Ep. IX. Cal. Febr. *Joannes III. de Kitteliz*, Miſnenſis autem Antiſtes feria V. poſt S. Agnetis, & *Nicolaus Cathoſienſis* Epiſcopus, & Miſnenſis Antiſtitis Suffraganeus feria IV. ante Pentecoſten, & XL. dierum indulgentiam ſinguli audientibus ſacrum vel ad aram S. Crucis, vel ad aram SSS. Trinitatis conceſſerunt An. MCCCCIV. Ex Cod. MS.

*Thimo Ep. jus Patronatus in Eccl. Dresdenſ. permutat cum jure conferendi Parochi-*

Eodem anno MCCCCIV. Cal. Octobr. *Lipſiæ* inter *Thimonem* Miſn. Ep. & Marchiones Miſn. *Balthaſarem*, *Wilhelmum*, ac *Fridericum* permutatio facta eſt, jusque Patronatus in Eccleſia B. M. in *Dresden*, quod penes Epiſcopum erat Marchionibus; jus vero conferendi Parochias in *Eberſpach*, & *Friberg Thimoni* Epiſcopo datum, ut videre eſt in Diplo-

Diplomate ea ſuper re confecto apud Mencken. T. III. in Mantiſſa Dipl. Leiſnic. Num. XLVIII. & apud Weckenium in Chron. Dreſd. p. 240. apud quem etiam *Bonifacii IX.* Rom. Pontif. literas anno Pontificatus ejus XII. ea de re Romæ Cal. Decembr. datas p. 238. invenies. Ac harum quidem exemplum hoc eſt: *as in Eberſpach, & Friberg.*

*BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum DEI, dilecto filio Nobili viro WILHELMO Marchioni Miſnenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Univerſis Orbis Eccleſiis diſpoſitione divina, licet inſufficientibus meritis, præſidentes ad eas intuitum aſſiduæ conſiderationis extendimus, ut per noſtræ operationis miniſterium ſemper favente Domino votivis proficiant incrementis. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad DEI laudem, & gloriam, ac pro tuæ tuorumque progenitorum, & parentum animarum ſalute, in Capella S. CRUCIS in loco DRESDEN Miſnenſ. Diœc. quoddam Collegium, in quo eſſe debeat certus Canonicorum numerus, & Decanus, qui inibi Domino perpetuis temporibus deſerviant laudabiliter in divinis, de bonis à DEO tibi collatis fundare, & ordinare, illudque de bonis hujusmodi ſufficienter dotare proponis, ac pro tui animi conſolatione ſingulari deſideras Parochialem, & matricem Eccleſiam Beatæ Mariæ Virginis in loco prædicto DRESDEN, ad collationem Epiſcopi Miſnenſis pro tempore exiſtentis pertinentem, & per unum ex Canonicis Eccleſiæ Miſnenſis gubernari conſuetam, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem collegio applicari, ac in concambium, & titulo permutationis pro eadem parochiali Eccleſia, in EBERSBACH, & S. Nicolai in FRIBERG dictæ Diœceſis parochialium Eccleſiarum jus patronatus quod obtines, in Epiſcopum transferri, pro parte tua* *Bonifacii IX. PP. ſuper hac re litera.*

 *nobis*

*nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi faciendi præmiſſa licentiam, & autoritatem concedere, & dictam Eccleſiam in* DRESDEN *præfato Collegio applicare, ac in concambio, & titulo permutationis hujusmodi jus patronatus prædictum in ipſum Epiſcopum transferre de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur tuum pium, & laudabile propoſitum in hac parte, quod divini cultus concernit augmentum, dignis in domino laudibus commendantes, ac volentes illud favoribus Apoſtolicis confovere, hujusmodi ſupplicationibus inclinati devotioni tuæ fundandi, & ordinandi Collegium prædictum, ipſumque de bonis prædictis, prout tibi melius videbitur, dotandi, & in eo Decanum, qui præſit Canonicis dicti Collegii, & decentem numerum Canonicorum per te, ac hæredes, & ſucceſſores tuos proximos perpetuo jure patronatus præſentandi, ponendi, & collocandi, prout in fundatione hujusmodi ordinaveris, auctoritate Apoſtolica ſpecialem licentiam, & facultatem plenariam elargimur, ac Eccleſiam in* DRESDEN *prædictam, cujus quindecim* (ita mendoſe in apographo) *a collatione dicti Epiſcopi ſeparantes, illam dictæ Capellæ, dum tamen Capella ipſa, ut præmittitur, in collegium erigatur, & ad id prædicti Epiſcopi accedat aſſenſus, pro divini cultus augmento cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis auctoritate Apoſtolica perpetuo applicamus, ac in excambium, & titulo permutationis hujusmodi pro ipſa Eccleſia in* DRESDEN *in* EBIRSPACH, & S. NICOLAI *Eccleſiarum prædictarum, quarum etiam, qui decem marcarum argenti fructus redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum non excedunt, jus patronatus hujusmodi cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis autoritate prædicta, in eundem Epiſcopum transferimus, per præſentes; Ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Eccleſiæ in* DRESDEN, *qui nunc eſt, vel Eccleſiam ipſam alias quomodolibet dimittente, liceat præſiden-*

*tibus*

*tibus dicto Collegio in DRESDEN, ac ex nunc Epiſcopo ſupradicto in EBIRSBACH, & S. NICOLAI Eccleſiarum prædictarum juris patronatus hujusmodi corporalem poſſeſſionem auctoritate alicujus licentia ſuper hoc minime requiſita, apprehendere, & perpetuo retinere, reſervata tamen de hujusmodi fructibus, redditibus & proventibus ipſius Eccleſiæ in DRESDEN pro perpetuo Vicario in ea Domino ſervituro congrua portione, de qua idem Vicarius poſſit congrue ſuſtentari, Epiſcopalia noſtra abſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque, ſeu ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales vel generales Apoſtolicæ ſedis vel legatorum ejus literas impetrarint, etiam per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus eadem auctoritate habitos, vel habendos ad Eccleſias parochiales prædictas volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad executionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, ſpecialibus vel generalibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat, quomodolibet vel differri, & de quibus quorumcunque totis tenoribus de verbo ad verbum eſſet in præſentibus facienda mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus quicquid contra præmiſſa à quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ applicationis, translationis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus,*



Digitized by Google

*ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum KL. Decemb. Pontificatus noſtri Anno duodecimo.*

Illæ vero ſic habent:

*Literæ Balthaſ. Wilhelmi & Friderici Marchion. Miſnenſ de eadem re.*

*In nomine Domini amen. BALTHAZAR. WILHELMUS. FRIDERICUS. WILHELMUS, & FRIDERICUS natus præfati BALTHAZAR DEI gratia Marchiones Miſnenſes Thuringiæ Landgravii, & Comites Saxoniæ palatini. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humanæ naturæ commoda nihil queat memoria dignius reperiri, eo quod mentes hominum alleviet, humanæ ſollicitudini quietem præparet, & res geſtas in robore ſui ſtatus foveat, & conſervet. Expedit contractus rationabiliter celebratos, ne per oblivionis umbram fluxibiliter evaneſcant, ſcripturarum teſtimonio poſterorum memoriæ commendari. Ea propter recognoſcimus, & tam ad præſentis ætatis, quam ad futuræ progignendæ poſteritatis volumus notitiam devenire. Quod matura, ac provida deliberatione præhabita, juſtisque, & rationabilibus cauſis animum noſtrum ad hoc moventibus cum Reverendo in Chriſto patre Domino THYMONE, Epiſcopo Miſnenſi debite permutationis contractum inivimus de beneficiis infra ſcriptis, requiſito ad hoc Venerabilium Virorum dominorum Præpoſiti, Decani, & totius Capituli Eccleſie Miſnenſis conſenſu pariter, & obtento. Ita videlicet, quod idem dominus THYMO, Epiſcopus Miſnenſis, jus conferendi, & præſentandi Eccleſie parochialis beatæ Mariæ Virginis in DRESDEN per Canonicum Eccleſie Miſnenſis hucusque gubernari conſuetæ, quod ad eundem dominum, Epiſcopum Miſnenſem, & ad ſuos prædeceſſores ab antiquo pertinuit, & ſpectabat, nobis, & noſtro principatui videlicet Marchionatui Miſnen. juſto permutationis titulo pro infra ſcriptis beneficiis applicavit per nos, & noſtros heredes, & ſucceſſores Marchiones Miſnenſes pro tempore*

*pore*

*pore exiſtentes tanquam verum jus patronatus laicale perpetue habendum, & pacifice poſſidendum, taliter quod ad ipſam Eccleſiam parochialem beatæ Mariæ in* DRESDEN *deinceps perpetuis futuris temporibus quando, & quociens eam vacare contingat, valeamus perſonam idoneam præſentare, ſtatutis, juribus, & conſuetudinibus Epiſcopalibus Synodalibus, & Archidyaconalibus ipſi Eccleſie in* DRESDEN *incumbentibus, in omnibus ſemper ſalvis juxta dicti domini Epiſcopi, & Capituli Miſnenſis literarum nobis deſuper conceſſarum continentiam, & tenorem, & que Eccleſiam Miſnenſem, ac perſonas ipſius in ſuis adeptis bonis, & juribus noſtris temporibus non minuere, ſed quantum nobis ab alto conceditur potius cupientes, volentesque hujusmodi jus patronatus Eccleſie parochialis in* DRESDEN *ſicut permittitur in viam permutationis nobis traditum, & conceſſum digne retributionis compenſare dulcedine, & Epiſcopo, & Eccleſie* MISNEN. *de reſtauro ſufficienti providere jus patronatus, ſive jus conferendi Eccleſiarum parochialium beatæ Mariæ Virginis in* EBIRSBACH, & SACNTI NICOLAI *in* FRIBERG, *quod nobis, & noſtris progenitoribus hactenus ab antiquo competebat, præfato domino* THYMONI *Epiſcopo, & Eccleſie Miſnenſi ex cauſa permutationis ſupra ſcriptæ viceverſa tradimus, concedimus, & applicamus, transferentes, & transfundentes ex certa noſtra ſctentia pro nobis, & omnibus heredibus, & ſucceſſoribus noſtris dictum jus patronatus præfatarum Eccleſiarum parochialium in* EBIRSPACH & S. NICOLAI *in* FRIBERG *in dictum dominum Epiſcopum, & omnes ſucceſſores ipſius, & in Eccleſiam Miſnenſem prænuncialiter in his ſcriptis, & nihilominus conſtituimus, & facimus eosdem prædicti juris patronatus ipſarum Eccleſiarum in antea veros, & legitimos poſſeſſores. Itaque deinceps perpetuis futuris temporibus quandocunque vel quocienſcunque (per) proceſſum vel deceſſum dictas*

*Eccleſias, vel aliquid earum vacare contingat, extunc Epiſcopus Miſnenſis, qui pro tempore fuit, ad quamlibet dictarum Eccleſiarum ſimul, aut ſucceſſive vacantium unum Canonicum Eccleſiæ Miſnenſ. majore præbenda præbendatum emancipatum, & integratum, & non aliam perſonam debeat præſentare. In quorum omnium & ſingulorum evidens teſtimonium præſentes literas noſtrorum Sigillorum appenſione fecimus communiri. Teſtes hujus rei ſunt nobiles & ſtrenui viri domini JOANNES Comes in SCHWARCZPVRG, HEINRICVS Comes de SWARCZPVRG, dominus in SVNDIRSHVSEN, ALBERTVS Burgravius de LISSENIG dominus in PENIG, ALBERTVS Burgravius in KIRCHBERG. HEINRICVS dominus in GERA, nec non OFFO de SLIWIN. THEODERICVS de BEREWALDE. ALBERTVS de BOTILSTETE milites, & plures alii fide digni. Datum LIPCZK Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quarto, prima die menſis Octobris.*

*Thimo ad Concilium Piſanum mittitur.* Omitto complura alia documenta, quæ per annos IV. ſequentes in MS. Codice noſtro compendio referuntur: ad ea tranſeo, quæ annis duobus ultimis ſub *Thimone* geſta. Ex his certum in primis eſt, *Thimonem* Miſnenſem Epiſcopum An. MCCCCIX. ad *Piſanum Concilium*, ubi depoſito *Benedicto XIII.* & *Gregorio XII. Alexander V.* ad Rom. Eccleſiæ Pontificatum evectus eſt, non *Ruperti*, ſed *Wenceslai*, quondam Romanorum, & tum etiamnum Bohemiæ Regis nomine eſſe miſſum. Nam quod Fabricius ad An. MCCCCV. Dreſſerus in Iſagoge Hiſtorica, & Thammius ex eo in Chronico Coldicenſi Col. 676. ſcribunt, *Thimonem* legatione Imperatoris ad *Piſanum* Concilium eſſe functum: id non de *Ruperto* Cæſare, ſed de *Wenceslao*, Bohemiæ, ac quondam Romanorum Rege, intelligendum

eſſe,

eſſe, Acta Concilii Piſani apud Labbeum Concil. T. XV. Col. 1232. aperte docent: Sic enim ibi legitur: "Sequuntur Ambaſſiatores Regum, & primo illuſtriſſimi Domini „Romanorum, & Bohemiæ Regis, R. in Chr. P. D. Wenceslaus, Patriarcha Antiochenſis, R. in Chr. P. D. *Simon* „*(lege THIMO)* Epiſcopus *Miſnenſis*, Magnificus Baro D. „*Benecius Coſmoi (al. COSNIH)* Miles." Nec dubitem, quin *Thimo Miſnenſis* ſit, qui in Catologo Epiſcoporum, qui *Piſano* Concilio præſentes erant, manifeſto errore, *Simon Caſſinenſis* ſcribitur, cum interim *Thimo Miſnenſis*, qui certe interfuit, illo in indiculo inter Epiſcopos non legatur.

*Wenceslai, non Ruperti R. nomine.*

Ceterum per eam occaſionem factum id, quod Fabricius ad An. MCCCCV. & ex Dreſſeri Iſagoge Hiſtorica, Thammius in Chron. Coldicenſi de Thimone memorat: „*Thimo* Baro de *Colditz (Ep. MISN.)* Eccleſiam ære alieno „oppreſſit, & in legatione Imperatoris *(WENCESLAI Romanorum & Bohemiæ Regis)* ad Concilium *Piſanum*, vaſa „argentea omnia perdidit, invaſus à raptoribus." Sed enim ſolatus caſum *Thimonis Alexander V.* Pontifex, cujus electioni interfuit, & Non. Julii An. MCCCCIX. (nam ſequenti anno Alexander V. PP. V. Non. Maji vita jam exceſſit) non modo fundationem Eccleſiæ in *Stolpen* confirmavit, eamque ab omni jurisdictione, etiam Archidiaconi, & Capituli Miſnenſis exemptam. & *uni ſubjectam Miſnenſi Epiſcopo* declaravit: ſed etiam *Thimoni* poteſtatem fecit, XXV. beneficia in ſua Eccleſia per ſe conferendi, & duos Canonicatus ad præbendas concedendi. Ita Codex noſter.

*In itinere ſpoliatur.*

*à Pontifice magnis privilegiis augetur.*

An. MCCCCX. cum M. *Stephanus Meyr*, Canonicus Miſnen-

Miſnenſis emiſſet Epiſcopatus decimas ex pagis *Adelsdorff, Moltach*, *Queriz*, *Brockevviz*, *Volter* in præfectura *Haynenſi*, *Thimo* Ep. partem earum Miſnenſi Eccleſiæ ad celebrandum feſtum *Spineæ Coronæ* Chriſti; partem Cœnobio Virginum ad *S. Crucem* attribuit IV. Id. Martii. Ex Cod. MS. Nec multo poſt, IV. nempe Non. Decembris, vitam clauſit, ut poſt Fabricium, Chronicon Coldicenſe notat, quod eum eximio apud omnes in honore fuiſſe tradit. Paulo aliter de *Thimone* ſentit Fabricius, cujus ad An. MCCCCV. de eo ambigua laus eſt: " Cum Collegio ſuo *(inquit) Thimo* raro conſenſit, & Canonicis in omnia vitia prolapſis „gravem ſe cenſorem exhibuit: quos tamen nec monendo, „nec objurgando compellere ad vitæ incorruptæ, & modeſtæ officia valuit. Ipſe factus legatus *Roperti* Ducis Palatini, Romanorum Regis, vaſa aurea, argenteaque aut oppignerat, aut vendit: & à latronibus in via ſpoliatus, vim „pecuniarum magnam amittit. - - *Thimone* Præſule ad titulum facta adjectio eſt, ut ſcriberetur: *Timo DEI & „Apoſtolicæ ſedis gratia*, cum antea *ſedis Apoſtolicæ* nomen „fuiſſet prætermiſſum. An. MCCCCX. obit IIII. Non. Decembr. *Thimo* Præſul, cupidior aulæ, quam Eccleſiæ. „ Ita Fabricius: ſed haud ſcio, an verè: ut enim in Legatione *Roperti* Rom. Regis; ita in adjecto tum primum ſolenni: *DEI, & Apoſtolicæ ſedis gratiæ*, titulo aperte fallitur: nam & *Joannem III.* ex *Kitteliziis*, An. MCCCXCVII. & jam *Conradum II.* An. MCCCLXXIII. uſos ea formula, eorundem literæ evincunt. *Thimonem* aurea, argenteaque vaſa aut oppignoraſſe, aut vendidiſſe, nemo præter Fabricium ſcripſit: nec tam averſo fuiſſe à Canonicis ſuis animo, ex iis, quos Capitulo Miſnenſi quotannis fere attribuit, cenſibus, colligi ſatis poteſt.

*Thimonis Ep. obitus.*

*Fabricii lapſus aliquot.*

XXXV.

Digitized by Google

# XXXV. RUDOLPHUS de Plawenitz.

Nulla de ſucceſſore lis eſt; ſed de annis ſedis controverſia ingens, ut infra videbitur. Fabricius ad An. MCCCCXI. ſic ſcribit: " *Rodolphus de Plaunitz* Præſul eli„gitur IV. Id. Januarii *Miſnæ*, conſecratur *Naumburgi*. „Anteceſſoris æs alienum magna ex parte ſolvit, & *Rei*„*nersdorfium* (*REIMERSDORFFIUM à Joanne III. Capitulo* „*Miſnenſi adſcriptum, ſupra diximus*) ad Eccleſiam adjun„git. Præfectos & Quæſtores ſine Collegii conſenſu non „recepit, nec ſine ejus ſcitu dimiſit: & ſingulari fide redi„tus adminiſtravit. Ejus Suffraganeus fuit *Henricus* (*NI*„*COLAUS in Monum. Vetero-Cellenſ. & Cod. Miſn. con*„*ſtanter ſcribitur*) *Cathoſienſis*. Aulas perpetuo ſectatus fue„rat, antequam factus Præſul eſt, utque muneri ſuo vaca„ret præſens, perſuaderi non potuit. Ideo cum & abſen„tia Præſulis, & vicarii imperium grave collegio eſſet, dig„nitas à nobilitate rurſus ad virum humilem, poſt mortem „*Rodolphi* devolvitur.„ Subjungit deinde ad Annum MCCCCXIII. " *Rodolphus* Præſul obit IX. Cal. Julii.„

*Rudolphus Ep. de gente Plavvenitia.*

In MS. Codice noſtro prima occurrit *Rudolphi* Miſnenſis Ep. mentio fer. VI. poſt S. Andreæ feſtum Anno MCCCCXII. quâ conſenſum à Canonicis per literas poſcit, ut *Folzſchoni* de *Torga* Caſtrum *Liebethal* poſſit oppignorare. Sed enim, quo tempore Fabricius jam extinctum fuiſſe *Rudolphum* ſcripſit, An. MCCCCXIII. XVII. nempe Cal. Novembris *Rudolphus* Ep. XL. dierum indulgentiam conceſſiſſe adhuc legitur in Codice noſtro iis, qui ad Templi Miſnenſis fabricam ſubſidii aliquid conferrent. Quin, quod Fabricius ipſe narrat, id Codex noſter IV. Cal. Septembris Anni MCCCCXIV. factum notat, ut ſcripto ſe obliga-

*Caſtrum Liebethal oppignorat.*

ligaret *Rudolphus* Ep. nullos ſe præfectos, aut ſub-præfectos in *Stolpen*, *Miiglin*, & *Wurzen* movere loco velle, niſi novas Canonicorum Collegio præſentaret, quo & illi pariter ſuam fidem obſtringerent. Ad An. rurſus MCCCCXVI. in Codice noſtro legitur: Feria V. poſt S. Margarethæ, *Rudolphus* Ep. cenſum quendam ex pago *Bratirſvviz* in præfectura *Miſnenſi* ſito, ad levamen pauperum Capitulo Miſnenſi tribuit, in *Seelenhaus* quotannis mittendum. Denique, referente eodem MS. Codice, An. MCCCCXIX. *Rudolphus* Ep. parochiam in inferiore *Eberſpach*, cum omnibus pagis, agris, ſilvis, pratis, aquis, omnibusque juribus, & fructibus Cuſtodiæ, ſeu Cathedralis Eccleſiæ Cuſtodi Canonico in perpetuum addixit, XV. Cal. Septembr. Ab hoc anno usque ad An. MCCCCXXVIII. in MS. Cod. noſtro, nullius deinceps Epiſcopi nomen exprimitur, quantumvis ſemel, iterumque Epiſcopi generatim fiat mentio. Accedit Pauli Langii in Chron. Citizenſi ſententia ad An. MCCCCXXVII. ſic ſcribentis: "Anno denique, de quo „ſupra, Domini videlicet MCCCCXXVII. *Rudolphus de* „*Plavvenitz*, XXXV. Epiſcopus *(hoc enim loco, & ipſe no-* „*biſcum, & Monachus Pirnenſis RUDOLPHUM collocat)* „Miſnenſis obiit. „

*Annus obitûs Rudolphi Ep. incertus.*

His ſeorſim ſpectatis, nemo, opinor, futurus eſſet, qui non vitam *Rudolpho* Epiſcopo, ſi non ad An. MCCCCXXVII. cum Langio, ad An. tamen MCCCCXIX. quo ultimum in MS. Codice noſtro extat Rudolphi documentum, prorogatam exiſtimaret. Idem tamen, ſi, ſecluſis his noſtris, ea legat, quæ Fabricius tam affirmate de *Hoffmanni* ſucceſſione ad Epiſcopatum Miſnenſem An. MCCCCXIV. de ejus ad *Conſtantienſe* Concilium profectione, venditoque ad eos tolerandos ſumptus Epiſcopali oppido *Noſſa* memorat, Fabricii

ricii ſententiam ſine dubio amplectetur. Accedit & aliud momentum non leve, quod in MS. Codice noſtro ad An. MCCCCXV. diſerte ſcribatur: "*Johannes* Epiſcopus „cenſum in *Kauffbach*, quem *Daubenheimii* vendiderunt, „Miſnenſi Eccleſiæ applicuit feria III. poſt Trinitatis An. „MCCCCXV.„ Id de alio, niſi de *Miſnenſi* Epiſcopo, *Joanne Hoffmanno*, intelligi non poteſt: & tamen in eodem Codice, *Rudolphus de Plavvenitz* adhuc An. MCCCCXVI. & MCCCCXIX. Miſnenſis Epiſcopus fuiſſe legitur, ut adducta ſuperius monumenta demonſtrant. Quid ſi *Johannes Hoffmannus*, Coadjutor Miſnenſis Epiſcopi, cum jure ſucceſſionis, vivente adhuc *Rudolpho*, ſub An. MCCCCXIV. quo Concilium *Conſtantienſe* cœpit, eſſet electus, & *Rudolphi* nomine ad Concilium eſſet miſſus? Nihil definio, conjecturam tamen innuo, præſertim quod in Catalogo Epiſcoporum, qui Concilio *Conſtantienſi* interfuerant usque ad An. MCCCCXIIX. quo finitum eſt, nullus nominetur *Miſnenſis* Epiſcopus; cum tamen alii plurimi in eo indiculo ex *Gebhardo Dacherio* apud Labbeum Concil. T. XVI. relato, recenſeantur. Sed hanc difficultatem alius fortaſſe, in rebus *Miſnicis* magis verſatus, ſolvet: mihi indicaſſe ſatis eſt.

## XXXVI. JOANNES IV. Hoffmannus.

Ex his, quæ modo diſputata ſunt, quisque jam videt, non facile ſtatui poſſe, quonam anno *Joannes IV.* familiæ cognomento *Hoffmannus*, ſedem Miſnenſem auſpicatus ſit. Fabricius, quem recentiores fere ſequuntur, poſtquam *Rudolphum Plaunitzium* IX. Cal. Julii obiiſſe ſcripſit ad An. MCCCCXIII. addit continuo " Poſt cujus obitum *Joannes IV. Ep.*



Digitized by Google

„magis, quam antea unquam, pugnatum eſt: nam nec „Collegium ferre Præſulum mores propter nimiam ſuam „licentiam poterat: nec ipſi Præſules ſacerdotum ingenia „probare, & audaciam. Cum igitur ſeptem menſes acer-„bis animis contendiſſent, *(nempe ad menſem Decembrem „usque jam exeuntem)* tandem *Johannem Hoffmannum*, „*Suaidnicii in Sileſia* natum, Theologiæ in *Lipſienſi* Aca-„demia Profeſſorem, & Canonicum *Miſnenſem*, ſuffragiis „communibus nominant. Hic e numero Germanorum „Rector fuit ultimus Academiæ Pragenſis, cum tumultu „Huſſitico, ad locum mutandum ſunt compulſi. Idem „cum vitæ periculo in dimicatione nocturna Pragæ cum ad-„verſariis armatis certavit.„

*Suidnicii in Sileſia ortus, Pragæ prius & Lipſiæ Profeſſor.*

Quæ de *Joannis Hoffmanni* in Pragenſi Academia rebus memorat Fabricius, eadem Balbinus in Bohem. rer. Epitome L. IV. Cap. IV. paulo tamen aliter commemorat in hunc modum: "*Hieronymus de Praga (is nempe, qui „cum JOHANNE HUSS ſuam ob hæreſim, Concilii Conſtan-„tienſis ſententia, poſtea exuſtus eſt)* una cum quodam ma-„giſtro *Joanne Zvvikovvecz*, aliisque pluribus Artium „magiſtris è Bohemica, & Moravica natione An. 1408. „11. Maji in electione Decani primam vocem emiſit, & „diu præmeditata oratione peuſuadere conatus eſt: Si in Uni-„verſitate *Pragenſi Pariſienſis* Univerſitatis conſuetudines „teneri debeant, ut Carolus IV. in Bulla aurea conſtituiſ-„ſet; velut in Gallia, ita in Bohemia, Bohemis tres vo-„ces, & ſuffragia concedi oportere: id cum Germani „ferre non poſſent, *Huſſus* Reginæ favore, cui chariſſi-„mus erat, perfecit, ut à Rege *(WENCESLAO)* ſecundum „Bohemos 13. Octobr. ſententia ferretur *(cujus Decreti „exemplum in Notis affert p. 428.)* Rector Univerſitatis eo

„tem-

„tempore *M. Zdenko de Labaun*, Bohemus *(ut ex ſtatutis „intelligimus)* fuit: Quem res tanta exitum habuerit, Col„legium Theologicum, à civibus Germanis incenſum, & „abitus Germanorum omnium diſcipulorum cum Magiſtris, „Anno 1409. Octobri menſe monſtravit. Primarii hujus „conjurationis de abitu ſigniferi fuiſſe ſcribuntur duo: *M. „Joannes Reinerus*, & *M. Robertus Salisburgenſis.*„ Inde ubi ex lacerata Pragenſi Academia complures alias exortas memorat, ſubjungit: "*Lipſenſis* ipſo anno 1409. pridie „Idus Novembris inchoatur, Rectore primo *Joanne Hoff„manno*, poſtea *Miſnenſi* Epiſcopo, qui nuper in Univer„ſitate *Pragenſi* idem geſſerat munus.„ *& Rector Academ. Pragæ, & Lipſiæ.*

Ad An. MCCCCXIV. ſcribit Fabricius: "*Johannes IV.* „Præſul ad Synodum *Conſtantienſem* proficiſcitur: ad quos „ſumptus tolerandos & oppidum *Noſſen Henrico Oderano*, „Abbati *Vetero-Cellenſi* vendidit, & à Collegio ſuo majo„res, quam ullus majorum exactiones poſtulavit, quæ res „magnæ ei invidiæ fuit.„ Jam ſupra à me indicatum fuit, nullum *Miſnenſem* Epiſcopum inter plurimos, qui *Conſtantienſi* Concilio interfuere, Epiſcopos in Catalogo ex *Gebhardo Dacherio* apud Labbeum allato, reperiri: addo nunc inter Abbates *Vetero-Cellenſes* nullum hoc tempore *Henricum* fuiſſe, ut conſtat tum ex Chronico ejus Cœnobii minori, tum ex Monumentis Vetero-Cellenſibus apud Mencken. T. II. Nam cum An. MCCCCXI. mortuus eſſet *Franciſcus* Abbas; eodem anno illi ſuffectus eſt *Vincentius*, qui adhuc An. MCCCCXLII. Cœnobio illi Abbas præfuit, ut videre eſt laudato in Chronico, & eodem anno obiit *in die S. Thomæ.* Cui demum An. MCCCCXXX. primum, ut narrat Chronicon Vetero-Cell. *Noſſynenſe* Caſtrum eſt venditum. His ſi adjungamus, quæ habet Langius *An Concilio Conſtantienſi interfuerit, jam ut Epiſc. Miſn.*



Digitized by Google

in Chron. Citiz. de morte *Rudolphi* Ep. Miſn. Anno MCCCCXXVII. & quæ ex documentis MS. Codicis noſtri, ad An. MCCCCXIV. MCCCCXVI. & MCCCCXIX. ſupra recenſuimus, Fabricii ſententiæ de morte Rudolphi ad An. MCCCCXIII. & ſuffecto poſt VII. menſes *Johanne IV.* multum ponderis decedet. Et vero nec ipſe Fabricius ab An. MCCCCXIV. ullius à *Johanne* Miſn. Ep. geſtæ rei usque ad An. MCCCCXXVIII. meminit, quo & Langius *Joannis IV.* initia confert, & MS. Codex noſter documenta, quæ ad Joannem IV. pertinent, in annos deinceps pene ſingulos continuanda, inchoat: nam quod ad Annum MCCCCXV. *Johannis* Ep. fiat ibi mentio, id contingere facile inde potuit, quod ad Epiſcopi nudum nomen, quod alias ſæpe ſolum ponitur, collector hujus ſyntagmatis vulgari opinione deceptus, *Joannis* nomen de ſuo adjecerit: vel quod *Joannes*, jam tum quidem Epiſcopus, & Coadjutor deſignatus, Vicario *Rudolphi* Miſnenſis Epiſcopi nomine, rem tranſegerit.

*Laubenſes ob ſacerdotem ſuſpenſum interdicto ſubjecti.*

Ad An. MCCCCXV. pertinent, quæ Chriſtophorus Manlius in Comment. Rerum Luſatic. Lib. VI. Cap. XLI. narrat. "Eodem anno 1415. *(inquit) Thimo (is jam An.* „*MCCCCX. obierat: igitur ſucceſſorum aliquis)* Miſnenſium „Præſul *Laubenſes* Eccleſiaſtico interdicto perculit, & per „omnia totius urbis templa ſacris ſuperſederi juſſit, ex tali „cauſa: Commoratus in urbe ſacerdos quidam, cui „*Johanni Cotbuſio* nomen, ſed habitu profano, & ruſtico. „Is delatus eſt apud ſenatum, ut qui *Lignicii* è Templo „*S. Georgii*, effracto ciborio, quod vocant, pyxidem Eu-„chariſtiæ cum alia quadam pyxidula argentea furtim ſuſ-„tuliſſet. Ac Hoſtiam quidem vivis prunis impoſitam cre-„maſſe, ejusque receptaculum, cum inauratum ſolummo-

do

Digitized by Google

„do eſſet, cæteroquin ex ære cyprio, in piſcinam quan-„dam ſuburbii *Lignicenſis* abjeciſſe; ex altero vero argen-„teo vaſculo annulos confici curaſſe dicebatur. Eum com-„prehenſum cum in carcerem compingi, & tandem ſuſ-„pendio necari juſſiſſent Laubenſes, urbem interdicto ſup-„poſuit Præſul, quod circiter triennium duravit, cùm „qui laxare illud dignaretur, reperirent neminem. Ad „extremum ad *Conſtantienſe* concilium remiſſi cives, illuc „demum per Magiſtrum *Johannem Dobicerum* Miſnenſis „Epiſcopatus, magna mercede conductum, ingentibus „impenſis nec laboribus minoribus impetrarunt, ut à duo-„bus Cardinalibus T. - - T. S. Angeli abſolverentur, quin-„decima Januarii, quæ erat dies Sabbathi An. 1418. „ ita ille. *à duobus Cardinal. in Concil. Conſtant. abſolvuntur.*

Poſt longum in MS. Codice noſtro de *Miſnenſibus* Epiſcopis ſilentium, tandem An. MCCCCXXVIII. fit mentio *Joannis IV.* Ep. quo à tempore pauci deinceps fluunt anni, quibus non aliquid de ejus rebus geſtis memoretur. Hoc igitur anno ita MS. Codex noſter: "*Joannes IV.* „Miſnenſis Ep. contulit XX. dierum indulgentiam iis, qui „quo tempore campana, quæ à *precatione* nomen habet, „pulſari ſolet, in Baſilica Cathedrali coram Altari preces „fuderint. XV. Cal. Novemb. An. MCCCCXXVIII. „

An. MCCCCXXIX. VII. Cal. April. ſtatuit *Joannes IV.* ut poſt obitum alicujus Canonici Cathedralis præbenda & ſtipendia reliqua aut ad fabricam Templi applicentur, aut ad ſucceſſorem deriventur. Ex Cod. MS. Fabricius ad hunc annum addit: " MCCCCXXIX. Natalibus Chriſti fe-„riis *Huſſitæ* Miſnenſia ſuburbia, & Templa cremant, & „ulterius progreſſi, totam provinciam, duce *Procopio* „Bo-

Digitized by Google

„Bohemo, & *Petro Malticio* devaſtant: equites quadrin-
„gentos cædunt prope *Grimmam.*„ Chronicon Vetero-Cellenſe ad hunc annum, *Huſſitas* Bohemos bis hoc anno in Miſniam irrupiſſe, *Czadelam* exuſſiſſe, occidiſſe duos fratres queritur. Inde ad An. MCCCCXXX. refert id, quod de Caſtro *Noſſin*, occaſione itineris ad Synodum *Conſtantienſem* à Joanne IV. Vetero-Cellenſibus vendito narrat An. MCCCCXIV. Fabricius. Sic autem in Chron. Vetero-Cellenſi legitur: " MCCCCXXX. Domnus *Vincen-*
„*tius* emit Caſtrum *Noſſyn* pro quatuor millibus, & ducen-
„tis florenis.„

*Diſſidium inter Canonicos Miſn. & Vicarios ab Joanne IV. compoſitum.*

An. MCCCCXXXI. diſcordia inter Canonicos, & Vicarios Miſnenſes enata eſt, ſic ut iſti fœdus quoddam ſociale (fraternitatem appellabant) adverſus illos inirent. Intervenit opportune *Joannis IV.* Epiſcopi authoritas, qui & controverſias illorum diremit, & fœdus illud parum fraternum edicto diſſolvit XII. Cal. Octobr. Idem paulo ante, cùm Vicarius Epiſcopi neſcio quod ſubſidium imperioſius exegiſſet, negavit id conſilii fuiſſe ſui, & Vicarii mandatum publicis literis ad III. Non. Sept. abrogavit. Ex Cod. MS.

*Ab eodem Commendatator Ord. Teutonici anathemate feritur.*

An. MCCCCXXXII. cum *Hartmannus Thunn* Teutonici Ordinis Commendator de ſuo conſilio Præpoſitum, & Archidiaconum in *Zſchillen*, adverſus jurata Miſnenſibus Epiſcopis pacta, loco, graduque moviſſet, aliumque non conſulto Epiſcopo, ibidem ſuffeciſſet; Executor ſtatutorum Synodalium *M. Hartmannum* anathemate perculit feria VI. ante Nativit. B. M. V. Ex Cod. MS.

An. MCCCCXXXIV. Cal. Auguſti Concilium Baſilienſe Miſnenſi Epiſcopo literas, ut tum apellabant, con-

ſer-

Digitized by Google

ſervatorias dedit: Calendis vero Novembribus Privilegia, quæ *Sigiſmundus* Imp. Miſnenſi Eccleſiæ V. Id. Julii Ulmæ conceſſerat, confirmavit. Ex Cod. MS.

An. MCCCCXXXV. "*Miſna*, Civitas inſignis, & E-„piſcopalis pariter, & Ducalis (*ſcribit Langius in Chron. Ci*-„*tiz.*) pro medietate pene flammis exuſta eſt." Quæ res ad ceteram calamitatem temporum *Joanni* Epiſcopo non potuit non eſſe dolori maximo. *Miſnæ urbis incendium.*

An. MCCCCXXXVII. *Joannes* IV. Ep. retractavit ea, & revocavit, quæ An. MCCCCXIX. decreta ſunt de parochia in *Nieder-Eberſpach* Cuſtodi Miſn. Eccleſiæ attribuenda, ſtatuitque ob multa incommoda, inde enata, ut parochiæ illi Vicarius perpetuus detur, ſed Cuſtodi *Miſnenſi* prius, nequid juribus ejusdem decederet, præſentandus. Actum Idibus Maji, concluſum vero XVII. Cal. Julii. Idem V. Id. Julii An. MCCCCXXXVIII. Statuta Capitularia Miſn. Eccleſiæ confirmavit, noviſque de Decano, & fabrica Eccleſiæ auxit. Ex Cod. MS. *Jannis Hoffmanni circa Capitulum Miſn. ſtatuta.*

Prætereo complura alia per hos, & ſequentes annos documenta, quæ *Joannis* IV. Miſn. Ep. diſertam mentionem faciunt in eodem Codice: quanquam nec Monumenta Vetero-Cellenſia de illo tacent, ubi aram conceptionis B. M. V. per *Auguſtinum Tholenſem* Ep. An. MCCCCXXXII. per ſe ipſe vero An. MCCCCXLI. & ſequenti tum Sacellum Domini patientis, & compatientis Virginis, & Matris; tum Sacellum S. Michaëlis; ac tandem novum Sacellum Principum cum Altari conſecravit. Monum. Vetero-Cellenſ. Col. 460. & ſequ.

*Abuſum feria V. ante Cinerales in ſanctiorem uſum convertit Budiſſini.*

An. MCCCCXLII. ut ſcribit Manlius in Luſat. L. VI. Cap. 75. "*Johannes Hoffmannus*, Miſnenſium Præſul, de „conſilio Cleri, abrogavit morem illaudatum, quo fer. V. „ante Bacchanalia, matronæ *Budiſſinenſes* primariæ turpi„cula ex cauſa ſtipem oſtiatim colligebant, ſanciens, ut im„poſterum iſto die celebraretur feſtum Matris Virginis, „quod vocant, *inventionis Pueri*.

*Statuta quædam alia.*

An. MCCCCXLIII. ſtatuit Capitulum Miſnenſe, ut deinceps, vitandæ diſcordiæ cauſa *præbendatus cum minori præbenda non præbendatum* præcedat: Statuit præterea diſ„crimen inter Majores, & Minores Canonicos. XV. Cal. Martii. Ex Cod. MS. Eodem anno V. Id. Decembr. *Joannes* de *Groſca*, Legatus Concilii Baſileenſis, *Friderico II.* Saxoniæ Electori indulſit, ut in Sacello Principum Sacrum dici, & cantari, etiam antequam plene luceſcat, poſſit, ne ex divinis officiis Chorus Canonicorum vel turbetur, vel impediatur. Idem poſtea & *Georgius de Saluciis*, Epiſcopus, & Comes *Lauſanenſis*, Legatus ejusdem Concilii in Germania XIV. Cal. Aug. An. MCCCCXLV. confirmavit, adhibita tamen cautione, ne id ſæpius, ſed aliquoties tantum per annum fieret, cum res popoſcerit. Ex Cod. MS.

An. MCCCCXLIV. *Joannes IV.* Capitulo Miſn. poteſtatem fecit cenſum ex *Cottau* pago ab *Henrico Tarandt* in *Lavenſtein* redimendi, reſervato tamen ſibi jure eum pretio Epiſcopatui vindicandi. VI. Cal. Novembr. Idem poſtea eodem anno XVII. Cal. Januarii Vicariæ S. *Wenceslai* ex proventibus Epiſcopatibus tantum annui cenſus in *Wurzen* aſſignavit, quantum ex vendito nuper Vetero-Cellenſibus Caſtri *Noſſinenſis* prædio eidem debebatur. Ex Cod. MS.

An.

An. MCCCCXLV. Dominica poſt *Chiliani*, Menſe Julio, *Fridericus II.* & *Wilhelmus*, Saxoniæ Duces, ac *Friderici I.* Electoris filii, in Sacello novo Baſilicæ Miſnenſis, ubi *Fridericus I.* ſepultus eſt, quod is morte præventus, nec Sacerdotes, nec Muſicos ibi fundaſſet, novam aram ſub honore *S. Annæ*, Chriſti Aviæ, & SS. Victoris, & Mauritii MM. conſecrari, & ſacrum perpetuum pro vivis ac defunctis decantari voluerunt, fundatis eum in finem VII. Sacerdotibus, cum VI. Muſicis, doteque de conſenſu Miſn. Capituli ad hæc idonea conſtituta, & ſuis ſigillis corroborata. Ex Cod. MS. Eam fundationem poſtea *Joannes IV.* Ep. IV. Id. April. Anni ſequentis approbavit. Indidem. Eodem anno MCCCCXLV. cum de partitione amica inter *Fridericum*, & *Wilhelmum* fratres, ac Duces Saxoniæ ageretur fer. II. poſt feſtam diem S. Catharinæ Virginis *Lipſiæ*; *Joannes IV.* Miſn. Ep. primus in numeroſiſſimo Epiſcoporum, Abbatum, ac Nobilium conventu legitur, qui eam transactionem ſuis ſuffragiis adjuverunt: ut videre eſt in transactionis literis, quas affert Mencken. T. III. in Mantiſſa Dipl, Leiſnic. Col. 1061.

*Fundatio pia in Sacello novo Baſilicæ Miſnenſis.*

*Transactio inter Fridericum, & Wilhelmum Duces Saxon.*

An. MCCCCXLVII. ut ſcribit Fabricius, "*Miſna* igne „conflagrat cum Templis, VI. Cal. Julii, quo tempore *Wilhelmus*, & *Fridericus* fratres inter ſe acerbe diſſidebant. „Manſit ſolum Templum, & arx in monte incolumis.„ Et confirmat Langius in Chron. Citiz. ubi *Miſnam* Urbem, præter paucas domos, & Caſtrum, exuſtam eſſe totam in die *SS. Joannis & Pauli*, ſub diſcordia Principum, narrat: additque: " quare & proditorie ſuccenſa præſumitur:„ Diſcordiæ cauſam Fabricius ad An. MCCCCXLV. refert. „Eo anno (*inquit*) *Fridericus* Dux, & *Wilhelmus* fratres de „regionum ſuarum diviſione habuerunt conventus. *Wil-*

*Miſna deflagrat.*

*Novum ex tranſactione diſſidium.*



Digitized by Google

„*helmo* datum negotium dividendi; *Friderico* eligendi. „Cum *Fridericus* eligeret Thuringiam, frater illi cedere noluit: quæ controverſia motuum plurimorum cauſa „fuit.„

*Afrani Cœnobii Viſitatio.* An. MCCCCXLVIII. ut idem ſcribit Fabricius, "*Johannes* Præſul, & Præpoſitus *Lipſienſis* Cœnobium Afra- „num ad inſtaurandam diſciplinam inſpiciunt. Cauſa erat „*(mihi parum veriſimilis)* quod Canonicus quidam, in ſacro- „rum primitiis, rem faciens divinam, adeo ebrius ad „aram acceſſit, ut preces uſitatas legere non poſſet.„ Certius illud, quod *Nicolaus V.* Pontifex. Max. VI. Non. Maji An. CCCCXLVIII. Canonicis Miſnenſibus conceſſerit, ut non modo in Templo, & Sacellis, quoties neceſſitas poſceret; ſed in aris etiam portatilibus, ante lucem ſacrificent, modo ea privilegii gratia non abutantur. Ex Cod. MS. Mitto alia, quæ hoc & ſequenti anno afferri ex eodem Codice poſſent, documenta, *Joannis IV.* ultima.

*Uſus SS. Euchariſtiam ſolenni pompa per plateas circumferendi in Germaniam invectus.* An. MCCCCL. monet Fabricius in ſupplemento, hoc tempore cœptam hic conſuetudinem, SS. Euchariſtiam vitro pellucido includendi, auro, argentoque divite apparatu, ut ſpectanda Divina Hoſtia per Templa proponeretur, tum per urbes vicatim circumgeſtaretur: " cum „cantu ſolenni, & inſtrumentis Muſicis, & ſparſione flo- „rum. Idque quinto poſt *Feſtum Trinitatis* die fiebat: „quam ceremoniam importavit in Germaniam *Cuſanus* „Cardinalis, & Legatus Pontificius.„

*Joannis IV. obitus.* Ad An. MCCCCLI. ſcribit idem: "Eodem anno *Jo- „hannes* Præſul obit VII. Cal. Aprilis.„ Juvat hic recenſere ea, quæ Fabricius ad An. MCCCCXLV. de eo notavit:

vit:

vit: "Barones *Birchii de Dauba*, proximè arcem *Lomam*, „in arcis *Hoënſteiniæ* vicinia habitantes, Præſulis villis ſæpe „erant moleſti, quos tandem eo adegit, ut locum mutare „cogerentur, qui *Mulbergum* ad *Albim* emerunt, quod „poſtea ad Duces rediit, ſtirpe *Birchiorum* extincta. Fuit „hic Præſul ſuorum temporum vir eruditus. Scripſit quæ„ſtiones Theologicas cum ſolutionibus. Item de Officio „Miſſæ ad illuſtres *Fridericum*, & *Wilhelmum* Marchiones, „libros ſex. Item Commentarios in tractatum Vincentii „de fine mundi: quos cum negotiis abſolvere non poſſet, „*Joannem Melcerum*, Theologum Lipſienſem ad ſe evoca„vit *Wratislavia*, ut ſtudio communi eos libros perfice„rent. *Melcerus Stolpenæ* in morbum incidit, *Dresdæ* in„ter Medicorum manus obit, *Pirnæ* ſepelitur.„ Quis fuerit, quantusque vir *Joannes Melcerus*, Pirnenſis Monachus in Excerpt. notavit. "*Joannes Melczer* de *Franckenſtein* Ord. „Prædicatorum *(inquit)* primus SS. Theologiæ promotus „Doctor eſt *Lipſiæ*, reformavit deinde Cœnobium *S. Al„berti Wratislaviæ*: creatus Inquiſitor, Provincialis Polo„niæ multa ſacro in argumento, præſertim *Johanne Hoff„manno*, *Miſnenſi* Epiſcopo, à quo *Stolpenam* evocatus „eſt, ſcripſit, & commentatus eſt in Tractatum *Vincentii „de fine mundi*: ibi in morbum incidit, & *Dresdæ* inter „medicorum manus mortuus, in Ordinis ſui Cœnobio „*Pirnæ* An. MCCCCXLVI. Sepultus eſt: & DEUS multa „per illum patravit miracula.„

*ejus ſcripta.*

*Jo. Melczerus Ord. Prædicat.*

## XXXVII. Casparus de Schönberg.

Recte de hoc Fabricius ad An. MCCCCLI. "In *(JO„OANNIS IV.)* locum *Caſparus Schönbergius*, Decanus

*Caſparus Ep. gente Schönbergicus.*

„nus *(Miſnenſis)* ſuccedit, pridie Cal. Maji. „ Sic enim & noſter Codex ad An. MCCCCLI. “ Pridie Cal. Maji com„muni decreto electus eſt Epiſcopus *Caſparus de Schönberg*, „& Capitulum à Rom. Pontifice ejus confirmationem pe„tiit. Novus Epiſcopus eadem quidem die ſolenne jura„mentum præſtitit; ſed XVI. demum Cal. Decembr. itera„tum Sacramentum Sigillo majori confirmavit.„

*Schmölen emit.*

Epiſcopatus ſui exordium empto ſtatim pago, prædioque *Schmölenenſi* auſpicatus, confirmationem ejus rei pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus & Eccleſiâ Miſnenſi facile à *Friderico II.* Duce Saxoniæ, ac Marchione Miſniæ impetravit: extant honorificæ *Friderici II.* Ducis literæ ea de re *Grimæ* fer. III. poſt feſtum S. Jacobi Apoſtoli Anno MCCCCLI. datæ, apud Lunigium Spicileg. Eccl. Cont. I. p. 838. & ſic habent:

*De Conſenſu Friderici Ducis Saxon.*

*Wir FRIDERICH von Gottes gnaden Herzog zu Sachſen des heiligen Röm. Reichs Ertz-Marſchall, Landgraff in Döringen, Margraff zu MEISSEN, bekenen für uns, unſere Erben, und Erb-nehmen, und thuen kund mit diſen brieff allen, die Ihn ſehen, hören, oder leſen, als der Ehrvvürdige in Gott Vatter, unſer beſonders lieber Herr, und Freund, Herr CASPAR Biſchoff zu MEISSEN das dorff, und forvvergck SCHMöLEN mit zvveyen freyen hufen zu OTTENDORFF in der pflege GRIMM gelegen, das dan bishero von uns zu leben gegangen vvider den geſtrengen, unſern lieben getreuen CONRADEN LYMER, rechtes, redliches, und evviges kauffs gekaufft hat, und derſelbe CONRAD für ſich, und alle ſeine Erben, und Erb nehmen ſolch dorff, und forvvergck, mit allen, und itzlichen zugehörungen, freyheiten, Rechten, und gevvohnheiten, vvas ſie daran bisher gehabt* haben,

*haben, oder gehaben mögen, nichts ausgeſchloſſen, in unſere hand gantz, und vvilliglich hat uffgelaſſen, und nichts daran behalten, haben vvir betracht, und angeſehen merglich, und manigfaltige groſſe dienſte, die uns der genante unſer Herr, und Freund von MEISSEN zu ſeinen minderen Statte mit vvillen, und gröslichen hat gethan zu vielmahlen, und fürbas mehr vvohl thuen mag; und haben darumb, und auch umb freundl-ſeiner both vvillen das genante dorff, und forvvergck SCHMöLEN mit allen ihren Zugehörungen, Wiſen, Reuten, Dienſten, Eckern, Wieſen, Hölzern, Püſchen, Teuchen, Teichſtatten, Waſſern, Waſſerleufften, Mühlen, Fiſchereyen, gerichten oberſten, und niderſten, über hals und hand in dorff und felde, Ehren, Nuzen, Würden, Steuren, Freyheiten, Rechten, und gevvohnheiten, und allen andern rechten, und anſprüchen die CONRAD obgenandt, oder ſeine Erben daran haben, bisher gehabt, oder haben möchten, Ihm, und allen ſeinen nachkomen, ſeinem Stifft, und der Kirchen zu Meiſſen evviglich vor eigen geben &c. &c. mit und in Krafft dis unſers brieffs ohne alles gefehrde. Hierbey ſeynd gevveſt, und gezeugen die Edle, vvürdige, und geſtrenge, unſere Rethe &c. und lieben getreue, Er HEINRICH REVSSE von PLAWEN, Herr zu GRAIZ der jünger, HANNS von KöCKERITZ unſer lieben gemahlin hoffmeiſter, Er GEORG von HAVGWITZ Probſt zu ZEITZ, unſer Canzler, Er HANNS von MALTIZ, Er DIETRICH von MILTITZ, Er JANE von SCHLEINITZ, Er MEMEL von ERTMANNSDORFF, Ritter, OTTO SPIEGEL, und andere unſere Manne und diener gnung glaubvvürdiger. Zur Urkund, und vvahren bekentnüs haben vvir unſere Inſiegel an dieſen brieff laſſen hengen, der geben iſt zu GRIMM nach Chriſti unſers Herrn geburt, vierzehen hundert in ein und funffzigſten jahre, am dienſtage nach St. Jacobi tage des Heil. Apoſtels.*

An-

*S. Joannes Capiſtranus Miſnam venit.*

Annus MCCCCLII. ſulutaris inprimis Miſnenſi urbi fuit adventu, & piis commonitionibus *S. Joannis Capiſtrani.* De hoc Fabricius ad hunc annum. "*Johannes Capiſtranus*, Aprutius Franciſcanus, per *Chriſtanum*, Auguſtanum interpretem, in hac urbe (*Miſnenſi*) de pinna domus in foro concionabatur è regione curiæ. Alveolos, „teſſeras, chartaſque luſorias in ignem conjicit, plicas, & „flammea, & ſuperflua ornamenta mulierum comburit. „Verba ſæpe per duas horas fecit, interpres etiam ulterius. „Ad expeditionem contra Turcas, qui in Thraciam duxerant exercitum, animavit populum. Rediturus in Italiam, poſt ſuæ peregrinationis annum decimum quartum „moritur Villaci in Carinthia, ibidem in Franciſcano nactus tumulum.„ Monachus Pirnenſis in Excerpt. Saxon. „Col. 1518. *Johannes Capiſtranus* der andechtiger Vater „genant, Barfuſen Ordens, ſchickte *Nicolaus* der V. „(*MCCCCLI.*) vvider die laſter czu predigen: hat czu *Nurrenberg*, czu *Magdburck*, czu *Meiſſen*, czu *Leipcz*, czu „*Halberſtat*, czu *Augſpurck*, &c. gepredigct. Was ein „Wale (*Italus*), Doctor Chriſtanus ſeines Ordens vvar „ſein tolmeczke &c. Was *S. Bernhardinus* Diſcipl. Iſt „(*MCCCCLVI.*) czu *Villach* in Got vorſcheiden, do er im „Cloſter ſeines Ordens beſtat leit, und mirakel getan.„ Vitæ ejus ſeriem operoſe collegit Chriſtophorus Manlius Gorlicenſis Lib. VI. Luſat. rer. à cap. 79. ad 82. Ex qua pauca quædam, quæ ad S. Capiſtrani in Auſtriam, Moraviam, Bohemiam, Miſniam, & Sileſiam excurſionem pertinent, breviter referentur. Anno MCCCCLI. igitur, cum jam quintum ac ſexageſimum ætatis annum attigiſſet, à Nicolao V. Pontifice Maximo tanquam Commiſſarius Apoſtolicus in Germaniam mittitur, Bohemiorum maxime, ad priſtinam cum Eccleſia confeſſionem reducendorum gratia.

In

Digitized by Google

In *Auſtriam* ubi venit, ſcribit Æneas Sylvius, ſacerdotes ac plebes eidem cum Reliquiis ſanctorum obviarunt, eumque velut Apoſtolicæ ſedis Legatum, & DEI Nuncium ſuſceperunt. Et quaſi Apoſtolorum aliquis illac iter faceret, ita omnes occurrere, veſtimentorum ejus fimbrias avide contingere, ægrotos, & male habentes ante pedes ejus afferre, è quibus pleroſque ſanitati redditos, rumor fuit. Moratus eſt autem in *Nova Civitate* diebus aliquot, unde *Viennam* invitatus, & apud *Minores* ſui Ordinis Fratres exceptus eſt incredibili motu populi, & concurſu. Ibi cibaria illi publicitus miniſtrata ſunt. Pro concione dicturo, quod tantam multitudinem Baſilica nulla caperet, extructum in foro *(aulico)* apud *Carmelitas* ſuggeſtum eſt, ubi ſermonem latine per 3. horas pronunciavit, quam ſecuta ſubinde interpretatio eſt. Ad ejus conciones viginti, vel triginta millia hominum conveniebant, majorique ipſum attentione, quamvis non intelligerent, quam interpretem audiebant. „*Joannem*, puſillum corpore *(inquit alio in loco)* „*Viennæ* vidimus, ætate ſenecta, ſiccum, aridum, exhau„ſtum, ſola cute, nervisque & oſſibus compactum, lætum „tamen, & in laborem fortem, ſine intermiſſione ſin„gulis diebus prædicantem, altas, atque profundas mate„rias abſolventem, doctis ac rudibus ſatisfacientem.„ Inde in *Moraviam* profectus, & *Bohemiam*, *Olomucii*, *Brunnæ*, *Crumlovii*, *Pelſinæ* (Pilſnæ) *Ponte*, *Egræ*, numeroſiſſimo ſemper auditore conciones habuit, ſic ut, ipſo teſtante, ſuis in literis apud *Cochlæum* L. X. *Olomucii* aliquando centum hominum millia interfuerint. Quo fructu, ex ejus item literis ad *Academiam Viennenſem* datis colligitur, quæ extant apud *Cochlæum* L. X. " Multi *(inquit)* ba„rones, nobiles, & ſacerdotes ab omnibus compactatis „ultra quam quatuor millia meis in manibus omnes *Huſ-*

*Moravia & Bohemia ſancti labores.*

„*ſitarum* errores abjuraverunt, ut ſileam multos alios con-„verſos, qui ſub ipſorum baronum converſorum dominio „degunt.„

*Quid Lipſiæ,* An. MCCCCLII. *Miſniam* petiit: *Lipſiæ* cum ageret, & per XXX. dies, ut ſcribit Pirn. Octobri menſe conciones haberet, oſtenſa ex ambone calvarie tantum inter Academicos motum concitavit, ut ſexaginta ex iis (teſte Chronico magno Belgii) res ſæculi caducas abjecerint, quos ille Religioſo ſui Ordinis habitu ipſo in foro induit. In *Luſatiam* deinde tranſiens *Gorlicii* X. Januarii An. 1453. *Wratislaviæ,* *Laubæ* 27. Maji. pro concione dixit, poſtquam *Vratislaviæ* totam fere Quadrageſimam, in foro *Salinario*, Evangelico in opere laboraſſet, & *Petro Novack* Antiſtite ita volente, Clerum, ac Religioſos in Templo, clauſis januis, ad morum, ac vitæ emendationem eſſet exhortatus. Per eam occaſionem in *Schvveidniz*, & *Jaur* etiam excurrit. *& in Polonia egerit.* Tandem in Poloniam progreſſus, integro fere anno *Cracoviæ* ſubſtitit, nuptias etiam inter *Caſimirum* III. Regem, & *Eliſabetham Auſtriacam S. Caſimiri* matrem ritu ſolenni conjuncturus, niſi ultro eum honorem obtenta linguæ ignorantia, in *Sbignæum* Cardinalem transmoviſſet. Plura non attexo, quæ ex Luca Wadingo, Ænea Sylvio, Dubravio, Crantzio peti poſſunt: illud præterire non poſſum, quod mortem obiiſſe *Villaci in Carinthia*, *S. Capiſtranum* Fabricius, Curæus, Manlius, & hos ſecuti multi alii, perperam ſcribant. Atqui ex *Joannis Talicotiani*, qui morienti affuit, ſcriptis ad *B. Jacobum Picentem* literis, quas affert Lucas Waddingus ad An. 1456. certo conſtat, *S. Capiſtranum* in *Wilack*, oppido *Sclavoniæ*, *Sirmio* vicino, die *Mors in Sclavonia, & ſepultura.* XXIII. Octobr. extinctum. Errat igitur etiam Spondanus, cetera verus, qui *Bambergenſis* Diœceſis id oppidum eſſe

cre-

Digitized by Google

credidit: errat *Adrianus Bailletus* in vita hujus Sancti ad XXIII. Octobr. qui quamvis mortuum in *Willecb* (in tabula Leonardi Valck ponitur *Vylack* ad *Danubium* inter *Eſſeck*, *&* *Peter-Wardein*, quod in Homanianis, & Müllerianis tabulis *Illock* vocatur) eſſe ſcribat; poſtea tamen deportatum ſacrum ejus corpus *in Elloc prope Viennam in Auſtria*, ac ibi religioſe aſſervari tradit: *Elloc* enim iſtud non videtur eſſe diverſum ab *Illoc*, prius *Vylack* dicto, ubi mortuus eſt Sanctus, & teſte Spondano laudato in S. Franciſci æde ſepultur. Cujus corpus (ut idem ex Iſtuanffio L. XX. rer. Hung. refert) centum circiter poſt annis, cum capto per Turcas *Sirmio*, in *Zolozianum* monaſterim delatum fuiſſet, direpto ab heterodoxis Cœnobio, pulſisque monachis, aut cæſis, confractum, & indignis modis profanatum, in profundum puteum projectum eſt. Aſſentior in hoc *Bailleto*, qui ſacrum id pignus è puteo extractum à Catholicis, & religioſe aſſervari ſcribit: in eo non aſſentior, quod palam, & *prope Viennam* conſervetur, & honoretur: de quo *Viennæ* nihil conſtat. Sed enim ex longo diverticulo in viam.

*Ladislaus* Auſtriacus, *Alberti II.* poſthumus, & jam Rex Hungariæ ac Bohemiæ *Pragam* An. MCCCCLIII. venerat, ubi V. Cal. Nov. ſolenni more coronatus eſt. An. ſequenti Idibus Martii celebrata ſunt ibi Regni Comitia: quo tempore credibile eſt, *Caſparum Miſnenſem* Epiſcopum (ut ſcribit Fabricius) inter alios arbitrum delectum cum Duce Saxoniæ *Wilhelmo Pragam* abiiſſe ad componendam, quæ de finibus inter Regem *Ladislaum*, & *Fridericum* Saxoniæ Electorem II. exarſerat, contentionem. Per id tempus erexerat *Auguſtinus Tholonenſis* Epiſcopus, *Caſpari* Suffraganeus, vicariam novam *Miſnæ*: hanc igitur

*Caſparus Ep. controverſias de finibus componiturus Pragam miſſus.*

tur Idibus Julii *Caſparus* Ep. confirmavit An. MCCCCLIII. Similem fundationem novæ Vicariæ *S. Theodorici* X. Cal. Febr. An. MCCCCLV. approbavit. Ex Cod. MS. VIII. Id. Julii *Iſidorus*, Sabinenſis Epiſcopus, aliique Cardinales aliquot indulgentiam C. dierum viſitantibus ſepulchrum *S. Bennonis*, & feſta quædam alia pie celebrantibus conceſſerunt. Ex Cod. MS.

An. MCCCCLVI. ut habet Chron. Magdeburg. Meibom. p. 363. "Quidam *Marianus* Italicus largas indulgen„tias Papales hic ad preces pro Regno *Cypri*, & Regis ad„portavit, aurum plus, quam ſalutem ſitiens animarum: „& ob id captus fuit, & incarceratus à Domino *Caſparo* „Epiſcopo Miſnenſi; ſed Dux *Fridericus* Saxoniæ eum libe„ravit. Poſtea tamen falſitas ſua à Papa reperta fuit, & ali„qualiter, licet non condigne punitus, infinitam pecuni„am deportavit.„ Cum igitur indulgentiarum tantus in *Miſnia* honos eſſet, *Caſparus* Miſn. Ep. ipſe Sacello S. Joannis Baptiſtæ, quod in palatio eſt Principum, indulgentiam contulit XI. Cal. Julii An. MCCCCLVII. Ex Cod. MS. *Budiſſinæ* vero Templum SS. Petri, & Pauli XIX. Cal. Januarii, quod jam annte annos XXXIV. ædificari cœptum eſt, conſecravit, ut narrat Funckius in Deſcript. Templi Budiſſ. cap. 2. An. MCCCCLIX. Dominica I. Junii arbiter litis ſedit inter Capitulum Miſnenſe, & *Johannem Schönfeldium* ex controverſo piſcatus jure in *Redera* potiſſimum ortæ: conſtitutis utrique parti piſcationis certis finibus lis dirempta eſt. Ex Cod. MS. Præter hæc & pauca alia ad vicarias fere pertinentia de *Caſparo* nihil admodum occurrit: niſi quod Vetero-Cellenſi Ciſtercienſis inſtituti Cœnobio literas à *Carolo IV. Wenceslao*, & *Sigiſmundo* Impp. datas, legitimas eſſe, literarum ſuarum teſtimonio in Caſtro

*Budiſſinæ Templum SS. Petri & Pauli conſecrat.*

ſuo

Digitized by Google

ſuo *Mogelin* XV. die Novembris (ut videre eſt apud Balbinum Miſcell. T. VIII. p. 279. & Hoffmann. Luſat. T. IV. p. 215.) declaravit: & aram in Eccleſia *Roſvvinenſi* erectam, datis ex Caſtro *Stolpen* V. Decembr. An. MCCCCLIX. literis, quas recitat Knauthius in Chron. Vitero-Cell. P. VIII. p. 133. confirmavit.

Mortem Caſpari An. MCCCCLXIII. conſignat Fabricius: "Obit *Caſparus* Præſul *(inquit)* prid. Cal. Junii, *Miſnæ* ſepelitur." Quem calculum ſucceſſoris electio rite confirmare videtur. *Ejus obitus.*

# XXXVIII. Theodericus de Schönberg.

Idibus Junii An. MCCCCLXIII. referente MS. Codice noſtro, confectum Decretum eſt electionis in Epiſcopum Miſnenſem *Dieterici de Schönberg*, & juramentum ab illo eadem die præſtitum quidem; ſed Anno primum MCCCCLXIV. accepta Romani Pontificis confirmatione, IV. Non. April. ſub Sigillo ejus majori confirmatum. Fabricius ad An. MCCCCLXIII. qui *Dietericum Caſpari* fratrem, amboſque *Nicolai Schönbergii* Equitis, in *Reinſperg* filios appellat, in eo non nihil errat, quod *Dietericum* Miſnenſem, eadem die, quâ *Dietericum* Epiſcopum *Naumburgenſem* ſolenni more, infula, pedoque inauguratos ſcribat: Langius enim in Chron. Citizenſi ad An. MCCCCLXIV. ita habet: "*Theodericus (de BURGSDORFF)* Epiſcopus noſter - - Dominica poſt Bartholomæi in *Nuemburgenſis* Eccceſiæ Antiſtitem eſt conſecratus: - - quo etiam anno *paulo ante*, ipſe *Theodericus* Epiſcopus *Miſnenſis*, & *Jo-* *Theodericus Epiſc. ex gente Schönberg.*

„*annes Werder*, Epiſcopus *Merſeburgenſis*, infulati fue-„runt.„

Primum *Theoderici* operum fuit confirmatio Vicariæ S. Michaëlis & SS. Angelorum, quam in munere Decani Miſnenſis ante jam fundarat, volueratque, ut is Vicarius *Oculus Decani* diceretur, haberetque ſtallum in Choro, & proximus Vicariis Epiſcopi in publicis ſupplicationibus incederet; ſtatuit præterea, ut jus conferendi eam Vicariam, eſſet penes *Nicolai & Joannis* fratrum ſuorum poſteros, vel extinctis iis penes *Borſtenſteinios*, his etiam decedentibus, penes *Stolpenſis* arcis præfectum. Quæ confirmatio facta eſt VIII. Id. Januarii An. MCCCCLXV. Ex Cod. MS. Cal. Julii ejus anni. XL. dierum indulgentiam contulit, qui ad imaginem B. M. V. in altari *S. Dorotheæ* pias preces perſolverent. Indidem. An. MCCCCLXVII. XII. Cal. Julii *Fraternitatem Calendarum*, quæ *Leiſnicii* erat erecta, datis ex Caſtro *Stolpen* literis, majori Sigillo conſpicuis, roboravit; additisque XL. dierum indulgentiis, quoties per adventum Domini, vel IV. temporibus ſacris defunctorum interfuerint, vel XV. Orationes Dominicas, totidemque ſalutationes Angelicas pro memoria defunctorum ſub Vigiliis, Miſſa, aut funerum conductu, devotius oraverint, authoritatem pio inſtituto conciliavit. Extant ea de re ejus literæ in Mantiſſa Leiſniz. Dipl. ex Caſtro *Stolpen* datæ, apud Mencken. T. III. Col. 1099. quibus alias ſubinde Anno MCCCCLXVIII. adjungit X. Cal. Maji, literis ea de re ex *Mogelin* datis, quas ibidem Col. 1102. reperies: voluitque communes eſſe iis, qui ſemel in die, ante quodlibet duorum altarium ibi conſecratorum, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam cum Symbolo Apoſtolorum, vere pœnitentes, & confeſſi, flexis genibus ora-

*Fraternitatem Calendarum confirmat.*

ve-

verint: vel pro ornatu, palliis, & calicibus illorum aliquid contribuerint.

An. MCCCCLXIX. Canonici *Wurzenenſes* veniam ab Epiſcopo deprecati ſunt, quod primariis ejus precibus, quarum jus penes Epiſcopum eſſe recognoſcerent, deferre prius neglexerint. V. Id. Maji. Ex Cod. MS. Eodem anno pridie Cal. Decembris addit *Rodericus* Cardinalis declarationem de modo, quo ſe inquiſitores hæreticæ prævitatis gerere erga Apoſtolicæ ſedis Nuncios, eorumque officiales debeant. Ex Cod. MS.

An. MCCCCLXX. VII. Id. Auguſti confirmavit *Theoderícus* Ep. fundationem, & donationem Altaris omnium Sanctorum, quod in Præpoſiti adhuc munere conſtitutus, in Veſtiario, ſive Sacriſtia Baſilicæ Miſnenſis erexerat, & dotarat, ejusque dotis fructum penes ſub-cuſtodem, ſive Sacriſtarium eſſe voluit. Ex Cod. MS. Eodem anno VII. Id. Novembris Præfectus arcis Miſnenſis, ſcripto Notarii publici manu confecto, excuſavit factum, quo in domo Miſnenſi Capitulo obnoxia, jus exercuit alias inconceſſum. Ex Cod. MS. *& alia quædam.*

An. MCCCCLXXI. Poſtquam ex *Schönbergica* gente aliqui, nominatim *Caſparus*, & *Theodericus*, Miſnenſes Epiſcopi, novam Vicariam, ſive beneficium *S. Laurentii* in Baſilica Miſnenſi fundârunt, *Theodericus* jam Epiſcopus eandem confirmavit, ordinavitque, ut is, qui beneficio eo frueretur, ſemper prius in Univerſitate aliqua ſtudiis det operam, donec vel Magiſter, aut Doctor, vel certe Utriusque Juris Baccalaureus fieri mereretur. Hunc in finem Bibliothecam illi ſuam, quam ex Italia nuper ſecum attulerat, *Vicariam S. Laurentii fundatam à Schönber-*

Digitized by Google

*giis ordinat, & bibliotheca inſtruit.* lerat, publico diplomate legavit. Statuit præterea, ut jus conferendi id beneficium penes *Schönbergios* de *Reünſperg, Sachſenberg, Schönberg,* & *Neukirchen*; his deficientibus penes *Burſtenſteinios* maneret: & ut in eligendo Vicario gentis primum *Schönbergiæ*; hac extincta, gentis *Henizia*, tum *Kariſiæ*, ac tandem *Honſpergiæ* ratio habeatur. Actum IX. Cal. Novembr. Ex Cod. MS. "Eodem anno (*ſcribit* „*Fabricius*) inchoatum Templum divi *Wolffgangi* extra „urbem. „

Ejusdem anni fine, XVIII. Cal. Januarii *Sixtus V.* Pont. Max. nuper creatus, *Theoderico*, Miſn. Ep. negotium dedit, *Georgium Heimburg* Doctorem, ac Syndicum *Norimbergenſem*, qui *Georgio Podiebradio* Bohemiæ nuper Regi adhæſerat, ab anathemate abſolvendi. Affert ea de re Pontificias literas *Sixti IV.* Romæ apud S. Petrum An. Domini MCCCCLXXI. XVIII. Kal. Januar. anno Pontificatus ſui primo datas Gottlob Horn. Collect. ad Biblioth. manualem P. IV. p. 386. quarum initium eſt:

„Sedes Apoſtolica pia mater, recurrentibus ad eam cum humilitate &c. „

*Georgium de Heymborch anathemate exſolvit.* *Theodericus*, ut mandato Pontificis ſatisfaceret, petiit à JCto Informationem de forma, modoque in hoc negotio procedendi, quem Hornius idem exhibet: ſed ut ex Codice Paulino Lipſienſi idem tradit, "Epiſcopus Miſ„nenſis abſolvit *Georgium Heymborch* in Civitate *Dresden* „in *Miſna* regione, V. feria ante Palmarum, quæ fuit dies „S. Albani, ſextus Martii, in præſentia *Erneſti*, & *Alberti* „Ducum Saxoniæ, & quorundam Canonicorum Eccleſiæ „*Miſnenſis*, antequam hujusmodi Juris informatio fuerit

præ-

Digitized by Google

„præſentata Epiſcopo *Miſnenſi*, anno Domini 1472. Item „eodem anno 72. obiit morte naturali in *Dresden* idem „Doctor *Georgius Heymborch* menſe Auguſti. „ Ita Codex Paulinus Lipſienſ. apud Horn. p. 393. Res *Georgii Heimburgi* idem Hornius p. 582. & ſequ. recte exequitur, oſtenditque eundem non modo adhæſiſſe *Podiebradio*, quam ob cauſam jam An. 1468. nominatim à *Paulo II.* P.P. excommunicatus eſt, ſed jam prius primatum Pontificis ſcripto aggreſſum, provocaſſe à Papa ad Concilium; *Sigismundo Tyrolenſi*, & *Diethero Moguntino* adverſus Rom. Pontif. adhæſiſſe; erraſſeque Pirn. Monachum, qui apud Mencken. T. II. Col. 1511. de *Georgio Heimburgio* longe benignius, quam par erat, ſenſerit.

An. MCCCCLXXII. cum Canonici Miſnenſes ſæpius alio profecti, miniſteriis Baſilicæ frequentius deeſſent, *Theod.* Ep. Sabbatho poſt Laurentii edicto cavit, ne deinceps Baſilica ſine Diacono, ſaltem uno, ibi reſidente, relinqueretur: & Decano, tum hujus, cum aliarum quarundam rerum cauſa novi juramenti forma præſcripta. Ex Cod. MS. VI. deinde Cal. Decembr. ut habent Monumenta Vetero-Cellenſia Col. 462. novum Sacellum S. Gerardi Ep. S. Antonii Confeſſ. & S. Pauli Eremitæ *Theodericus* Ep. in *Cella Veteri* conſecravit. *In Miſnenſi Baſilica ſemper adeſſe Diaconum ſaltem unum vult.*

An. MCCCCLXXIV. Non. Januariis *Sixtus IV.* P. M. Magiſtro *Melchiori de Meckau*, qui eidem ab epiſtolis erat, ſæpius deinde nominandus, annuam penſionem ex Præpoſitura *Halberſtadenſi* aſſignavit. Ex Cod. MS. Non prætereundum hoc loco beneficium, quod ex teſtamento aliquot Miſn. Canonicorum adoleſcentibus pauperibus, qui in Choro ad Divina Officia ſervirent, exhibitum eſt, ex- *Melchior de Meckau Sixto IV. PP. Charus.*



Digitized by Google

tructo in eorum uſus cubiculo, veſte ſtragula, rebusque id genus aliis liberaliter inſtructo. Ex Cod. MS.

*Calendariorum Fraternitatem fovet.*

Eodem anno prid. Id. Novembris *Theodericus* Miſn. Ep. fundationem Altaris ſub nomine, & honore B. M. V. & S. Crucis, omniumque Sanctorum *Coldizii* in Templo *S. Ægidii*, à *Calendariis fratribus* erecti, ſuis literis confirmavit *Wurzenæ:* ut refert Thammius in Chronico Coldicenſi apud Mencken. T. II. Col. 693. Frequens in rebus Miſnenſibus *Calendariorum Fratrum* fit mentio: nec modo *Coldicii*, & *Leyſſeniczii*, de quibus locis extant diplomata apud Mencken. T. II. Col. 693. & T. III. à Col. 1097. usque ad Col. 1105. altaria ſua habebant; ſed in *Debelin*, *Roſvven*, *Arnſperg*, *Herzberg*, *Molberg*, *Prettin*, *Schmideberg*, *Domatzſch*, *Radeberg*, *Hayn*; & in Luſatia, in *Lavvben*, *Soravv*, *Cotbus*, *Finſtervvalde*, *Storkavv*, ut in *Matricula jurisdictionis Miſnenſis*, quam ad manum habeo, ſingillatim notatur. Quinam fuerint *Fratres Calendarii*; & unde ſic dicti, multi quærunt: non placent, qui à *Calando*, ſive convocando; multo etiam minus, qui à *Calantica* iis nomen produnt: ſimplicius fuerit, eoque veriſimilius, ex eo dictos *Calendarios*, quod in numerato haberent, quid quovis menſe, menſisque die in Conventu Fratrum, pro vivis, defunctisque, quorum curam ſibi ſingulariter ſumpſerant, agendum eſſet. Plures etymologias affert Thammius in Chron. Coldicenſi Col. 696. Collector Diplomatum Leiſnicenſium apud Mencken. T. III. Col. 1099. in Not. ſubjungit: "*Fraternitas Calendarum* erat Societas „ex Clericis, & utriusque ſexus Laicis mixta, eoque con„ſilio inſtituta, ut ſtatis temporibus Sacra obirent, & de„functis parentarent, ſive pro mortuorum animabus Deum „precarentur.„ Ex his jam colligitur, *Fratres Calendarios* fuiſſe

*Calendarii, qui, ubi, & unde dicti.*

Digitized by Google

fuiſſe ex Sodalitate B. Virginis, & quod Thammius monet, aliquando etiam *Servos Mariæ* dictos: interfuiſſe funerum ſolenniis, ſupplicationibus, Vigiliis, & ſacris exequialibus, quatuor maxime temporum recurſu haberi ſolitis, & colligi videtur poſſe ex indulgentiis, quas ea de cauſa *Theodericus* Miſn. Ep. die vigeſima Junii An. MCCCCLXVII. Leiſnicenſibus Calendariis conceſſit, ut eſt apud Mencken. T. III. Col. 1100.

An. MCCCCLXXVI. ut habet Langius in Chronico Citiz. *Theodericus*, Epiſcopus Miſnenſis, obiit. Dum addit Fabricius ad hunc annum: " obit *Ditericus IV.* Præſul „prid. Idus April. „ laudemque *Theoderico* non vulgarem „tribuit: "Hic *(inquit)* ut ſuperiorum temporum luxuriem „corrigeret, & Sacerdotes exemplo regeret, & perſuaden„do ad Officium potius, quam cogendo reduceret, & „ſuum ipſe modeſtiſſime munus fecit, & familiam amplam „redegit ad paucos: tota vita vir graviſſimus. „ *Theoderici Ep. obitus, & poſthuma commendatio.*

# XXXIX. JOANNES V. de Weiſſenbach.

Electionis annum, menſem, diem accurate notat MS. Codex noſter: "*Johannes de Weiſſenbach* per Decre„tum publicum Miſnenſis electus eſt Epiſcopus VI. Cal. „Maji An. MCCCCLXXVI. „ Fabricius de eo ad hunc annum ſic ſcribit: „ Succeſſor *(DITERICI IV.) Johannes V.* de fa„milia *Weiſſenbachia*, Decanus Miſnenſis, Doctor Juris. Is Du„cum Saxonicorum, quorum erat Conſiliarius, & Regis „Bohemiæ ſecutus aulas eſt. Victu ſumptuoſo, & ſtructu„ris magnificis æs alienum contraxit: argumento manife„ſto, eos, qui proprii muneris curas negligunt, & aliena *Joannes V. ex gente Weiſſenpach.*



Digitized by Google

„adminiſtrant, ſuis non prodeſſe. Cum *Erneſto* Electore „Romam profectus, conſecratur in Præſulem à Papæ Cancellario. *Erneſtus* à Sixto IV. roſam auream obtinet, „quam Templo Miſnenſi donat. Hic Præſul confirmationem *Erneſti*, Magdeburgi Antiſtitis, Romæ impetrat. „Idem arcem *Miſnæ* inchoat, *Stolpenſem*, & *Mogellanam* „ædificiis ornat. *Fribergenſe* Collegium introducit, & „Templum dedicat.„ Hæc de illo Fabricius, qui illum XLI. *Miſnæ* Epiſcopum numerat: ſed mecum ſentit Langius in Chron. Citiz. p. 1233. ſcribitque eum fuiſſe " in „numero Præſulum dictæ Eccleſiæ XXXIX.„

*Romam proficiſcitur:*

Eodem anno MCCCCLXXVI. Cal. Junii datæ ſunt ad Miſnenſem Eccleſiam conſervatoriæ, ut vocant, literæ à *Sixto IV.* P. M. conſtitutique ſunt ab eo jurium Miſnenſium *conſervatores* Decanus *Magdeburgenſis* Capituli, Præpoſitus B. M. V. *Wratislaviæ*, Præpoſitus ad *S. Afram Miſnæ*, & Abbas Scotorum *Erfordiæ*. V. ſubinde Id. Junii ſecutæ ſunt ab eodem Pontifice Bullæ geminæ: in quarum priori negotium datur *Merſeburgenſi* Epiſcopo, ad preces *Erneſti* & *Alberti* Saxoniæ Ducum, ut adhibitis *Miſnenſi* Epiſcopo, & capitulo inquirat, num prædictis Ducibus competat jus nominandi idoneos ad Præpoſituram, Decanatum, & alias dignitates, & Officia Eccleſiæ Miſnenſis. Eas literas Ludevvigius Reliqu. MS. T. IX. p. 659. recenſet, & ſunt ſequentes.

*Diſpicere jubetur à Sixto IV. PP. an jus nominandi Præpoſitum: Decanum &c. Miſnenſem Ducibus Saxoniæ competat.*

*Sixti IV. PP. ea de re literæ.*

*SIXTUS Epiſcopus Servus Servorum DEI Venerabili fratri Epiſcopo MERSEBURGENSI ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, Apoſtolice nobis deſuper injuncte ſervitutis officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut etiam ea, que per Cathedralium Eccleſiarum ac in illis Altiſſimo famulan-*

*lan-*

*lantium, nec non nobis, ac ſedi Apoſtolice devotorum, & præſertim illuſtrium perſonarum paci, & tranquillitati profutura conſpicimus, operoſis jugiter ſtudiis intendamus, ut ipſarum illuſtrium perſonarum petitiones, quas ob id nobis porrigi contingit, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus: ſane pro parte dilectorum filiorum, nobilium virorum, ERNESTI Sacri Romani Imperii Principis Electoris, ac ALBERTI Ducum Saxonie nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum Eccleſia MISNENSI in eorum temporali dominio, & intra Caſtrum ſeu fortalicium MISNENSIS illius principatus inſigne, quod pleno jure ad ipſos Duces ſpectare dignoſcitur, conſtituta extat: ac cum aliquando accidat, quod in ea ad præpoſituram, que inibi, dignitates, ac perſonatus, adminiſtrationes vel officia ipſius Eccleſie perſone aſſumantur ipſis Ducibus ſuſpecte & minus grate, habeantque perſone ipſe plerumque domos, ſeu habitationes in ipſo Caſtro ſitas, ex quo major ipſis ducibus ſuſpicio ac pericula maxima exoriri poſſunt. Quare ut inter ipſos duces ſucceſſores, ac Eccleſiam, & illius perſonas perpetua pax & tranquillitas vigeat, omniſque ſuſpicionis tollatur occaſio, ipſaque etiam ex hoc felicia ſuſcipere poſſit incrementa, pro parte ipſorum Ducum nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus ut de cetero ad præpoſituram, decanatum, archidiaconatus, ac alias dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia Eccleſie predicte perſone grate ducibus, & minus ſuſpecte aſſumantur, ducibus ipſis, eorumque ſucceſſoribus, plenumque jus nominandi, ac patronatus, & preſentandi perſonas idoneas ad prepoſituram, decanatum, archidiaconatus, aliaſque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, & officia Eccleſie hujusmodi, que prima vice, & quociens illos, illas vel illa ſimul vel ſucceſſive vacare contigerit, de conſenſu Venerabilis fratris noſtri moderni Epiſcopi MISNENSIS, & dilectorum filiorum prepoſiti Decani, &*

*Capituli ipſius Eccleſie perpetuo reſervare & concedere, aliasque in premiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur, nos Ducum Eccleſie, & perſonarum hujusmodi paci, & tranquillitati, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Epiſcopo, prepoſito, Decano, & Capitulo predictis, & aliis, qui fuerint evocandi, ſi, & poſtquam tibi de premiſſis latius conſtiterit, ac Epiſcopi, prepoſiti, Decani, & Capituli predictorum ad id accedat aſſenſus, ERNESTO ac ALBERTO Saxonie Ducibus predictis eorumque ſucceſſoribus plenum jus nominandi, ac patronatus, & preſentandi Epiſcopo, & Capitulo prefatis perſonas idoneas ad Prepoſituram, Decanatum, Archidiaconatus, aliasque dignitates perſonatus, adminiſtrationes & officia ipſius Eccleſie pro prima vice & quocies illos, illas, vel illa ſimul: vel ſucceſſive vacare contigerit, ut prefertur, perpetuo authoritate noſtra reſerves, & concedas conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Eccleſie predicte juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceterisque contrariis non obſtantibus quibuscunque. Volumus autem, quod ſi reſervationes, & conceſſiones hujusmodi per te vigore preſentium, ut prefertur, fieri contingat, quod preſentati, ſeu nominati ad prepoſituram, Decanatum, archidiaconatus, aliasque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia hujusmodi de prepoſitura, & ſi alias de decanatu, archidiaconatibus aliisque dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, & officiis hujusmodi occurrere illorum vacationem ex alternorum menſibus, ſive alias Camere apoſtolice annate, ſeu medii fructus deberentur etiam de decanatus, aliarumque dignitatum, perſonatuumque, adminiſtrationum, & officiorum*

*bujus-*

*hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus annatas, ſeu medios fructus ipſi camere, ſeu* ejus gentibus (ſic in apographo legitur) *in preſentibus illis deputatis pro tempore, priusquam corporalem poſſeſſionem prepoſiture, decanatus, aliarumque dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, & officiorum ejusmodi apprehendant, ſolvere omnino debeant & teneantur, alioquin preſentes litere hujusmodi nullius ſint roboris vel momenti. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice milleſimo, quadringenteſimo, ſeptuageſimo ſexto, 5. Id. Junii, pontificatus noſtri anno quinto.*

Poſterior Bulla ſtatuit, nequis deinceps in Miſnenſi, Merſeburgenſi, & Naumburgenſi Eccleſiis ad Canonicatum, vel ad Præbendam admittatur, niſi *nobilis* ſit *militari genere* ex utoque parente, & legitimo matrimonio; aut *Doctor*, vel *Licentiatus* in Theologia, vel in Jure, aut Medicinæ Magiſter. En ipſas Sixti IV. literas, ut apud Ludevvig. Laudato loco p. 662. exhibentur.

*Sixtus IV. PP. ſtatuit, ne quis ad Canonicatum Miſn. Merſeb. & Naumburg. Eccleſ. niſi Nobilis, vel Doctor admittatur.*

*SIXTUS Epiſcopus Servus Servorum DEI ad perpetuam rei memoriam. In ſupreme militantis Eccleſie ſpecula, meritis licet inſufficientibus, à Domino conſtituti inter curas multiplices, quibus rerum, negotiorumque occurrentium varietate diſtrahimur, illam libenter amplectimur, per quam noſtre proviſionis ope ſingularum potiſſime Cathedralium Eccleſiarum decor, & venuſtas procuretur: ſane pro parte dictorum filiorum nobilium virorum ERNESTI Sacri Romani Imperii Principis Electoris, ac WILHELMI, & ALBERTI ducum Saxoniæ nobis exhibita petitio continebat, quod in territoriis, & dominiis eorum inter alias ALAMANIE Cathedralis Eccleſias ſunt etiam MISNENSIS, NUMBURGENSIS, & MERSEBURGENSIS inſignes Cathedrales Eccleſie, in quibus & earum*

*Ejus ſuper hac re litera.*

*rum ſingulis ſi ſtatueretur, & ordinaretur, prout in plurimis aliis Eccleſiis ALAMANIE ſtatutum eſt, & ordinatum, ac obſervatur, quod nullus inibi in Canonicum reciperetur, ac ad prebendas dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in eisdem admitteretur, niſi* nobilis de militari genere *ex utroque parente, & de legitimo matrimonio procreatus aut in Theologia, utroque vel altero Jurium DOCTOR, ſeu Licentiatus, vel Medicine Magiſter exſtiterit: ex hoc ipſarum Eccleſiarum decor, & venuſtas plurimum creſceret, Eccleſieque ipſe quanto magis egregiis perſonis compte, & ornate eſſent, qui Eccleſias ipſas in juribus, & bonis ſuis tueri poſſent, tanto magis in temporalibus, & ſpiritualibus ſuis incrementa ſuſciperent. Quare pro parte ipſorum ducum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſarum Eccleſiarum venuſtati, & decori, ac illarum etiam utilitati conſulere, & alias in premiſſis oportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ex paſtorali officio nobis credito decorem, & venuſtatem, ac jura, & bona Eccleſiarum quarumlibet conſervari, & quantum cum DEO poſſumus, augeri, procurare debemus, hujusmodi ſupplicationibus inclinati hac irrefragabili conſtitutione auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia tenore preſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, quod deinceps nullus in Eccleſiis predictis, ſeu aliarum aliqua in Canonicum recipiatur, ac ad prebendam ſeu dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium in eisdem admittatur, ſeu admitti poſſit, & valeat, niſi* nobilis de militari genere *ex utroque parente, & de legitimo matrimonio procreatus, aut in Theologia utroque vel altero Jurium DOCTOR, vel Licentiatus, vel Medicine Magiſter exiſtat, & nihilominus auctoritate, & ſcientia ſimilibus etiam decernimus, & declaramus, quod deinceps quarumcunque expectativarum ſpecialium reſervationum, ſeu aliarum gratiarum, aut conceſſionum,*

Digitized by Google

num, vel literarum Apoſtolicarum, quantumcunque etiam motu proprio, & ſcientia ſimili à nobis vel ſede Apoſtolica hactenus emanatarum, vel in poſterum emanandarum vigore, nulla ex prebendis, dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus, vel officiis Eccleſiarum earundem qualitercunque vacaturis acceptari, & per quempiam, niſi ut prefertur qualificatum obtineri valeat, quodque exſpectative, ſpeciales reſervationes, ſeu gratie, & litere bujusmodi, nec non proviſiones Apoſtolice, ac uniones, mandataque de proviſione, uniendo, nec non nominandi, conferendi, vel uniendi facultates, ſeu quecunque alie conceſſiones per nos ſeu ſedem prædictam quibusvis perſonis cujuscunque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis fuerint aliis, quam ut prefertur, qualificatis ſub quacunque verborum forma, & quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, & aliis inſolitis clauſulis, ac decretis irritantibus etiam motu, & ſcientia predictis facte, vel faciende, quorum omnium tenores, & effectus, ac ſi de verbo ad verbum preſentibus inſerti forent, pro expreſſis, & in quantum ſtatuto ordinationis, directo, & declarationi premiſſis prejudicare poſſent, pro infectis habentes ad Eccleſiarum predictarum canonicatus, & prebendas, ac dignitates, perſonatus, adminiſtrationes vel officia nullatenus ſe extendant, ſeu extendere poſſint, & debeant, niſi in ipſis expectativis, gratiis, reſervationibus, conceſſionibus, & literis de toto tenore preſentium, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales mentio habeatur, ac illis de ipſorum Ducum, ac dilectorum filiorum Eccleſiarum predictarum, Capitulorum conſenſu, motu & ſcientia derogetur, decernentes MISNENSEM, NVMBVRGENSEM, ac MERSEBVRGENSEM pro tempore exiſtentes Epiſcopos ac Capitula hujusmodi ad recipiendum aliquem contra ſtatutum ordinationis decretum, & declarationem hujusmodi non teneri, nec ob id



Digitized by Google

*excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu aliqua alia Eccleſiaſtica cenſura, ſeu pena innodari poſſe, irritum quoque, & inane, ſi ſecus ſuper his à quocunque quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obſtantibus premiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolis, nec non aliis ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum predictarum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque gratiis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, declarationis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominice milleſimo quadringenteſio ſeptuageſimo ſexto, 5. Id. Junii, Pontificatus noſtri anno quinto.*

Eodem anno Prid. Cal. Julii Capitulum *Miſnenſe* vendidit pagum *Obervvartham Theoderico Schönbergico* Præpoſito *Miſnenſi*, & *Budiſſinenſi*; ſed ab ejus morte ad Capitulum rediturum. Ex Cod. MS.

Anno MCCCCLXXVIII. Idib. Martii Joannes V. Ep. Miſn. Indulgentias *Fratribus Calendarum Leyſnicii* à *Theodorico* deceſſore datas, ſuis literis confirmavit, & ad omnes Chriſti fideles extendit, ut videre eſt apud Mencken. T. III. in Mantiſſa Dipl. Leiſnic. col. 1103.

*Idem Pontifex Erneſto Saxoniæ Principi confert Magdeb.&*

Eodem anno MCCCLXXVIII. ſi Doëringio, continuatori Chronici Engelhuſii apud Mencken. T. III. Col. 34. credimus, "Papa *Sixtus* ad petitionem Ducum & Principum „Saxoniæ, & propter perſonalem præſentiam Ducis *Alberti*, qui

„qui & cum multis Nobilibus terram Sanctam intravit, poſt „mortem Archiepiſcopi Magdeburgenſis, qui ſupra *Laicus* „nominatur, facta poſtulatione de filio ſecundo genito *Er-* „*neſti*, XIIII. annorum, Papa motus precibus, & aliis variis, „& multis bonis reſpectibus, providit filio *Erneſti*, XIIII. an- „norum de Eccleſia *Magdeburgenſi*, dando illam eidem in „adminiſtrationem. Et poſt hoc anno ſequenti, ſcilicet an- „no Domini 1479. & ſequenti, exiſtente Principe Electore „in Urbe Romana, cum venerabili comitiva Epiſcoporum „(*inter quos Fabricius JOANNEM V. Miſnenſem numerat*) & „nobilium, idem ſummus Pontifex *Sixtus* contulit eidem „Epiſcopo *Magdeburgenſi*, *Erneſto* nomine, Eccleſiam *Hal-* „*berſtadenſem* in commendam, ſeu adminiſtrationem: & „multa alia privilegia Principibus, & Eccleſiis in terra Miſ- „nenſi contulit: Signanter dedit ad petitionem Principis „Electoris *Erneſti* Eccleſiæ Cathedrali in *Miſſna* indulgentias „plenariæ remiſſionis ad decennium cum abſolutione ab „omni irregularitate, & in caſibus etiam ſedi Apoſtolicæ „ſpecialiter reſervatis. Quibus indulgentiis publicatis, in „circumvicinis locis, & terris, factus eſt magnus concurſus „hominum ex diverſis provinciis in *Miſſnam* anno Domini „1480.

*Halberſtad. Eccl. adminiſtrationem.*

*Indulgentiæ plenariæ in Miſn. Eccl.*

*Miſnæ* interea An. MCCCCLXXIX. ut refert Fabricius, "in Templo Cathedrali erectæ tres turres, quas ignis „poſtea (*An. 1547.*) conſumpſit: „ An. vero MCCCCLXXX. ut idem ſcribit Fabricius, "Inſtitutum ab *Erneſto* Duce E- „lectore eſt, ut in Templo *Miſnenſe* diebus noctibusque, „abſque intermiſſione, diſtributis operis caneretur. Erant „ad id deſtinati Canonici XIV. & totidem eorum Sacella- „ni, & Vicarii ſexaginta plus, minusve. Ex his ſeptem, „qui *Scoti* nominabantur, qui in una domo pariter habi-

*Erneſtus Dux Sax. Miſnæ inſtituit Chorum perpetuum.*



Digitized by Google

„tabant: his miniſter erat, quem *Jeſum* appellitabant, qui „minima officia exequeretur: nam quod nemo vel infi-„mus hominum facere vellet, id *Jeſu* imponebatur. Erant „*Chorales* duodecim, quos Dux *Erneſtus* addidit. Erant „ab hora nocturna octava, appellati *Octaviani.* Erant duo „*Oculi* vocati, alter *Decani*, alter *Præpoſiti*, qui Chorum in-„ſpicerent, & inchoarent Cantica. Hi diviſis temporibus „ita alternatim ſuis muneribus fungebantur, ut cantioni-„bus neque diurnum, neque nocturnum tempus unquam „vacaret.„ Id genus Chori perpetui *Pſallentium* aſſiduum apud veteres videtur appellari, quale S. Rex *Sigiſmundus* in *Agaunenſi* Cœnobio, teſte S. Gregorio Turon. Hiſt. Franc. L. III, Cap. 6. inſtituit. Sed de hujus inſtituti forma nemo melius edocere nos poteſt Hieronymo Emſero, qui in Prologo vitæ *S. Bennonis* Num. 9. ea, quæ ipſe vidit, accurate deſcribit. *Ubi jam duodecima meridiantis diei hora inſonuit, (inquit) ſcholaſtici quidem pueri minores præcinunt Vigilias: ſic enim hodie vocantur preces ac hymni iſti, quas pro defunctis manibus DEO offerimus. Quibus exactis, illico adſunt conſtituti ad hoc flamines octo, quos Principum CAPELLANOS vocant; quia in eorum Sacello primo etiam Vigilias, inde Veſperas, ac Completorium canunt DEI Matris. His in ſecundam usque fere horam (minoris enim ſolarii computum hic ſequimur) protractis, Canonici, & univerſus Clerus, ſuas etiam ſine mora Vigilias (ubi dies poſtulat) mox penſum legitimum, veſpertinam videlicet Synaxim, ac Completorium pro tempore abſolvunt. Succedit his è veſtigio alia quædam pſallentium Secta (GRABATOS vulgo nuncupant, eo quod juxta Grabatum ſive ſepulcrum Principum conſideant) qui & ipſi vigilias primo, dehinc veſperas etiam ac completorium alternis diebus, modo de paſſione Chriſti, modo de compaſſione Virginis Matris, tertio*

*Canonici Miſnenſ. XIV. Vicarii LX. Chorales XII. Scoti VII. Octaviani. Oculi duo.*

*Series diurna & nocturna pſallentium.*

*quo-*

quoque die hiſtoriam Transfigurationis decantant. Et hi quidem eorum penſum uſque in ſecundam aut tertiam noctis Vigiliam producunt. Illis abeuntibus ſuperveniunt OCTAVIANI, ſic dicti, quia ab octava noctis hora inchoantes, reliquum tempus ad intempeſtam uſque noctem pſallendo continuant. Horum laborum major item Chorus excipiens matutinale obſequium medio noctis ſilentio, canore peragit. Interim alius paratur GRABATORVM ordo, qui horas ſuas, ſecundum quod veſperi orſus eſt, perſequitur. His rurſum ſubeunt Principum CAPELLANI (ut eorum utar vocabulis) Matutinas ac reliquas magnæ Deiparæ boras, tum primam de ea Miſſam (eſt id ſummum Chriſtiani Sacrificii genus) & item alteram pro mortuis ordine ſuo quotidie celebrantes. Quibus expeditis, pueri illi ſcholaſtici in Choro majori, ſicuti ſero Vigilias, ita mane etiam mortuorum ſacra facientem cantillando adjuvant. Ubi dies illuxit, primæ ac reliquæ divinorum horæ, ut tempus exigit, concinne etiam aguntur. Et ante ſummum Sacrificium, ut plurimum duæ treſve Miſſæ ſolenniter antecedunt, glorioſo Chriſti Corpori, aut Victrici ipſius Cruci, ſeu Divis tutelaribus (quos Patronos vocant) diſtinctæ. Sacris omnibus litatis, reliquum tempus usque in duodecimam denuo meridiantis diei horam pſalmorum carmine ſine ceſſatione perficitur. Eodem momento, negotium eadem ſerie aſſiduis iteratur vicibus damnato in perpetuum ſilentio. Opus hoc tam præclarum ERNESTI & ALBERTI fuit Principum, Saxoniæ Ducum, & Miſnæ Marchionum &c. &c. Hi duo fratres clariſſimi, germana devotione, ac pietate, tam gratum Cœlo obſequium meditati, communi ære, & impenſa, miniſtris horatim variantibus perpetua fundaverunt ſtipendia: digni ob hoc, ut qui ſua tam hilariter Deo contulerunt, mercedem ab eo recipiant æternæ retributionis. Siquidem in hoc veterum Germanorum Principum, antiquum erga Superos zelum, quaſi

*jam abolitum revocantes, filiis etiam ſuis, ac nepotibus exempla reliquerunt divini cultus ſemper magis, ac magis propagandi.*

Nondum forte promulgatæ erant indulgentiæ, de quibus ſupra ex Doëringio egimus, cùm novæ aliæ à *Sixto IV.* P. M. III. Cal. Febr. An. MCCCCLXXX. datæ ſunt pro IV. altaribus, ab *Erneſto*, & *Alberto* Ducibus Saxoniæ recens erectis. Ex Cod. MS. Fer. ſubinde VI. poſt converſionem S. Pauli, obligavit ſe Abbas, ac Conventus *Dobirlugenſis Joanni V.* Miſn. Ep. qui parochiam *Wartenburgenſem* eidem Cœnobio, quod jam prius jus conferendi id beneficium habuit, in perpetuum adſcripſit, ad omnem reverentiam: obſequium, jurisque Decano Miſnenſi, eidemque Archidiacono debiti obſervantiam, perinde ac ab aliis ſæcularibus Presbyteris fieret, præſtandam; promiſitque nunquam ſe acturum, ut ab hoc onere vel per Romanum Pontificem, abſolverentur. Ex Cod. MS.

*Abbatis Dobirlug. pro Parochia Wartenburg. grata officia.*

Sed enim mutua hæc officia An. MCCCCLXXXII. cito finem habuere: nam ut præter Fabricium (qui tamen perperam, ob pecuniam non numeratam, colliſum cum Abbatibus Epiſcopum ſcribit) Doëringius in Contin. Chronici Engelhuſii narrat, eo anno "in vere Reverendus Pater Epi„ſcopus Miſſnenſis, Dominus *Johannes de Weiſſenbach*, ci„tavit, excommunicavit, & aggravavit tres Abbates cum „Officialibus eorum, Ordinis Ciſtercienſium, ſcilicet *Ve„teris Celle*, in *Bucha*, & *Doberloch* Diœceſis *Miſnenſis*, „allegans ſe habere in eos auctoritatem viſitandi, inſtitu„endi, benedicendi, & procurationem recipiendi ex an„tiqua conſuetudine prius admiſſa, & data prædeceſſori„bus ſuis. Sed Abbates prædicti ſe opponentes Epiſcopo

*Joannes V. Epiſc. cum Abbatibus aliquot colliſus ratione juris viſitandi.*

*Miſ-*

"*Miſſnenſi*, cum cum adhærentia multorum aliorum Ab-"batum ejusdem Ordinis ad conſervatorem privilegiorum, „ſcilicet Decanum *Bambergenſem* citari fecerunt: qui de-„claravit, ſententias per Epiſcopum *Miſſnenſem* contra Ab-„bates latas eſſe nullas, irritas, & inanes ex privilegiis mul-„tis Ordini Ciſtercienſium conceſſis. Et dein præſcriptum „Epiſcopum *Miſſnenſem* per Abbatem *Buchenſem* in Urbe „*Miſſin*, ex parte omnium aliorum Abbatum citari ad Ur-„bem fecerunt, & ordinaverunt, ſe fortiter eidem oppo-„nentes.„ Eodem anno MCCCCLXXXXII. cum *Nicolaus Tzſcholle*, Plebanus in Oppido *Colditz* aram in honorem SS. Barbaræ, Urſulæ, & XI. millium Virginum, Decem millium Martyrum, & Annunciationis B. M. V. fundaſſet, *Joannes V.* Miſn. Ep. V. Cal. April. literis ex *Stolpen* datis confirmavit: quarum partem recitat Thammius in Chronico Coldicenſi Col. 694. VIII. Cal. Octobr. aliam piam in eodem Oppido fundationem pro hymno: *Salve Regina*, in templo S. Nicolai, ſuburbii *Coldicenſis* decantando à *Nicolao Tryllero* factam idem *Joannes* V. Ep. Miſn. confirmavit, ut videre eſt in Chron. Coldic. Col. 698.

*Caſtrum Noſſen feudum Imperii.*

An. MCCCCLXXXIII. *Fridericus III.* Imp. Caſtrum *Noſſen* tanquam feudum Imperii, quod à *Vetero-Cellenſi* Monaſterio, cui venditum An. MCCCCXXX. erat, nunquam petitum eſt, Epiſcopo *Miſnenſi* X. Cal. Septembris reſtitui juſſit; ſimileque mandatum die mox ſequenti ad ipſum cœnobium miſit. Ex Cod. MS.

Poſtremis annis non multa fit de *Joanne V.* Ep. mentio, niſi quod An. MCCCCLXXXIV. VIII. Idus Octobr. fraternitatem Calendarum in *Colditz*, ut eſt in Chron. Col. 1693. & An. MCCCCLXXXV. permutationem pagi *Quaskevviz*,

Digitized by Google

*kevviz*, quem Capitulum Miſnenſe *Friderico de Salhauſen* pro *Grünau* ad *Niedervvartham* dedit, VI. Id. Septembris confirmavit. Ex Cod. MS.

*Erneſtus Dux promulgat literas de jure conferendi Præpoſituram &c. à Sixto IV. ſibi collato*

Sed magni omnino momenti res illa eſt, quæ fer. VI. poſt Dominicam: *Lætare*. An. MCCCCLXXXV. *Zvvickaviæ* literis *Erneſti*, & *Alberti* Saxoniæ Ducum promulgata eſt, de collatione Præpoſituræ, Decanatus, aliorumque majorum in Eccleſia Miſnenſi munerum, & præfecturarum à *Sixto IV*. P. M. in ſe tranſlata. Exhibet ea de re literas Ducum Lunigius Spicil. Eccleſ. Contin. I. p. 848. quæ ſic habent:

*Literæ ejusdem, & Alberti fratris ea ſuper re.*

*Von Gottes gnaden vvir ERNST, des Heil. Röm. Reichs Ertz-Marſchall, und Chur-Fürſt, und ALBRECHT gebrüdere Herzogen zu Sachſen, Landgraffen in Thuringen, und Margraff zu Meiſſen, bekennen für uns, unſere erben, und nachkommen, und thuen kund allermäniglich, nachdem unſer Heiligſter Vater der Pabſt SIXTUS der VIERDTE uns, unſer beyder erben, und nachkommmen die ſonderliche gnad gethan, das vvir alle dignitäten, und Prælaturen der Kirchen zu Meiſſen, vvie die nahmen haben, nemblich die PROBSTET, DECHANET, CANTORIA, SCHOLASTRICA, CUSTODIA, die PROBSTET zu BUDISSIN, PROBSTET ZSCHEILAU, ARCHIDIACONAT zu LUSAZ, und ARCHIDIACONAT NISITEN, und hernach genandten fünff Præbenden in der Kirchen zu MEISSEN der jetz ein der Würdige unſer lieber andächtiger, und Rath, Er JOHAN von SOLHAUSEN, Doctor, Dechand zu Meiſſen, die ander Doctor CHRISTOPHORUS EGKEL, die dritte, Er OTTO von WEISSENBACH, die vierdte, Er ULRICH von WOLFFERSDORF, die fünffte, Er GÜNTHER von BÜNAU be-*

*ſizen,*

Digitized by Google

*ſizen, dazu dieſe nachgeſchribene fünff dörffer; als* LIEGNITZ, LOBETAV, BOSTERWITZ, EBDEN, *und* RESTiiL *evviglichen gehören, auch die drey Capellen* S. JACOBI, JOANNIS BAPTISTÆ, *und* MARIÆ MAGDALENÆ, *ſo ſich die hinfort verleidigen zu evvigen Zeiten die verleiben, darzu præſentiren mögen, alſo ferne unſer Herr und Freund der Biſchoff, und das Capitul der ehe gedachten Kirchen ihren vvillen, und vollvvort darzugeben vvürden, und alſo unſer Herr, und Freund der Biſchoff, und das Capitul derſelben Kirchen in den Monden, den Man* MENSEM ORDINARIVM *nennet, die leben der Biſchoff ein theil, und das Capitul ein theil zu verleiben gehabt haben, nichts deſtovveniger haben ſie uns, unſere Erben und nachkommen in ſonderl. gefallen ihren vvillen, und vollvvort darzu geben. Wolten vvir gerne, das ſolches ihnen, oder ihren nachkömmlingen zu einigen abbruch des Rechts, den ſie bishero gehabt haben, nicht geſchehen ſolte, gereden, und geloben vvir zu einer vviderſtattung für uns, unſer beyderſeiths Erben, und nachkommen, das vvir ſolche dignitæten, und prælaturen, und drey Capellen, vvie, und durch vvelchen vveg ſie ſich verledigen, es ſey in des Pabſts, oder in ordinarien Monden niemands den Domherrn, der Kirchen zu Meiſſen, die integrirt, und emancipirt ſeyn, zu evvigen Zeiten leiben vvollen, noch ſollen, und in der ordinarien Monden denjenigen, die uns, unſere Erben, und nachkommenden unſern Herrn, und Freund der Biſchoff zu Meiſſen, und ſeine nachkommende Biſchöffe zu den* ARCHIDIACONATEN, LVSAZ, NIESIEN *zu der* SCHOLASTERET, CVSTODIEN, *und genandten dreyen Capellen ernennen, und antvvorten, und ſonſt niemands leyhen, noch præſentiren ſollen, noch vvollen; desgleichen ſollen, und vvollen mit* DECHANET, *und* CANTORET, *durch vvelchen vveeg ſie los vverden, niemands den nur das Capitul zu Meiſſen,*

*zu ſolcher DECHANEY, und CANTOREY nach alter kommender gevvohnheit in allen Monden ervvählet vvird, und die obgenandten fünff præbenden, die dem Capitul zugehören, in der ordinarien Monden uns, unſere Erben, und nachkommen, das genante Capitul benennet, und antvvortten vvird zu evvigen Zeiten, und ſonſt niemands verleihen auch ſollen vvir die DOM-PROBSTEY zu MEISSEN in allen Monden zu verleihen haben, vvenn vvir vvollen, doch das derſelbige ein Domm-Herr ſey, vvie oben berührt, und ob unſere Erben, und nachkommen vvider diſe unſere verſchreibung künfftig thun leihen, oder præſentiren vvürden, ſolches ſoll vveder Krafft, noch Statt haben, noch gevvinnen, vvo aber darüber jemand vvürde præſentiret, derſelbe ſoll von unſern Herrn und Freund, dem Biſchoff, Prælaten, noch Capitul zu Meiſſen auff unſere Erben, und nachkommen verleihen, und præſentation nicht aufgenohmen, noch inſtituiret vverden.*

*Des zu vollſtändiger Urkunde haben vvir obgenanter Fürſten ingleichen Sein Inſiegel vor uns, unſere Erbnehmen, und nachkommen an diſen unſeren brieff laſſen hängen; hierbey ſeynd gevveſt, und gezeugen unſer Räthe, und lieben HAUBOLD von SCHLEINITZ, Ober Marſchall, Er DIETERICH von SCHÖNBERGK, Hoffmeiſter, Herr HEINRICH von MILTITZ, Ritter, und andere glaubvvürdige genung. Geben zu ZWIKAU auf freytag nach den Sontag LÆTARE, Anno Domini, Milleſimo, quadringenteſimo, octuogeſimo quinto.*

*Joannis V. Ep. obitus.* His rebus ita conſtitutis " *Joannes V.* Præſul (*ut habet Fabricius ad An. MCCCCLXXXVII.*) obit. Cal. Novembr.

# XL. Joannes VI. de Salhauſen

In *Joannis V.* locum electus eſt Idibus Novembris, ut notat Fabricius, "*Johannes VI.* de familia *Salhuſia*, „Decanus Miſnenſis, Decret. Doctor. Is competitorem „habuit *Melchiorem Meccam, ( de MECKAV)* Præpoſitum, „poſtea Præſulem *Brixinenſem*, & Cardinalem tit. S. Ste-„phani in monte Cœlio. „ In Codice MS. noſtro prima ejus fit mentio fer. II. poſt Dominicam: *Cantate.* Quæ quarta eſt poſt Paſcha, in hunc modum: "Poſtquam per ele-„ctionem, & coronationem, quæ munus conſecrationis „appellatur, *Joannis* Miſnenſis Epiſcopi, Decanus munus „vocare cœpit; *Albertus* etiam, & *Erneſtus* fratres, Du-„ces, Capitulo Miſnenſi libertatem voluerunt, novum „Decanum ſibi eligendi; Capitulum vero Miſnenſe, hac „vice, pro ſingulari gratia, ob cauſas multiplices, *Alberto* „Duci poteſtatem eligendi Decani fecit; *Albertus* pro ſe, & hæredibus ſuis ſcripto cavit, ne id cuiquam in præjudi-„cium cederet. „ Ex Cod. MS.

***Joannes VI. Ep. de Salhauſen.***

***Electio Decani novi poſt Sixti IV. literas.***

An. MCCCCLXXXIX. cum ob jura quædam controverſa, nominatim de pecunia pro Indulgentiis, de Præpoſitura *Wurcenenſi,* de qua jus patronatus, & præſentandi penes Capitaneum Epiſcopi erat, & hujuſmodi pluribus inter Epiſcopum, & Capitulum enata eſſet diſſenſio, ea X. Cal. April. utcunque compoſita eſt: ſed eam paulo poſt majori etiam contentione reſumptam, documentum, quod An. MCCCCXC. feria II. poſt *S. Viti* confectum eſt, aperte ſatis innuit: Sic enim MS. Codex noſter: Dux *Georgius* Epiſcopum, & Capitulum Miſnenſe ita in concordiam reduxit: primo ſtatutum eſt, ut omnes injuriæ æterna oblivio-

***Diſſidia quædam inter Epiſcopum, & Capitulum.***

vione deleantur. Secundo in congreſſu, & conventu omnia ad veterem normam reducantur: tertio capita controverſiam per IV. arbitros ad hoc nominatos ſuprema poteſtate dijudicentur, & decidantur. Fer. II poſt *S. Viti.* Verum rem totam ex *Joannis VI.* verbis, quibus in Notitia Adminiſtrat. ſuæ An. 1512. confecta, quæ extat apud Lunig. Spicil. Eccl. Cont. I. p. 850. utitur. " Clerus *(inquit)* in Præpoſitura ac Decanatu Budiſſinenſi, & in ſedibus *Camentz, Gorliz, Lobbau, Laubem, Reichenbach, Seidenberg, & Sorau*, cum primum ad Epiſcopatum veniremus, inſtinctu pravorum hominum, vel ære alieno noſtræ Eccleſiæ obſtrictorum, negabant biennale ſubſidium Epiſcopale, & appellabant ad Curiam Romanam, nobisque bellum temere inferebant: cui ut obviam iremus, & juribus Eccleſiæ noſtræ conſuleremus, MDC. aurei in impenſas abſumpti ſunt. Item cum vix biennio in Epiſcopatu fuiſſemus, cœpit movere litem Capitulum Miſnenſe, & nos ad Illuſtriſſimum Principem, *Georgium* Ducem Saxoniæ deferebat. Et quamvis jure aliud facere potuiſſemus, tamen in amicam compoſitionem conſenſimus, ſed quæ ad D. florenos, quod viros doctiſſimos eam ad cauſam adhibendos putaremus, nobis conſtitit: totidem expenſis, adverſus Commiſſarium Pontificium, ad quem Capitulum confugit, in Curia Romana, ad quam nos cauſam devolvimus. " Ex his jam intelligi poteſt, quid ſibi voluerit Fabricius, cum ad An. MDVIII. ſcriberet: "*Johannes VI.* Præſul aditus difficiles habuit ad dignitatem, & in initio muneris præcipuos adverſarios Sacerdotes *Budiſſinenſes*, & *Miſnenſes*: ita ut illa conſpirationi ſimilis adverſatio videretur. Accuſatus Romæ, non ceſſit potentiæ, quia jure erat ſuperior: & quia magis dignitati Dioece-

*Clerus ſe opponit Epiſcopo.*

*Epiſcopus difficultates omnes ſuperat.*

„ceſis, & officii ſui ſtudebat, quam aliorum ſerviebat cu-
„piditatibus, victor partis utriusque extitit.„

An. MCCCCXCII. cum Feſtum de S. Lancea, quæ Chriſti pectus transfixit, celebrari *Miſnæ* cœptum eſſet, promovente ejus cultum *Zedena*, Duce Saxoniæ, *Alberti* conjuge, *Joannes VI.* Ep. indulgentiam XL. dierum addidit VII. Cal. Novembr. Ex Cod. MS. *Feſtum de S. Lancea.*

An. MCCCCXCIII. cum *Colditii* à Præpoſito *Calendarum* & ſenatu fundatum eſſet quotidianum Sacrum ad Aram SS. Corporis Chriſti, cum hymno ad honorem perpetuæ Virginis Mariæ decantando, "*Johannes* Epiſcopus Miſnen-
„ſis An. MCCCCXCIII. eam donationem confirmavit datis
„in hanc rem literis indulgentialibus *Stolpen* die 14. Aug.„
ut eſt in Chronico Coldicenſi.

An. MCCCCXCV. fundatum eſt Idibus Aprilis à *Catharina* Duc. Sax. Feſtum *S. Sigiſmundi*, *Miſnæ* VI. Non. Maji quotannis celebrandum. Ex Cod. MS. *Et S. Sigiſmundi R.*

An. MCCCXCVI. erecta eſt nova Vicaria ſub nomine *S. Nicetii.* VI. Cal. Octobris, quam *Joannes VI.* Ep. pridie Cal. Aprilis, privilegiis auctam confirmavit, & ad Aram *S. Annæ* ſtabilivit An. MCCCCXCVIII. Quo ipſo anno Sabbatho poſt Feſtum *S. Franciſci* Præpoſito Miſnenſi à Capitulo in perpetuum attributa eſt Præpoſitura *Freybergenſis.* Ex Cod. MS. An. MCCCCXCIX. fer. IV. poſt *Eliſabethæ Joannes VI.* Ep. *Dreſdenſem*, S. *Crucis* Eccleſiam confirmavit. Annal. Saxon. Mülleri. An. MD. ut Monachus Pirnenſis refert Col. 1534. *Georgius de Gutenſtein* fer. IV. poſt feſtum S. Catharinæ *Biſchofsvverdam* oppidum repente *Biſchofsvverda à Georg. Gudenſteinio*

 ob-

Digitized by Google

*dolo oppreſſa.* obruit, & domibus, ipſoque Templo ſacrilega rapina, exhauſto, cives ad XL. ſecum abduxit, quorum IX. in ipſis vinculis extincti ſunt. Res aperto quidem die, ſed dolo militari geſta: nam cum currus ſex panno ad fraudem tectos in eam urbem induxiſſet, armati inde milites prorumpentes, atrox *Gutenſteinii* conſilium ſtatim detexere, cum ſine ſacri, profanique diſcrimine, omnia in prædam verterent, & *Miſnenſem* Epiſcopum, in cujus ditione ea civitas erat, maximis damnis afficerent. Fabricius, qui factam Epiſcopalis ejus oppidi, ſatis lauti direptionem An. primum MDIII. his verbis refert: "Perduelles à Duce *Ge-* „*orgio* proſcribuntur, *Georgius Gutenſteinius*, & *Eberhar-* „*dus Brandſteinius*, qui adjuti Boemorum auxiliis diripiunt „*Verdam*, Epiſcopale oppidum; & rurſus An. MDVIII. ea- „dem repetit, addit quidem: " Ad id recuperandum mi- „ſit *Georgium Angerum* Præfectum *Dresdenſem*, *Georgius* „Dux Saxoniæ, cujus prudentia ſunt res compoſitæ, ſed „ſine recompenſatione ſumptuum.„ At *Joannes VI.* ipſe, Miſn. Ep. in notitia adminiſtrationis ſuæ An. 1512. literis conſignata, aliter rem narrat: "Illuſtriſſimus Princeps, *Ge-* „*orgius* Dux Saxoniæ Sabbatho poſt S. Catharinæ An. MDIV. „civitatem *Biſchoffsvverdam* occupandam nobis curavit, *ab Angero Georgii Ducis juſſu recepta.* „eoque *Georgium Anger* præfectum miſit, qui eadem ci- „vitate, & pagis *Goldbach*, *Grosdreboniz*, *Belasdorff*, *Kle-* „*vvidrebeniz*, & *Weikersdorff* &c. uſque ad Dominicam „*Miſericordias Domini*, Anni MDVII. utebatur, & frueba- „tur, & omnes fructus menſæ Epiſcopalis capiebat, ſic ut „argenti, frumenti &c. vis ingens urbis reſtituenda eſſet.„ Qua ex narratione ſatis pateſcit, quantum detrimenti toto hoc tempore ſit acceptum.

Anno

Digitized by Google

An. MDI. Cum negotium Canonizationis *S. Bennonis* Ep. Miſn. jam ſuſceptum eſſet, *Alexander VI.* P. M. III. Id. Novembr. largas indulgentias conceſſit omnibus, qui ad ſanctum id opus exequendum pia liberalitate concurrerent. Eadem die *Raymundus* Cardinalis, ſtatuta, ac conſuetudines *Miſnenſis* Capituli, præſertim, nequis, niſi à quatuor generationibus Nobilis, aut Doctor in Collegium Canonicorum adſcriberetur: nequis plures una ibi dignitates habere poſſet: & quæ de literarum ſtudiis, & ſolenni reſidentia alias decreta erant. An vero MDII. XV. Cal. Febr. indulgentias ad Sepulchrum *S. Bennonis* à *Thilone*, Merſeburgenſi Ep. datas, idem *Raymundus* confirmavit. Ex Cod. MS.

An. MDIV. *Wladislaus* Rex Hungariæ, & Bohemiæ, conjunctionem Præpoſituræ *Lubenſis* cum Archidiaconatu *Luſatiæ*, nullo ſibi reſervato jure, XVIII. Cal. Octobr. Eccleſiæ *Miſnenſi* confirmavit. Ex Cod. MS. *Lubenſis Præpoſitura Alchidiaconatui Luſatiæ incorporata.*

An. MDV. erecta eſt nova Vicaria in Baſilica Miſnenſi ab *Ulrico de Wolfersdorf* Decano, & ſub nomine *Annunciationis B. M. V.* privilegiis Eccleſiaſticis aucta, confirmata, ceteriſque beneficiis Eccleſiæ Miſn. adſcripta eſt, à *Joanne VI.* Ep. reſervato tamen *Wolferſtorffiæ* genti conferendi jure, ex qua etiam vicarii hujus nominis, quoad eſſet, qui eo aſpirarent, deligendi eſſent. Ex Cod. MS. VI. deinde Cal. Septembris *Ludovicus* Cardinalis S. Marcelli ad preces Capituli Miſnenſis indulſit, ut Venerandum Sacramentum, quod eatenus ſupra Chorum ſervabatur, ad novum Tabernaculum transferretur, ac in Proceſſionibus ad feſta B. M. V. uti hactenus ſolebat, deportari, ac oſtendi populo ad ſolatium poſſet. Ex Cod. MS.



Digitized by Google

An. MDVII. *Julius II.* P. M. Miſnenſi Eccleſiæ *conſervatorium* ut vocabant, conceſſit, & defenſionis executionem Præpoſito ad S. Thomam *Lipſiæ*, & Decano S. Mar. *Erfordiæ* demandavit XIV. Cal. Julii. Ex Cod. MS.

*Joannis VI. Ep. controverſia cum Chriſtiano Baumbamer, ratione promulgat. Indulgent.*

Sub id tempus ea concertatio contigerit, quam Fabricius *Joannem VI.* Ep. ſuſcepiſſe ſcribit, adverſus *Chriſtianum Baumbamer*, *Philippum Scirpium*, & *Hermannum*, *Hildesheimenſem* Presbyterum, qui impetratis jam ab *Alexandro VI.* & *Julio II.* PP. Romano literis, indulgentias *Teutonico Ordini in Livonia* per modum Jubilæi conceſſas, etiam in oppidis *Miſnenſis* Diœceſis promulgari volebant. Id cum Antiſtes *Magdeburgicus* ita faciendum cenſeret, negabat ſe *Joannes* permiſſurum ſuis in oppidis " & ſuæ „Eccleſiæ *Ingenuæ* objiciebat libertatem, & cauſam tandem „obtinuit apud *Julium II.* „ Nec dubium, quin per hos annos & illæ dimicationes geſtæ ſint, quas Fabricius eodem loco ſubjungit: " Vix defunctus erat hoc negotio „*(ſcribit Fabricius ad An. MDVIII.)* cum illi bellum imminebat à Nobilitate, cujus multitudinis Duces erant *Alexan-* „*der* Comes *Leiſnitius*, & *Joannes Kitlicius*: item *Coceritii*, „familia antiqua, & fortis. - - In tot ſimultatibus, & tur- „bis Præſul ſagacitate, & animi robore hoſtes ſuperabat: „nec erat in ſuo munere non maxime induſtrius.„ Sed enim utramque cauſam ex notitia œconomica Epiſcopatus Miſnenſis, quam ipſe Joannes Ep. An. MDXII. confecit, cognóſcere juverit, de priore ſic ſcribit: " *Teutonicus* „*Ordo in Livonia* Indulgentias Anni Jubilæi pro Magde- „burgenſi Diœceſi ab *Alexandro VI.* & *Julio II.* Pontif. „impetraverat, ad quas *Chriſtianus Bombamer*, Executor, & „Commiſſarius denominatus fuit, qui nos adigere ad hoc „voluit, ut indulgentias in noſtro Epiſcopatu promulgari cura-

Digitized by Google

„curaremus, ac pro hoc voluit Eccleſiam noſtram, quamquam „eſſet exempta, ad Magdeburgenſem Diœceſim annume-„rare. Sed cum ſciremus, Eccleſiam noſtram, antequam „Magdeburgenſis conſtituta Eccleſia, & Diœceſis eſſet, jam „ſtetiſſe, atque adeo *ingenuam*, & *liberam* natam, funda-„tam, ac confirmatam eſſe, ſic ut uni S. Rom. Eccleſiæ, & „nulli alteri Patriarchæ, vel Archiepiſcopo ſubjecta eſſet, „vel obnoxia: ac propterea ad nullam Diœceſim revocari „poſſe: neque etiam fas eſſet nobis, in præjudicium S. Rom. „ſedis, vel noſtræ Eccleſiæ, vel etiam Clerici, populique „ejus Eccleſiæ, libertatem violatam permittere, aut ea ſpon-„te nos abdicare; connitendum nobis erat, ut iniquo præ-„tenſi ejus Commiſſarii poſtulatui juſte nos opponeremus, „& ea in re apud Curiam Romanam, & extra illam MCC. „florenos expendimus. „ Poſteriorem ita narrat: " *Chri-„ſtophorus* de *Taubenheim*, *Joannes Koſches* de *Neuſtadt* pro-„pe *Hornſtein*, *Joannes Körbis* de *Bencken*, *Nicolaus* de „*Köckeriz* in *Drexelau*, *Balthaſar* de *Köckeriz* in *Sezes*, *Ja-„cob* de *Köckeriz* in *Elſtervverda*, *Caſparus* de *Maliz* in „*Finſtervvalde*, & *Otto* de *Girsdorff* de *Rulande* ſine ulla „cauſa, adverſus Eccleſiaſticam libertatem, non obſtante, „quod nos ad cauſam per arbitros ex æquo dirimendam „obtulerimus, damnoſe aggreſſi ſunt, & damnum plus-„quam IV. millium florenorum, præter alias expenſas in „cauſa attulerunt. Præterea *Alexander* Comes de *Leiſnig*, „à Dno *Joanne* de *Kitliz* inductus adverſus *Mſnenſem* Ec-„cleſiam, rem agitandam ſuſcepit, quam ſi probare po-„tuiſſet, ab Eccleſia noſtra plusquam L. millium floreno-„rum ſummam exigere potuiſſet: & quamvis nullum ju-„dicium juris oſtendere potuerit, per aliquot tamen an-„nos & damnum minatus eſt, noſtræ Eccleſiæ, & multa-„rum cauſa expenſarum fuit, nobisque & ſubditis no-

*Alia concertatio cum Nobilibus.*

 „ſtris

„ſtris multum negotii, curæ, ac ſolicitudinis aliquot an-„nis faceſſivit.

*Nova difficultas ex edicto Ducis de moneta,*

Per id ipſum tempus magnum incommodum ſubiit Joannes VI. ex Gorlicenſi moneta, quam, quod a juſto pondere non parum deflexiſſet, Georgius Dux Saxoniæ importari in Miſniam prohibuit, adſtrictis eadem lege Miſnenſis Epiſcopi ſubditis: ſed cum proventus Epiſcopi, qui ex ſuperiori Luſatia potiſſimum petebantur, hac ratione multum acciderentur, urbesque eidem ſubjectæ commercium ſibi minui, propterea quod Gorlicenſis monetæ potiſſimum ibi uſus eſſet, in dies viderent; commotior Antiſtes literas Wurzena, quæ exſtant apud Carpzovium Luſat. ſup. P. I. C. XX. p. 204. ad Senatum, Conſulesque Civitatum ſuarum Stolpenæ, & Biſchoffsvverdæ dedit, Sabbatho poſt feſtum S. Thomæ Ap. An. MDV. cum mandatis, nequem alium, præter ſe „Dominum recognoſcant, neve leges, niſi à ſe vel latas, vel approbatas, recipiant, quemadmodum ad eum diem recteque, ordinateque feciſſent,

*cui ſubditos ſuos ſubjectos non agnoſcit.*

„Wir gebiethen euch darauf ernſtlich *(ſcribit ille)* bey Ver-„meidung der Strafen in gemein Geiſtlichen, und Weltli-„chen Rechten, und unſern Regalien, auch an unſern Kir-„chen Privilegien, beniemt, und ausgedruckt, das ihr „euch in keinen Falle, es belange Münze, oder anders, „vvie das immer gedacht, oder genennt vverden mag, ſo „auf unſers Stiffts Eigenthum, oder Grunde geſchiehet, in „ſeiner Gnaden *(Ducis Saxoniæ)* oder andern, den in un-„ſer Gerichte, oder Straffe begebt, oder vvilliget; noch „euch von uns, und unſern Stiffte, und ſeinen Gerichts „zvvange unvorbevvuſt gebt; ſondern euch uns, und un-„ſers Stiffts, als *euer natürlichen Erb-Fürſten* in allen ſolchen „Fällen, vvie euch die Päbſtliche, und Kayſerliche Man-

„data

Digitized by Google

„data gebothen, und eure Eltern, und Ober-Eltern, und „ihr, als der den ietzt Se. Gnaden geſchrieben habt, al„levvege gethan, treulichen und gehorſamlich ſollet, bey „Vermeidung oben berührten, und andern Straffen, die „vvür euch durch unſere ziemliche erkäntnus, ſo ihr euch „vvieder erzeigen vvurdet, aufzulegen verurſachet vvür„den. In dem thut ihr euer pflicht, und gebühr. &c. „ Id porro ſe jure exigere fuſe oſtendit iisdem literis. “ Es iſt „offentlich *(ſcribit)* das Unſere Vorfahren Löblicher Ge„dächtnus, vvir und unſer Stiefft, ſo vveit ſeine Weltlich„keit rühret, alle Fürſtliche Rechte, Obrigkeit, Regalien, „und vveltlichen Gerichts-Zvvänge allezeit allein gehabt, „und noch haben, und unſern Stiffte ſind andre ſolche „Fürſtliche Rechte von Römiſchen Kayſern, und Köni„gen, als einen beſondern Gliede, und Fürſtenthum des „Heil. Röm. Reichs bisher allevvege, vvie auch noch ge„ſtanden vvorden. Wir ſind auch nach unſern Heiligſten „Vatter den Pabſte, und Röm. Kayſerl. und Königl. Maje„ſtet, keinen Fürſten auf Erden einigerley macht uber uns, „euch, oder andern unſer Unterthanen, in unſers Stiefts „Weltligkeit geſeſſnen, zu gebiethen geſtändig. „ Addit deinde Epiſcopis Miſnienſibus à Friderico Imp. datum, à Maximiliano vero Imp. iterum confirmatum fuiſſe privilegium auream, argenteamque monetam cudendi; ſibi tamen in præſens haud expedire viſum, ut ipſe monetam cuderet; ſed, ut res, rationesque cum Bohemicis, & Polonicis æque, ac Miſnicis conjunctiſſimæ poſcerent, Bohemicam, Gorlicenſem, vel aliam monetam admittere, & recipere ſe velle. Quid profectum his literis, me latet.

*Quibus de cauſis.*

Quæ ſequuntur, pacatiora jam paulo ſunt, *Joanni* certe Ep. minus infeſta, An. MDIX. mortuo *Melchiore de*

*Controverſia de Hereditate Melch. de*

*Meckau Ep. Brix. & Cardinalis compoſita.*

*Meckau* Cardinali, & *Brixinenſi* Epiſcopo, orta eſt lis inter hæredes *Balzerum de Noſſen*, & *Nicolaum de Minckvviz* ex una, ex altera parte inter Capitulum: Arbitrio rei ad *Henricum de Schleiniz*, ſupremum Marſcalcum delato, pronunciavit is Sabbatho poſt Pentecoſten, ut bonum teſtamento legatum, quod hæredes proximi occuparant, penes ipſos; ſupellex, & reliquum domeſtici uſus inſtrumentum ex auro, argento, holoſerico, Damaſceno, Attalico panno penes capitulum *Miſnenſe* maneret. Ex Cod. MS.

*CaſtrumBicben cum pertinent. in feudum Miſn. Eccl. conceditur.*

Anni ejusdem fine, *Fridericus*, & *Johannes*, fratres ac Duces Saxoniæ Miſnenſi Eccleſiæ jurisdictionem, & feudum Caſtri *Bichen*, & pagorum eo pertinentium *Büchen*, *Tecbniz*, *Plachdiz*, *Lobſchiz* ſive *Poppiz*, cum media parte pagi *Doberſchiz*, *Kabelmarg*, *Gallen*, *Proſſen* cum deſerto *Kleinmachern*, *Kabelsdorff*, *Milands*, *Partimarck*, *Daubiz*, & *Dreſemarg* parte dimidia, Miſnenſi Eccleſiæ, ejusque Epiſcopo *Joanni VI.* ac ſucceſſoribus in perpetuum contulerunt *Witenbergæ* fer. VI. poſt diem SS. Innocentii An. MDIX. poſtquam *Joannes*, *Fridericus*, & *Wolffgangus* de *Salhauſen* fratres Caſtrum *Bichen* XIX. florenorum millibus pro *Miſnenſi* Eccleſia à *Burckardo Hundio*, & *Jacobo Spiegelio* emerunt. Extant ea de re literæ apud Lunigium Spicileg. Eccle. Cont. I. p. 850.

*Tenebræ fer. VI. cantari juſſa.*

An. MDXI. *Joannes VI.* Ep. inſtituit, ut quavis feria VI. *Tenebræ* in memoriam morientis in Cruce Domini decantarentur, urgente potiſſimum *Nicolao de Heinz*, qui ad fundationem pii hujus inſtituti ſua liberalitate concurrit; Epiſcopus vero ipſe XL. dierum indulgentiam conceſ-

ſit,

Digitized by Google

ſit, qui ſub eo cantu orationem Dominicam ter perſolverint. III. Id. Decembr. Ex Cod. MS.

An. MDXII. cum ad fontem *Queckborn* prope *Dresden* magnus fieret concurſus populi ad imaginem B. M. Virginis pie venerandam, quæ eo loci erat expoſita, *Jones VI.* ad preces Parochi, & Conſulis *Dresdenſis* facultatem dedit Sacellum in honorem ejusdem præcelſæ Virginis extruendi, reſervata ſibi ac ſucceſſoribus portione Canonica, vel tertia parte omnium, quæ ibi offerrentur. Extant ea de re *Joannis VI.* literæ in *Stolpen* An. MDXII. datæ apud Weckenium in Chron. Dresdenſi p. 281. Eodem anno fer. III. poſt Alexii. 20. Julii confecta, atque in literas relata eſt *Notitia Adminiſtrationis à Joanne VI. Miſnenſi Ep.* geſtæ, cujus ſupra ſemel, iterumque meminimus, in qua potiſſimum oſtenditur, quibus incommodis remedium adhibuerit: quibus proventibus res Eccleſiæ Miſnenſis auxerit: quas fundorum, cenſuum, aut bonorum aliorum acceſſiones fecerit: quæ ædificia, quas piſcinas molitus ſit: ut curiam, caſtraque, & prædia inſtruxerit, & venationis jura in utilitatem domeſticam converterit: ac tandem quibuscum adverſis rebus conflictatus ſit: ut videre eſt apud Lunigium Spicil. Eccl. Cont. I. p. 850. & ſequ. ubi inter cetera leges, ejus ſolerti curâ templa maximam partem è fundamentis educta "in *Stolpen*, *Biſchoffsvverda*, „*Gedau*, *Breſeniz*, *Koſvvig*, *Tſchauiz*, novo, & veteri „*Mogeln*: parochiam in *Wurzen*, *Baus*, *Talevviz*, *Nitſch*„*vvizz*, *Röcbnitz*, & *Nemptt.*„ Præter alia plurima, quæ in curia ſua *Miſnenſi*, in Caſtro *Stolpen*, in *Hanevvald*, & Caſtro, urbeque *Wurzen* veteribus ædificiis adjecta. Ut proinde merito de illo ſcripſerit Fabricius ad An. MDVIII. „Erat hic Præſul miræ ſeveritatis, & continentiæ, & ad rem

*Sacellum B. M. V. in Queckborn.*

*Joannis VI. Ep. cura multæ acceſſiones factæ*

*in ædificiis Templorum Caſtrorum, aliisque in rebus.*



Digitized by Google

„familiarem attentiſſimus: reditus auxit, ædificia omnibus „in locis reparavit: idque cum *Wurcinæ* faceret, inventis „ibidem duabus lapidicinis, gaudio exiliit, & illi urbi im„penſe commodavit.„

*Fundatio pro Hebdomade majore.* An. MDXIII. ut refert MS. Codex noſter, feria V. Cœnæ Domini, *Georgius* Dux Saxoniæ perpetuam fundationem fecit pro triduo ultimo ſanctioris Heddomatis pie celebrando aſſignatis 2. florenûm millibus, ex quibus annuus 100. florenorum cenſus Capitulo Miſnenſi præberetur. Idibus dein Novembris *Joannes VI.* Miſn. Ep. nuptiis *Joannis*, poſtea Saxoniæ Electoris, cum *Margareta*, *Wolderami* Anhaltini Principis filia, *Torgavia* celebratis aſtitit, ac benedixit. Ex Annal. Sebaſt. Mülleri.

*In cauſa Canoniz. S. Bennonis quid actum.* An. MDXIV. Non. ſtatim Januarii procuratorium mandatum in cauſa *S. Bennonis* Ep. cui cœlitum honores jam apparabantur, emiſit Dux *Georgius*. VI. deinde Idus Maji conſtituti in eadem cauſa judices literas, quas vocant, *compulſoriales* addiderunt. Cumque ferveret undique negotium, de mandato *Leonis X.* P. M. VI. Non. Octobris, à *Bernhardo Sculteto*, Decret. Doctore, & Decano *Wurcinenſi*, qua Procuratore, Syndico, & Promotore in negotio Canonizationis *B. Bennonis* Ep. Miſn. Canonici Miſnenſes aliquot conſtituti ſunt, qui de fide, vita, ac moribus *Bennonis* cognoſcerent. Ex Cod. MS.

An. MDXV. *Johannes Naumburgenſis* Ep. *Martinus Cellenſis*, & *Antonius Buchenſis*, Abbates, monitoriis literis XV. Cal. Febr. datis omnes hortati ſunt, ut quæ de *S. Bennonis* rebus haberent cognita, in commune conferrent. Cœnobium *S. Michaëlis* Ord. S. Benedicti in *Hildesheim*, co-

Digitized by Google

eodem adhuc anno, teſtimonium de *Bennonis* vita ſcripto tulere. Ex Cod. MS.

An. MDXVI. VII. Julii. *Fridericus* quoque, ac *Joannes*, Saxoniæ Duces mandatum procuratorium in cauſa Canonizationis *B. Bennonis* emiſerunt. VI. vero Id. Decembris, *Bernimus*, Dux *Pomeraniæ*, *Stetino* ſcriptum teſtimonium miſit, de *Degenhardo à Bugenhagen*, Equite, Conſiliario, & Provinciæ *Bartenſis* Marſchalco, meritis *S. Bennonis* à morbo Gallico, præter ſpem omnium, liberato. Ex Cod. MS.

An. MDXVII. *Joannes VI.* Miſn. Ep. obedientias, ſeu beneficia Eccleſiaſtica (ut interpretatur Du-Cangius) in Vicarios jure Patronatus diſtribuit XV. Cal. Julii. Ex Cod. MS.

An. MDXVIII. ut habet Spalatini Chronicon, "Poſt „ferias Paſchales obiit *Joannes Salhauſen* Epiſcopus Miſ„nenſis.„ Et conſentit Fabricius: An. MDXVIII. "*Johan„nes VI.* Præſul obit IV. Id. Aprilis, ſepelitur *Wurcinæ*, an„no Præſulatus primo, & trigeſimo: ejus tumbam diruit „*Eraſmus Spigelius*.„ Ita ille: ſed quod ad extremam narrationis partem pertinet, adverſantur *Joannis IX.* Miſn. Ep. literæ An. MDLXXVI. datæ, quæ extant apud Henſchenium in Actis S. Bennon. Ep. infra recenſendæ: cum Fabricius Annales ſuos Miſn. An. MDLXIX. jam finiat. „Poſt noſtrum exilii reditum (*ſcribit JOANNES IX. „D. BENONNIS*) Reliquias poſuimus noſtris manibus in „ſepulchrum *Joannis*, Epiſcopi Miſnenſis, genere *Salhau„ſen*, prædeceſſoris noſtri, quod ſepulchrum adhuc hodie „integre extat in Collegiata Eccleſia B. M. Virginis oppidi „Epiſcopatus noſtri *Wurzen*.„

*Joannis VI. Ep. obitus.*

*Sepulchrum.*

Et

*Paſtoralis cura in editione Miſſalis & Breviarii.*

Et omnino parcendum erat tanti Viri memoriæ, quo præſtantiores paucos inter ſuos Præſules *Miſnenſis* Eccleſia numerabat. " Statuta Eccleſiæ *Miſnenſis (ſcribit idem Fabricius ad An. MCCCCLXXXVII.)* item libros, quibus orando, legendo, cantando ſacerdotes utuntur, opera *Wilhelmi Bethſchitii* Canonici, & *Andreæ Prolis*, Monachi, „ut notat Monachus Pirnenſis, Auguſtiniani Eremitæ, concionandi dono, & futurorum præſcientia inclyti, emendandos, imprimendosque curavit, ut vel hac diligentia „ad munus ſuum exequendum eos incitaret.„ Eſt ad manum meam *Miſſale*, ac *Breviarium Miſnenſe*, utrumque juſti voluminis in folio: quorum iſtud An. MCCCCLXXXIII. XVII. Kal. Auguſti *Miſnæ* impreſſum eſt, & finitum, ut in extrema pagina his verbis diſerte legitur: " Reverendus in „Chriſto pater, & Dominus, Dominus *Johannes* Epiſcopus Miſnenſis hoc opus Choro dicte ſue Eccleſie Miſnenſi „per omnia conforme pro communi utilitate omnium orancium in emunitate Civitatis *Miſna* imprimi procuravit. „Finitum anno Domini MCCCCLXXXIII. XVII. Kal. Auguſti.„ Infra ſubjectum ſcutum Epiſcopi geminatum cum pedo, infulaque, dextra pars ſcuti repræſentat *Agnum DEI*, ſiniſtra Caput Taurinum. In dorſo tamen libri calamo adſcriptus eſt Annus MCCCCLXXXVIII. neſcio quo conſilio: ſi corrigendi forte ſic typi erant, Breviarium haud dubie ad *Joannis VI.* de *Salhauſen* Epiſcopatum pertineret, ſin typis plus fidei, ſub Epiſcopatu *Joannis V. de Weiſſenbach* impreſſum eſſe dicendum erit.

De *Miſſali* vero *Miſnenſi* (quamvis & ibi An. MDXII. in fronte libri, in fine vero An. MDX. adjectus ſit) dubium eſſe non poteſt, quin à *Joanne VI. Lipſiæ* curatum ſit imprimi per *Melchiorem Lotter*: id enim Rubrica primæ

pagi-

Digitized by Google

paginæ typis excuſa, & rurſus aliæ, pagina ultima, ante Indicem adjecta manifeſto docent. Earum prior ſic habet: „Ampliſſimus in Chriſto pater, ac Dominus, Dominus „*Johannes de Salhauſen* Miſnenſis Diœceſis *DEI* gratia Præ-„ſul quædam adhuc enarrata, ſicut eſt circa rem ſacram „oculatiſſimus, animadvertens, jam iterum inprimi per-„miſit, & que ſacerdotibus ſcitu ſunt neceſſaria, addere „diligentiſſime curavit. &c. „ Poſterior vero ſubjungit: „Quem igitur novimus diligentiorem ampliſſimo in Chri-„ſto patre, ac Domino, Domino *Johanne de Salhauſen*, „divina gratia Miſnenſis Diœceſis Antiſtite: qui Eccleſiaſti-„cam rempublicam, ſue fidei commiſſam, inſtar boni gu-„bernatoris regit, exornat, illuſtratque tam ſancte, quam „ſalubriter: & omnia religioni viciorum expultrici neceſ-„ſaria procurat vigilantiſſime: qui libros, ne cetus ſacer-„dotum orando, legendo, aliaque, que ad ſacerdotium „pertinent, divina myſteria obeundo aberraret, inprimi „fideliter curavit. - - De quo opere completo, laus ho-„nor, & gloria ſit Creatori omnium DEO in altiſſimis: „ejusque Matri, Virgini intemerate Marie: & toti Cœleſti „curie, in evum. Anno Dni Milleſimo quingenteſimo „decimo. „

„*Simone Tauchio ( addit Fabricius )* Præpoſito Afrano, „loco ſuffraganei uſus eſt. „ Et paulo ante, ubi & de *Joannis VI.* ſeveritate, & continentia agit, exemplum ponit in *Johanne Pfennig*, Theologo *Erfordiano*, qui captus primo à ſui inſtituti ſodalibus, ac rurſus libertati redditus, mutato habitu *Weimariam* profugit; propter egregiam tamen facundiam in concionibus *Vernenſis* (ut Monachus Pirn. ſcribit; vel ut Fabricius, *Feretenſis)* Epiſcopus, & ſuffraganeus creatus, fugam iterum ad Schiſmaticos tum Bo- *Juſta ejus ſeveritas.*



Digitized by Google

hemos tentavit, unde retractum, ut cum Fabricio ſentit Pirnenſis Monachus, An. MDI. Joannes VI. Miſn. Ep. in cuſtodiam dedit, & " annos ſex *Wurcinæ,* & *Stolpenæ*, te„nuit vinctum, qui in carcere, lumine non cuſtodito, ſtra„mine ardente, fumo necatur.„ Ut ſcribit cum Pirn. Monacho Fabricius.

## XLI. Joannes VII. de Schleiniz.

*Joannes VII. de gente Sbleinitia.*

Joanni de *Salhauſen*, *Joannes* de *Schleiniz*, ejus nominis VII. in ſerie Miſnenſium Epiſcopum, ut Monachus etiam Pirnenſis numerat, XLI. ſuffectus eſt, & Dominica poſt diem *S. Galli* ( qui in XVII. Cal. Novembr. incidit) eodem teſte, inauguratus *Miſnæ,* & conſecratus eſt. Annum ejus electionis Fabricius numerat MDXVIII. Sed *Merſeburgi* conſecratum cenſet: ſic enim ſcribit ad hunc annum: "*Joannes Præſul VI.* obit IIII. Idus Aprilis. - - In „ejus locum cooptatur *Johannes VII.* de *Schleiniciorum*, fa„milia, qui ſedem *Ragenitii* habent. Ejus competitores „fuerunt *Euſtachius* Comes *Leiſnicius*, & *Nicolaus Heini„zius* Jure Conſultus, & Ducis Saxoniæ *Georgii* Conſiliari„us. Inſulam, pedumque accepit *Mersburgi.*„

Diſſimulare non debeo, in MS. Codice noſtro extare documentum, in quo *Joannes VI.* (de *Salhauſen*) XIII. Cal. Auguſti An. MDXIX. ſubcuſtodem Miſnenſis Baſilicæ abſolvit ab onere aliquot ſacra ad aram omnium Sanctorum faciendi, ob imminutum annui cenſus ſtipendium. Ex quo ſequeretur, nec *Joannem VI. Salhuſium* IV. Id. April. An. MDXVIII. eſſe defunctum, nec *Joannem VII.* de *Schleiniz* ante anni MDXIX. autumnum eidem ſucceſſorem da-

tum.

Digitized by Google

tum. Sed ut in literis non ſemper additur, quotus quisque ſui nominis fuerit, aut Pontifex, aut Epiſcopus; ita facile contingere potuit, ut collector horum documentorum *Joannem VI.* pro VII. per errorem ſcripſerit. Et vero Spalatinus in Chronico, qui tum *Altenburgi* vixit, & ſcripſit, aperte An. MDXVIII. indicat, quo & *Joannes Salhuſius* obiit, & "ſuffectus eſt Collegii ſuffragiis *Joannes de* „*Schleinitz.*„

An. MDXVIII. VI. Id. Novembr. *Ludovicus* Rex Hungariæ & Bohemiæ *Georgium* Saxoniæ Ducem literis edocuit, de mandatis ad Præfectum *Luſatiæ* inferioris *Tunckelium de Borniz* à ſe datis, ut Archidiacono, quem in *Luſatia Georgius* Dux nominaverat, omni ope aſſiſteret. Ex Cod. MS.

An. MDXX. Cal. Novembr. *Sigiſmundus I.* Rex Poloniæ datis ad *Carolum Münſterbergæ* Ducem literis, *Melchiorem Gerſtovv* Doctorem, *Joannis Rachenbergii* nepotem commendavit, ad Canonicatum in Eccleſia majore Ducatus Miſnenſis per Ducem Saxoniæ promovendum. Exhibet eas literas Sommersbergius T. II. rer. Sileſ. p. 1079. quæ indicio ſunt, jus aliquod nominandi, & præſentandi ad Canonicatus jam penes Duces Saxoniæ fuiſſe.

*Luthero dogmata ſua ſpargenti, ſcripto ſe opponit.*

Ordimur nuc ea tempora, quibus turbata per *Miſniam* etiam Religio Catholica primos impetus *Lutheri*, ejusque ſequacium excepit. An. MDXVII. jam prid. Cal. Novembr. theſes non paucas adverſus SS. Indulgentiarum theſaurum ad valvas in Templo, arcis *Wittembergicæ* affixerat: ea res ubi Romam delata eſt, Pontifex. Max. *Leo X. Carolum Miltitium* exeunte adhuc anno MDXVIII. in *Saxoniam* ac *Miſniam* legavit cum Apoſtolicis literis, ut herbeſcen-

tem jam pravam ſegetem in ortu opprimeret. *Joannes* VII. Miſnenſis Ep. in tanto diſcrimine haud tacendum ſibi ratus, ſcriptum emiſit, ac *Lutherum* de SS. Euchariſtia, & communione ſub utraque ſpecie, ſecus, ac vetus diſciplina, fidesque Catholica habet, ſentientem, ac ſcribentem, graviter quidem, ſed ſine cenſura aſperiore coarguit, ut ex *Spalatini*, *Luthero* familiaris, annalibus diſcimus.

An. MDXXI. primus in *Miſnia Glaſshüttenſis* Parochus, *Jacobus Seidelerus*, *Lutheri* doctrinam ſecutus, uxorem duxit, conjectus idcirco in carcerem à Duce *Georgio*, & in arce *Stolpenſi* facinus expiare juſſus. Ex Chronico Spalatini.

*Principum opem ad opprimendam novam doctrinam implorat.*

An. MDXXII. fer. VI. poſt Dorotheæ *Joannes* VII. Miſn. Epiſcopus, literas ad Principes dedit, eorumque operam in cohibendis, puniendisque novatoribus imploravit. Ex Spalat. Chron. " Hac hyeme *D. Joannes de Schleynitz* Epiſcopus Miſnenſis Romam proficiſcitur à Rom. „Pont. *Adriano VI.* evocatus. „ Id. ibid. ſed abſente Epiſcopo.

*Moniales Nimptſchenſes è Monaſterio profugæ.*

An. MDXXIII. ut ſcribit Monachus Pirn. Col. 1589. & Spalatinus in Chron. ad hunc annum. „ Vigilia Reſurre„ctionis Dominicæ, horis nocturnis novem, imo duode„cim Sanctimoniales in Cœnobio *Nimptſchen*, ad Oppi„dum *Grimmas* in *Miſnia* in ripa fluvii *Muldæ* egreſſæ ſimul „abierunt, omnes nupturæ - omnes egregiis natalibus, & „parentibus natæ. „ Quæ cum *Wittenbergam* profugerent unam ex iis, *Catharinam de Bore*, ut ex iisdem ſcriptoribus conſtat, *Martinus Lutherus* uxorem duxit XIII. Junii An. MDXXV. De hoc idem *Lutherus* ad *Michaelem Stifelium*,

pri-

Digitized by Google

primum poſtea in Auſtria Luthericæ doctrinæ præconem ſcripſit: " Tu pro me ora, ut genus vitæ novum benedi„cat mihi, & ſanctificet. Nam vehementer irritantur ſa„pientes, etiam inter noſtros &c.„ Imitatæ *Nimptſchenſium* facinus *Sornvvitzenſes* ſex aliæ, nocturna item ſe fuga è Cœnobio ſubduxere. Sed enim *Henrico Kelnero*, *Mitvveidenſi*, capite ſtetit, quod ex eodem Cœnobio *Sornvvitzenſi* Monialem abduxerit: captus enim, & capite mulctatus pœnas luit, quod conto affixum, è patibulo aliis ſpectaculo fuit. Ex Chron. Spalatini ad An. MDXXIII. & Monacho Pirn. Col. 1480. Neque ſequior tantum ſexus, ſed viri etiam XIII. ex uno, quod *Miſnæ* erat, *Afrano* collegio, fidem, quam Religione adſtrinxerant, abrupére. Ex Chron. Spalat. ad hunc annum. Eodem anno MDXXIII. ipſo SS. Trinitatis feſto die *Wolfgangus Fueſſ*, & *Sebaſtianus Scolen*, ille Parochus, hic ejus adjutor, & Capellanus *Colditii*, Minenſis Diœceſis Oppido, uxores ſibi deſponderunt, iſte ancillam pecuariam, ille Cauſidici filiam. Ex Chron. Spalatini. Sed cum res Catholica undique per *Miſniam* labefieret; Romæ prid. Cal. Junii An. MDXXIII. *S. Bennoni* Miſnenſi quondam Epiſcopo, ab *Hadriano* VI. P. M. Cœlitum honores decreti ſunt. Extat ea de re Bulla Canonizationis apud Cherubinum T. I. p. 630. cujus initium: *Excelſus Dominus* &c. An. MDXXIV. Solennes *S. Bennoni* honores apparatiſſima pompa Miſnæ ſunt celebrati. "Oſſa *Bennonis* (*ut ſcribit Fabricius ad hunc annum*) „more ſolenni effoſſa, & ſublata in tumbam marmoream „ophitinam ſunt XVII. Cal. Junii die poſt feſt. divi *Viti*. „Præſentes aderant *Johannes Miſnenſis*, & *Adolphus Merſ*„*burgius* Præſules. *Georgius*, & *Henricus* Duces Saxoniæ: „*Georgii* filii, *Joannes* & *Fridericus*. *Henrici* filii, *Mauri*„*cius* & *Severinus*. E Comitibus *Manſfeldius*, *Leiſnicius*,

*Item Sornvvitzenſes.*

*Sacerdotum conjugia.*

*S. Bennon. Ep. Canonizatio.*

„*Barbenſis*, cum plurima nobilitate.„ Sed enim, quo tempore pie iſta, religioſeque agerentur in Miſnia, *Aldenburgi*, *Liſneckii*, & *Borniſii*, abrogata in Sacrificio latina lingua "inchoata eſt *Miſſa Germanica*„ ut gloriatur in Chronico Spalatinus.

*Miſſæ lingua German. haberi cœptæ.*

An. MDXXV. Impulſa ſemel re Catholica, Heterodoxi ex Saxonia, in *Miſniam*, ac *Luſatiam* impetum convertere. *Torgæ*, noctæ diem Cinerum præcedente, effractis Cœnobii *Minorum* portis, impetus in Sacrum Veſtiarium factus à civibus aliquot probe potis: direpta veſtis ſacra, contaminata ſacra vaſa, Fratres ipſi verberibus mulctati, nullo præſentis ea in urbe Electoris Principis, & Legati *Ferdinandi I.* reſpectu. Authores tamen nefarii facinoris XVI. fuga ſibi poſtridie conſuluerunt. Eodem anno *Eiſenaci*, *Jenis*, *Reinhardisbomæ*, *Salveldiæ* Monaſteria omnia deſierunt, ut ſcribit Spalatinus in Chronico ad hunc annum. In *Luſatia* inferiore primi ſe *Forſtenſes*, ut ſcribit Manlius Lib. I. c. 25. vel ut Erdmannus Mirus in Orat. de *Luſatia* vult, *Zittavienſes* An. jam MDXXI. ab Orthodoxa Religione abruperunt: *Gorlicenſes*, & *Laubenſes* ſecuti magnam partem An. MDXXV. quorum exemplum biennio poſt, ut narrat Manlius rer. Luſat. L. I. Cap. XXV. & XXVI. *Budiſſinenſes* Miſnenſis Epiſcopi dolorem auxerunt. Is, ut fatetur ipſe Fabricius, " ad opprimendos Lutheranos nulli „ſumptui pepercit, aut labori: nam totius ditionis Eccle-„ſias ipſe inſpexit, & Romam ad diplomata impetranda iter „ſuſcepit: eſtque uſus plurimum authoritate, & opera *Nico-„lai Schönbergi* Cardinalis, & *Caroli Milticii*, Secretarii Ponti-„ficii, qui tum gratia ſingulari apud *Leonem X.* valebant. „Defenſores Pontificis *Emſerum*, *Cochlæum*, *Amnicolam* „*(Saulum Bacmann Abb. Cell.) Plicium*, *Silvium (Petrum* „*Forſt)*

*Torgaviæ FF. Minores male habiti.*

*Monaſteria paſſim diſſoluta.*

*Lutheri doctrina in Luſatiam invecta.*

*Joann. VII. Ep. Catholicos doctore fovet.*

Digitized by Google

„*Forſt)* Alveldium' fovit, atque adjuvit. „ Sed quantula manus hi erant adverſus tot fidei Romanæ hoſtes, *Friderico* præſertim Electore Duce, & *Joanne* ejus fratre; *Henrico* item *Georgii* Ducis fratre, ut de eo Mullerus in Annal. Saxon. ad hunc annum diſerte meminit, *Lutherum* jam toto pectore complexis? Neque vero connivebat Epiſcopus, ſicubi locum juſta ſeveritas habebat: *Oſchazii* certe Anno MDXXV. cum neſcio quis errorum magiſter pravum dogma ſuum in populum pro concione ſpargeret; *Joannes* VII. rem edoctus, captum manu fida civium blateronem profanum dedit in vincula, & *Georgium Fabrum*, ex Religioſa Prædicatorum familia, illico accerſiit, qui, ſiquid noxæ credulo vulgo hæſiſſet, ſalutari doctrina pro concione corrigeret. Ex Monacho Pirn. Col. 1590. An. dein MDXXVI. Monachus apoſtata, *Stolpenam* in vinculis miſſus eſt, ſed cum is aut carceris tædio, aut melioris vitæ deſperatione mortem ſibi ipſe in feſto S. Stephani protomartyris conſciviſſet, extractus cuſtodia, infami ſepultura ſub patibulum abjectus eſt. Ex Monacho Pirn. Col. 1602.

*Idem in novæ doctrinæ diſſeminatores acriter animadvertit.*

An. MDXXVII. ad beatorum ſedes, quorum honoribus ſcripſit, & laboravit, menſe Novembri tranſiit *Hieronymus Emſerus*, navus Catholicæ fidei defenſor, & ſcriptor doctus. Hujus breve elogium ſic concinnat Pirnenſis Monachus Col. 1517. "*Hieronymus Emſerus* ex Suevia *Ge*„*orgio* Duci Saxoniæ aliquamdiu ab arcanis literis, Sacer„dos DEI devotus, præſtans Orator, & multarum artium „peritus, Licentiatus Juris, multa adverſus turbulentas con„ciones *Martini Lutheri*, ejusque ſequaces ſcripſit, eos„que ex ordine refutavit. Is etiam fuit, qui Bibliorum lo„cos, mala fide à *Luthero* in verſione Germanica, reddi„tos, ac depravatos, ſingulatim detexit, & male cohæ-

*Hieronym. Emſeri obitus.*

*Quantus Vir is fuerit.*

„ren-

*Quæ pro re Catholica ſcripſerit.*

„rentes ejus Tractatus, quos identidem contra ritum, ac „diſciplinam Eccleſiaſticam protruſit, impugnandos ſuſcepit. „Idem novum Teſtamentum Germanice vertit ad literam „verbumque verbo reddidit: & feria VI. ante diem *S. Mar-* „*tini* in urbe *Dresdenſi* in Domino defunctus eſt.„ Su-

*Alii rei Catholicæ defenſores in Miſnia.*

pererant *Joannes Cochlæus, Auguſtinus Alfeldius* ex Ordine *Minorum*, *Paulus Bachmann*, Vetero-Cellenſis Abbas, *Chemnizio* oriundus, & *Petrus Forſt* ex Ordine Prædicatorum (hos enim duos *Amnicolæ* & *Silvii* nomine videtur appellâſſe Fabricius) Catholicæ rei defenſores; ſed abſtracti longius, & quod caput rei, vulgo jam in omnia alia abrepto, averſa tantum aure audiendi. Quid annis conſequentibus geſtum ſit à Miſnenſi Ep. non liquet, tacente per aliquot annos MS. Codice noſtro, nec alia re à re ſcriptoribus ad memoriam annotata. Fabricius *Joannem Schlei-*

*Joannes VII. Romam proficiſcitur.*

*niczium*, cum *Joanne Malticio* Romam profectum tradit „animo ætatem illic peragendi: quod conjunctiſſimum ha„beret Cardinalem *Schönbergium*, conſobrinum ſuum: ſed „voto fruſtratus eſt *(inquit)* mortuo videlicet *Clemente VII.* „apud quem ſe gratioſum fore ſperaverat. Reverſus, Præ„ſulatum, quoad vivit, retinet.„ Sed quo anno hujus Sæculi Romam petierit, aperte non annotavit. Certum tamen eſt ex Codice noſtro, *Joannem VII.* An. MDXXXII. quo *Henricus Thil*, Vicarius ad aram Sacelli Annunciationes B. M. V. novum beneficium fundavit, imo & anno MDXXXIII. Octobri menſe, quo *Georgius de Beuerlbach* dotem pro Sacro perpetuo in Sacello S. Laurentii in Xenodochio *Miſnenſi* conſtituit; nondum Romam profectum fuiſſe: nam & fundationem utramque confirmavit; & jus nominandi Vicarium, pro beneficio *Henrici Thil*, Capitulo *Miſnenſi*, jus vero patronatus Præpoſito in *Stolpen* contulit XVIII. Cal. Decembr. An. MDXXXII. & pro Sacro illo

Digitized by Google

illo perpetuo jus Patronatus penes Capitulum eſſe voluit pridie Idus Octobris An. MDXXXIII. Ex Cod. MS.

Supereſt igitur, ut An. MDXXXIV. qui & XVI. eſt annus Præſulatus ſui, & quo Fabricius eum tradit, Coadjutorem ſibi elegiſſe *Joannem Malticium*, iter ſuſcepiſſe Romam dicamus: atqui cum eodem anno Clemens VII. exeunte Septembri vita exceſſerit; credibile eſt, Miſnenſem Ep. non diu in Italia hæſiſſe, maxime cum An. MDXXXV. Cal. Septembr. in cauſa incertorum quorundam feudorum conſenſiſſe legam in MS. Codice noſtro, ut ſententia de iis, à Capitulo Miſnenſi, ex æquo, bonoque ferretur.

Mortem *Joannis* VII. Fabricius ad An. MDXXXVII. refert: "Eodem anno *(inquit) Joannes* VII. Præſul obit III. „Id. Octobris.„ Necrologium Kemnitzenſe poſtridie mortuum ſcribit. "II. Id. *(Octobr.)* Dnus *Joannes de Schleinitz* „Eps. Miſn.„ *Ejus obitus.*

# XLII. Joannes VIII. de Malticz.

Fabricius, quem deſinente MS. Codice, unum jam ſequi cogimur authorem, hæc ad An. MDXXXVIII. de *Joanne* VIII. habet: „Eodem anno *Johannes* VIII. Præſul, „apicem, & pedum accipit à *Johanne Fabro*, Præſule *Vi*„*ennenſe*, & à *Thoma Murnero*, Suffraganeo *Patavienſe*. „*(ex Cœnobio Fratrum Minorum Paſſavii, ubi Cuſtos erat,* „*ad id munus aſſumpto, ut tradit author Sæc. V. Ord. Con*„*vent.)* Ortus ipſe familia *Malticia*, quæ *Dipoldiſvvaldi* „habitat. In Canonicatu ſucceſſit *Sigiſmundo Pflugo*, Au- *Joannes VIII. genere Maltitius, à Joanne Fabro Viennenſ. Ep. & Thoma Murnero Ord. Min. Suffraganeo Paſſav. conſecratus.*

„guſtæ in Comitiis mortuo, poſtea factus Decanus, & Co„adjutor, (*An. MDXXXIV.*) ut dictum eſt. „

Calamitoſiſſimo tempore cum Eccleſiam adiiſſet *Joannes Malticius*, illud tamen, quantumvis exigui temporis, ſolatium à principio habuit, quod *Ferdinandus I.* Rex Romanorum, cum XVI. Maji An. MDXXXVIII. *Budiſſinam* veniſſet, ibique à *Joanne Cochlæo de Wendelſtein* latina oratione eſſet ſuſceptus; ad preces, & ſolicitam *Miſnenſis* Epiſcopi commendationem, veterem Religionem, allocutus Senatum populúmque, regio ipſe ore tutaretur, & ſuperioris *Luſatiæ* Ordinibus, ut ab ejus innovatione deſiſterent, atque adeo, ni eam reſtituerent, pœnam minitaretur. „Cu„jus regiæ concionis (*ſcribit Manlius rerum Luſat. L. I.* „*Cap. XXV.*) etiam *Joannes Faber*, *Viennenſium* Præſul „meminit, quadam ad *Fridericum Nauſeam*, Coadjutorem „ſuum, epiſtolâ. „ An. MDXXXIX. ut rurſum Fabricius. „*Georgius* Saxoniæ Dux, confectus ſenio, mœrore, & ægri„tudine, poſt omnium hæredum obitum, & ipſe moritur „*Dresdæ* XV. Cal. Maji: in hac urbe (*MISNENSI*) ultimus „inter Duces Saxoniæ ſepultus. Occupato tamen loco ſe„pulchrorum priſtino, ſibi, uxorisque proprium ſacellum „extruxerat, quod marmore candido, rubeoque Ratisbo„nenſe, item Ophitino maculoſo *Zebliciano* ornatum in „ingreſſu eſt. „ Pirnenſis Monachus, qui Principem probe noverat, de Duce *Georgio* hæc habet: "*Georgius* Dux „Saxoniæ, Landgravius Thuringiæ, & Marchio Miſniæ, „illuſtris. ac plane Chriſtianus Princeps, filius erat *Alberti* „*Animoſi*, ex piiſſima Principe, & Regii ſanguinis *Zdena*, „An. MCCCCXXXII. (*rectius An. 1471. XXVII. Auguſti*) „natus. Nuptias Chriſtiano ritu XXI. Novembris Anno „MCCCCXCVI. celebravit, cum regii, Cæſareique ſangui„nis

*Ferdinand. I. Rex Budiſſinæ ſuſceptus, Luſatiis Religionem Catholicam præſens commendat veterem in ſtatum revocandam.*

*Georgius Dux Sax. moritur.*

*Ejus ſepultura.*

*Ortus Principis nuptiæ, ſoboles.*

Digitized by Google

„nis Principe *Barbara*, *Caſimiri* Poloniæ Regis filia, *Al-*
„*berti II.* Imp. nepte, Lipſiæ celebravit: ex qua, præter
„ſequioris ſexus ſobolem, *Chriſtinam*, & *Magdalenam*, fi-
„lios ſuſtulit *Chriſtophorum*, *Joannem*, & *Fridericum*.
(Omitto ea, quæ de bellicis *Georgii* Ducis, politicisque re-
bus author hic interſerit, ea ſolum referre contentus, quæ
ad religioſas res, quarum decus, & præſidium fuit, per-
tinere videntur) An. MDXVI. V. Cal. Octobr. in monte
„*Kunigſtein* ad *Albim* fluvium, primum lapidem in funda-
„menta dejecit, ut Cœnobium pro XII. *Cœleſtiniani*, Ordinis
„Sodalibus ibi conderet: ſed pium ejus conſilium maligni
„hoſtis invidia interverſum eſt, proque religioſis incolis,
„totidem apoſtatæ ſucceſſere. An. MDXIX. interfuit Dux
„*Georgius* colloquio, quod *Joannes Eckius*, Doctor Theo-
„logus, cum *Martino Luthero*, & *Andrea Caroloſtadio* de
„controverſiis fidei *Lipſiæ* habuit, (de quo Reinaldus in
Annalibus ad hunc annum, fuſe tractat.) An. MDXXII.
„idem Dux ut calumnias in Eccleſiaſticum ordinem impu-
„denter jactas reprimeret, contumelioſi hujuscemodi ſcrip-
„ti authorem ea pœna mulctavit, ut librum, quem men-
„daciis, & calumniis in Sacerdotes refertum ſparſerat,
„comminutum ſuis ipſe dentibus, devorare cogeretur:
„An. MDXXIV. fer. VI. poſt *S. Viti* interfuit ſolenni pom-
„pæ cum conjuge ac liberis Dux *Georgius*, qua *S. Benno-*
„*nis*, nuper Cœlitum honoribus aucti corpus levabatur
„*Miſnæ*, ſumptusque in eam rem, quam unus maxime
„urgebat, contulit liberaliſſime. An. MDXXVI. injurias
„SS. imaginum, ac Crucis Chriſti graviter ultus eſt, re oſ-
„que ejus impietatis, conſciſſos probe flagris, manu car-
„nificis, *Dreſdenſi* ex urbe ejecit„ Claudit demum Ducis
hujus laudes hoc elogio: "Illuſtris, ac pius hic Princeps
„Majorum ſuorum, qui *Miſniam* & *Saxoniam*, pro egre-

*Religioſa ejus ſtudia.*

*Severitas in novatores.*


„giæ

*Conſtantia in tuenda Religione.*

„giæ virtutis merito, qua Religionem adverſus gentiles, & „*Huſſitas* hæreticos defenderant, ſuæ familiæ aſſeruerunt, „veſtigiis conſtantiſſime inſiſtit, Religionem ex animo co-„lit, pios, ac divini cultûs ſtudioſos amat, fovetque, Ec-„cleſiarum, ac Cœnobitici Ordinis honorem ſummo ſtu-„dio tuetur: quamvis eâ de cauſa multa convitia, probra, „ac contumeliæ, etiam à propinquis, ſubditis, maxime „tamen à fanaticis, perfidiſque Chriſtianæ pietatis hoſti-„bus abſorbenda ſint: quorum tamen ille protervos auſus „fregit patientia, nec latum unguem à Catholica & Apo-„ſtolica fidei regula deflexit.„ Hæc ille, quanquam mu-„tatis nonnihil verbis.

*Detrimentum rei Catholicæ ex ejus obitu.*

Quantum detrimenti ex hujus Principis præſtantiſſimi obitu res Catholica in Miſnia acceperit, ex dicendis facile patebit. "Defuncto *Georgio (ſcribit Raderus T. III. Bav. „Sanct.)* cum quo ſimul Catholica pietas in Saxonia, & „Miſnia ſepulta eſt, ſecuta ſunt miſerrima, & infeſta Cœlo, „terrisque tempora.„ Fabricius ad An. MDXXXIX. hæc „tantum: „ Per illuſtrem Principem *Henricum Georgii* fra-„tris legitimum ſucceſſorem, mutata forma religionis, „Tumba *Bennonis* ante annos quindecim erecta, deponitur. „Canonicis, & Sacerdoribus, qui doctrinam Evangelii „*(novi)* amplecterentur, & officio fungi aliquo Eccleſiaſti-„co vellent, manere in urbe permiſſum: qui aliter ſenti-„rent, iis relictum deliberandi ſpatium: qui pertinaces „*(hoc eſt in fide conſtantes)* eſſent, conceſſa iis facultas tuto „abeundi.„ Thammius in Chronico Coldicenſi p. 202. cùm progreſſum *Lutbericæ* doctrinæ narrat, *Wittebergam* quidem An. MDXVII; *Aldenburgum*, *Coburgum*, *Colditium*, *Gotbam*, *Torgaviam*, *Vinariam* An. MDXVIII. *Goſlariam* An. MDXXI. *Grimmam* An. MDXXII. *Freibergam*

*Lutbericæ dogma per Saxoniam, Miſniamque propagatum.*

An.

Digitized by Google

An. MDXXIV. *Einbeccam*, *Weidam* An. MDXXV. novo Evangelio initiata ſcribit: ſed An. demum MDXXXIX. poſt mortem *Georgii* Ducis, urbes reliquas Miſniæ: *Annebergam*, *Chemnitium*, *Lipſiam*, *Dresdam*, *Pirnam*, *Oſcbitium*, *Leiſnitium*, *Dœbelam*, *Mogeliam*, *Rochlitium*, *Geitham*, *Bornam*, *Pegaviam*, *Delitium*, *Ilenburgum* &c. abrogatis vetuſtis ſacris, ritibusque ad doctrinæ novitiæ communionem eſſe traductas. p. 703.

*Strages ſacrorum ex Radero.*

In tanta rerum ſacrarum ſtrage "non ſatis fuit impiis „*(inquit Raderus laudato loco)* ſacrilegas manus ſacris Divo„rum ſedibus, & ædibus inferre, ſpoliare Templa, pollue„re ſacras aras, Cœlitum ſtatuas infringere, omnia ſacrariis „ornamenta detrahere, aurum, & argentum, pretioſas ve„ſtes, & ſupellectilem auferre, ſacra profanis, profanis ſa„cra miſcere, omnia profanare: niſi in viſcera terræ irent, „ſacros cineres, & manes Sanctorum inceſtarent. Quo„rum tamen furorem *Benno*, per curam ſuorum ſucceſſo„rum, declinavit.„ Affert deinde *Joannis* IX. Miſnenſis „Epiſcopi teſtimonium An. MDLXXVI. in Bavariam miſ„ſum, quod infra mox afferetur: ubi de *Joanne Maltizio* Epiſcopo Miſnenſi hæc ſingillatim meminit: "Cum Eccleſia „Miſnenſis, Cathedralis & ingenua Epiſcopatus noſtri per„ſecutionem pateretur à Lutheranis, ſub *Henrico* Duce „Saxoniæ; Reverendiſſimus *Joannes*, genere *Maltizius*, „tunc temporis Epiſcopus, reveritus, ne in illa perturbatio„ne, & irruptione templorum, diſcuſſioneque imaginum, „Sanctorum Reliquiæ, ibidem longiſſimo tempore, magna „cum veneratione cuſtoditæ, ac conſervatæ diriperentur, „& profanarentur; volens providere ejusmodi periculis, „aperuit tumbam, ſive ſepulchrum magnifice extructum, „in quo *D. Bennonis* Epiſcopi corpus ſolenniter recondi-



Digitized by Google

„rum erat, atque ibidem longiſſimo tempore miraculis cla„ruit, ſanctiſſime viſitatum, & recolitum fuit, atque illas „ſanctas Reliquias integri Corporis *D. Bennonis,* una cum „cilicio, mitra, & baculo paſtorali ejusdem Divi, aliisque „Reliquiis &c. in Sacellum arcis *Stulpen,* ſuam ſedem Epi„ſcopalem tranſportavit. Quo in loco remanſerunt, vi„vente ſupra dicto Epiſcopo & ſucceſſore ejus, *Nicolao Ker„levviſio.*„

Quo ex teſtimonio ſatis apparet, quæ procella primo Catholicæ rei, ſub *Henrico* Duce incubuerit: quas irruptiones perpeſſa ſint Templa, quod periculum fuerit, ne Sanctorum Reliquiæ indignis modis profanarentur: patet præterea, *Joannem Maltizium*, cujus authoritas, dignitasque *Miſnæ* jam ſecura non erat, relicta Cathedrali Eccleſia *Miſnenſi*, ſedem Epiſcopalem jam tum *Stolpenam* in arcem tranſtuliſſe. Nec alia incommoda, ſi Fabricio credimus, Viro pio deerant: "Anno Præſulatus ejus tertio, menſe Julio, „quatuor Oppida *Miſnæ*, igne conflagrarunt, *Noſſa, Ha„na, Dipoldiſvvalda, Wolchenſteinum.* Cum *Henrico* „Duce Saxoniæ contentio ei fuit, quod legatus Præſulis in „Comitiis *Wormatienſibus (MDLXV.)* ſeſſionem ſibi ſingu„larem ſumpſerat, Ducibus Saxoniæ inſcientibus, ad quo„rum tutelam Diœceſis pertinet.„ Sed enim hoc vitio dari non potuit *Miſnenſi* Epiſcopo, qui & ſedem in Imperii conventibus ſemper habuit, & in ferenda ſententia de Religionis negotio, quale tum erat, à Principe ac catholico pendere minime debebat. Sed cum omnia illi adverſa eſſent; vixit tamen, quanquam acciſis undique, imminutisque Epiſcopatus ſui fructibus usque ad An. MDXLIX. quo viam tandem cum morte commutavit prid. Cal. Decembr. ut notat Fabricius.

*Sedes Epiſcopi Stolpenam translata.*

*Henrici Ducis offenſio innocens.*

*Joann. VIII. obitus.*

XLIII.

Digitized by Google

# XLIII. Nicolaus II. de Carlowicz.

*Nicolaus II. Ep. de gente Carlovitia.*

*Nicolai* Miſnenſis Epiſcopi, eo nomine II. res in obſcuro ſunt: quamvis illum *Joanni Maltizio* ſucceſſiſſe, ex laudatis modo *Joannis IX.* literis certum ſit. Fabricius hæc tantum de illo habet ad An. MDL. "*Nicolaus* de gente *Ca-*„*roloviciorum*, Præſul *Miſnæ* creatur. In Canonicatu ſuc-„ceſſit *Carolo Milticio*, qui in Rheno ſubmerſus eſt, factus „deinceps Archidiaconus *Niſicenſis*: electus Præſul XVIII. „Cal. Febr. præſente *Julio Pflugo*, Præſule *Numburgano*." Mortem *Nicolai* obiter ad An. MDLV. indicat. Nec alibi mentionem ullam de hoc antiſtite reperio: quamvis eo Miſnenſis Eccleſiæ ſtatu nihil mirum ſit, res Epiſcoporum etiam in obſcuro manſiſſe: ſtetiſſe tamen in obedientia Apoſtolicæ ſedis, tum *Maltitii* deceſſoris religio, tum *Julii Pflugi* in electione præſentia, dubitari non permittunt.

*Ejus obitus.*

# XLIV. Joannes IX. de Haugwitz.

*Joannes IX. ex gente Haugvvitia.*

*Joannem IX. Nicolao Carolovvizio* in Miſnenſi Epiſcopatu ſuffectum, ex ipſiusmet apud Raderum, & Henſchenium ac Papebrochium literis certum eſt. Fabricius de ſui temporis hoc antiſtite ad An. MDLV. ſic ſcribit: „Defuncto *Nicolao II.* Præſule, eligitur *Wurcinæ* IV. Cal. „Junii *Joannes IX.* de gente *Haubitzia*, qui modo ex Ita-„lia venerat." Valuit ad gratiam ea peregrinitas, & cum ad generis claritatem; quod jam inde à Sæculo XIII. in Sileſia, in Miſnia poſtea, Luſatia, Bohemia, (ut videre eſt in Sommerſpergii Diplomatario Sileſ.) ac Moravia Viros pro-

protulit in rebus maximis ſpectatos, acceſſiſſet non vulgaris doctrinæ opinio, quam ex Italia una cum religionis ſtudio retuliſſet, facile in eam mentem venere Canonici, *Joannem* oneri fore, honorique parem, quem Naumburgenſi nuper in Eccleſia, *Haugvvitzii* duo, *Petrus* & *Georgius* Epiſcopi, tanta cum laude geſſiſſent. Nec defuturus erat conceptæ de ſe ſpei, niſi caſus, & communis temporum calamitas pia ejus conſilia evertiſſent.

*Haugvvitii II. Naumburg. Epiſcopi.*

*Lis à Carlevvitiis mota*

Triennium nondum in ſede, jam non *Miſnenſi*, ſed *Stolpenſi*, vel *Wurcinenſi* exegerat, cum ingens illi ex ſuppreſſis, quas in favorem ſuæ familiæ confectas à *Nicolao* nuper Epiſcopo ſuſpicabantur *Carolovicii*, ultimæ voluntatis tabulis, invidia conflatur. *Joannes Carolovicius* author concitatæ in Antiſtitem procellæ, jam non jure, ſed armis diſceptabat, diſſimulante id *Auguſto*, Saxoniæ Duce, qui jam tum fortaſſe in ſpem venerat, Epiſcopi jura, quod ſerius deinde contigit, ſuam in familiam derivandi. Joachimus Camerarius in Annal. rerum præcip. ſui temporis apud Freherum T. III. ad An. MDLVIII. innuere aliquid de hoc videtur: "Interea in *Miſnia* (*ſcribit*) ortæ quædam „diſſenſiones graviſſimæ inter Principem *Auguſtum*, & „Epiſcopum *Miſnenſem* gente *Haugvvitzium*, cum ex no-„bilitate tum forte quidam gente *Carolovicius*, quod ſibi „deberi arbitrabatur, non obtineret ab Epiſcopo, & bellum „Epiſcopo indixiſſet, impune ei licuit graſſari, & prædas „agere, & diripere præfecturas Epiſcopi, donec & ſedes „Epiſcopi *Stolpæ* occuparetur. Ita tandem, & quibusdam „interfectis, & Epiſcopo maximis detrimentis affecto, res „compoſitæ, & omnia certis conditionibus transacta fue-„runt. Quæ ad talem modum geri, prudentibus non pla-„cebat, deque iis metuebant eventus minime felices.„

*in bellum deſinit:*

*componitur.*

Fabri-

Fabricius ad An. MDLV. rem compendio narrat: "Contra „hunc Præſulem *(inquit) Johannes Carolovicius* controver„ſiam movet triennio poſt, & Præſul ditione exutus eſt: „quæ violentia ne progrederetur longius, illuſtriſſimus „Saxoniæ Elector, Dux *Auguſtus*, motum ſedavit: Diœ„ceſin *Stolpenſem* permutavit cum *Mülbergia*, & ditionem „reliquam integram reſtituit.„

Ita ſedes Epiſcopi, quæ *Miſna*, ubi pro Epiſcopo jam Paſtor Lutheranus *Joannes Albinus* An. MDXXXIX. intruſus erat, *Stolpenam* translata fuit, tandem *Wurcinæ* eſt collocata. Patent iſta tum ex Fabricio, tum ex ipſius *Johannis IX.* literis, mox afferendis. In *Luſatia*, quæ ſub Catholico Principe, Ferd. I. Imp. nondum tota à priſca Religione defecerat, miſeris Catholicorum reliquiis, *Joannes Leiſentritius* providere juſſus: patet id ex ejus literis, quas affert Martinus Meiſterus in Annal. Gorlicenſ. p. 37. *Budiſſinæ*, ubi Parochum, & Decanum agebat, die XII. Julii An. 1363. datis. Cum enim *Urbanus Weisbach*, Ordinis *Minorum S. Franciſci*, unus ſupereſſet in Cœnobio ſuo *Gorlicenſi*, facileque prævideret, Cœnobium id, à ſua morte, à qua ſenex decrepitus abeſſe longius non poterat, excluſis undique, ſi qui ſuccedere auderent, Ordinis ſui Sodalibus, in uſus profanos averſum iri, ſatiusque putaret in ſcholam bonarum artium id converti: egit cum magiſtratu Urbis, cui beneficiis nonnullis obſtrictus erat, cumque pronum in hanc ſententiam reperit. Sed quod ſuo unius arbitrio tranſigi rem tantam nollet, petiit à *Leiſentritio*, tum per ſuperiorem, & inferiorem *Luſatiam* Epiſcopatus Miſnenſis Adminiſtratorem, ut aſſenſu rem ſuo, & authoritate confirmaret. Nec abnuit *Leiſentritius*, *& neceſſitate urgente, & utilitate chariſſimæ reipublicæ provocante*, ut

*Sedes Epiſcopi Wurcinam transfertur.*

*In Luſatia Joannes Leiſentrit. Pro-epiſcopus.*

*Gorlicii Cœnobium Minorum in ſcholas convertitur.*

idem ſcribit, donationem hanc, & traditionem (*ſalvo tamen jure quod vel qualecunque loci Ordinarius unquam habuit, vel habere poteſt, & poterit*) confirmavit. Exemplum porro literarum hoc eſt:

*Literæ ea ſuper re.*

*Nos JOHANNES LEISENTRICIUS Epiſcopatus Miſn. per ſuperiorem & inferiorem LUSATIAM Adminiſtrator &c. Quanto devotionis zelo Orthodoxæ, vereque Catholicæ religionis noſtræ prædeceſſores Monaſteria, & reliqua ædificia ſpiritualia ad Catholicam pietatem plantandam, & ſacra officia peragenda extruxerint, tandem bonis mobilibus, & immobilibus, atque certis reditibus providerint, & dotaverint: nemo eſt, qui non perſpectum habeat. Quantum etiam ſub anathemate per Sacrorum Conciliorum Canones cautum, & ſancitum ſit, ne loca atque bona ad gloriam & honorem DEI dicata, in prophanos uſus illicito modo transferantur: facile in ſacroſanctis œcumenicis Synodis videre eſt. Hoc Laici crimine Sacrilegii infecti, nihili facientes, ſed ſummo contemptu, atque detrimento Eccleſiæ loca, ædificia & facultates Eccleſiaſticas in impium, & prorſus alienum uſum convertentes, quam miſerrime perire, tam apud prophanos, quam Eccleſiaſticos hiſtoriographos perplura, & valde horrenda extant exempla. Ne igitur hac in provincia Eccleſiæ jurisdictioni noſtræ legitime ſubjectæ homines ſeculares abominabili ſacrilegii macula ſe coinquinarent, & per ſacrilegam ſpoliationem, & abalienationem in ſalutis periculum ſe præcipitarent, fraterne monuimus, atque pro viribus noſtris obſtitimus, & impedivimus. Hoc autem peſtifero tempore, religioniſque diſſidio etiam in hac LUSATIENSI Diœceſi noſtra, tot ac tanta loca ſacra conſpicimus vacua propter perſonarum defectum omnino deſerta: ut ſeculares homines Eccleſiaſticis fundationibus infeſti optatam, & latiſſimam viam habeant, iſta, quæ* ad-

*adhuc reliqua ſunt bona, in Eccleſiæ deſtructionem aggrediendi, rapiendi etiam, Eccleſiæ Prælatis reclamantibus, juxta libitum fere poſſidendi. Hæc & alia cum devotus, & nobis in Chriſto dilectus Frater VRBANVS WEISBACH Minorita Ordinis S. Franciſci in Civitate GORLICENSI, ſuperioris LVSATIÆ experta haberet, & ſui Ordinis fratres in hoc Cœnobio aliquos ſucceſſores nullo pacto ſibi polliceri poſſet, licet decrepitus ſenex, attamen ultimum agens Monachum in GORLICIA, habita ratione beneficiorum, quæ GORLICENSES in ipſum, & ſuos anteceſſores abunde collocarunt, ſufficienter indicavit, quam piis, & prægravibus cauſis compulſus apud ſe decrevit, iſta via, Cœnobio ſuo imminenti periculo prævenire, atque bonorum Eccleſiaſticorum raptoribus, & devaſtatoribus illegitimo modo, & cauteriata conſcientia bona Eccleſiaſtica corradendi anſam præripere. Quare cum primis Chriſti coadjutorio, & piorum hominum conſilio fretus ſuos conatus eo direxit, quod publicos judices ordinarios convocarit, illis præſentibus, & teſtibus ad hæc ſpecialiter requiſitis, & rite vocatis totum monaſterium cum quadam ſylva, & omnibus juribus, atque attinentiis, quomodo & qualitercunque illa nominatim exprimi valeant, libere, nulla fraude circumventus, poſt vitæ ſuæ terminum occupandum tradiderit prudenti ſenatui, totique Civitati GORLICENSI, hac tamen lege, & nulla alia conditione, quam ut Senatus, & Civitas GORLICENS. pro juventute ad Chriſtianam pietatem promovendam, bonisque artibus ad veram & debitam diſciplinam erudiendam, in eodem Monaſterio ſedem ſcholæ collocarent: ex ſilva vero lignis ſcholæ calefaciendæ, & ædificandæ proſpicerent. Quod & Senatum GORLICENS. facturum, & reipſa præſtiturum cana fide promiſiſſe certum eſt. Et quia ſæpe dictum Monaſterium cum ſuis mobilibus, & immobilibus bonis tanquam fundatio Eccleſiaſtica ſub noſtro Diœceſi, &*

